



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère

Mogvntiæ, 1617

Libri XVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78332)

LIBER TERTIVS, ET TOTIVS OPERIS DECIMVS-OCTAVVS.

DE SPECIALI RATIONE IUDICANDI DE PECCATIS, RESPECTU HABITO AD SECUNDUM DECALOGI PRÆCEPTUM.

PRÆFATIO.

SECUNDUM Decalogi præceptum traditur Exodi 20. cap. his verbis: Non assumes nomen Dei tui in vanum: nec enim infontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Dei sui frustra. Item Deut. 5. his non multum diuersis. Non usurpabis nomen Dei tui frustra: quia non erit impunitus qui super re vanâ nomen eius assumpserit. Illi autem, sicut & primo præcepto, additur pœnæ comminatio, propter propensionem hominum ad illius transgressionem ex frequentia iurandi: vt D. Thomas notat prima secundæ quæst. 100. art. 7. ad 4. Etenim pœnæ sunt præcipue necessariæ, propter eos qui proni sunt ad malum. Itaque ad frænandam humanam licentiam: non modo in futuro, sed etiam in præsentî sæculo, talis transgressio punitur à Deo; prout patet ex cap. 17. Ezechielis, verbis illis. Viuo ego, quoniam iuramentum quod spreuit, & fœdus quod præuaricatus est, ponam in caput eius.

Quod vero nobis per id ipsum commendatur est externus Dei cultus, consistens in verbis: sicut per primum præceptum commendatur cultus internus, & per tertium, cultus externus consistens in opere. Ad hoc nimirum vt colamus Deum animo, verbo, & opere. Et quamuis negandum non sit principaliter per illud prohiberi iuramenta perperam facta: nihilominus tamen Diuo Antonino in 1. par. tit. 14. cap. 4. §. 3. absolute assentiri possumus, dicenti prohibita esse in illo omnem inordinatam diuini nominis usurpationem; cum conueniat omni tali, frustra, seu sine debito fine esse: aut rem esse vanam. Quapropter ad tradendam rationem iudicandi de peccatis in ordine ad idem præceptum, per explicationem eorum quæ ad ipsum spectant, dicendum nobis est non tantum de iuramento, & periurio, sed etiam, tum de affine eis adiuratione, tum de laude Dei, tum demum de voto, votique transgressione: addito tractatu de Religiosorum statu.

TRACTATVS I.

De iuramento & periurio.

DE iuramento & periurio agit in iure Canonico, 22. quæstione 1. 2. 4. & 5. & in Decretalibus ac Clement. tit. De iurciurando. Tractant vero eandem materiam cum D. Thoma interpretes ipsius 2. 2. quæst. 89. & 98. Somma lib. 8. De iustitia & iure quæst. 1. & 2. Couar. ad cap. Quamuis pactum De pactis in 6. Nauar. in Enchir. cap. 12. & Summularii in verbo Iuramentum, & in verbo Periurium: quibus accesserunt aliquot ex nostris: Azor prima parte Moral. institut. lib. 11. Gregor. à Valentia secunda secundæ disput. 6. quæst. 7. Suarez De religione tomo 2. tract. 5. Leon. Lessius De iustitia & iure lib. 2. cap. 42. & Thomas Sanchez in opere Morali lib. 3. per totum. De iuramento autem hæc occurrunt explananda. Primum, ipsius definitio. Secundum, conditiones quas requirit vt sit licitum. Tertium, multiplex diuisio illius. Quartum, difficultates quædam speciales de iuramento promissorio. Periurium vero considerandum est primo, generaliter. Secundo, specialiter periurium assertorium. Tertio, periurium promissorium. Quibus de iuramento comminatorio, ac de iudiciali addenda sunt aliqua particularia.

CAPVT I.

De definitione iuramenti.

SVMMARIVM.

- 1 Iuramentum vn de dictum, & que sit illius definitio.
- 2 Formule verborum, de quibus an sint iuramenta, iudicandum est ex intentione eas proferentis.
- 3 Finis cuius gratia est iuramentum.
- 4 Inuocatio tacita diuini nominis sufficere potest ad iuramentum.
- 5 Profectos, sane, vere, in veritate, & similia, non sunt de se iuramenta.
- 6 Nec item, si dicatur: In fide mea, aut, In fide boni viri.
- 7 Quando sit iuramentum dicere Per meam fidem.
- 8 Quando sit, dicere In mea conscientia.
- 9 Quando non sit dicere Per Deum.
- 10 Ad iuramentum non est necessarius tactus Evangeliorum, aut alterius rei sacre, etsi vtilis sit.

IVRAMENTVM seu iurandum, ex eo nomen habet quod sit quasi pro iure introductum: vt id quod sub inuocatione diuini testimonii dicitur, pro vero habeatur: prout recte declarat D. Thomas in cit. quæst. 89. art. 1. & post ipsum Sorus initio citatæ quæst. 1. quibus consentit Couar. ad memoratum cap. Quamuis pactum, in initio, numero 2. qui in præcedenti nu. 1. notat, definitiones varias excogitatas esse ad iuramenti naturâ aperiendam: verû loco omnium potest esse illa, quâ Nauar. attingit in Enchir. c. 12. n. 1. vt sit affirmatio vel negatio, attestatio Dei, tanquam veritatis infallibilis, expresse vel tacite firmata.

Dicitur autem affirmatio vel negatio: quia non nunquam affirmâdo, non nunquam vero negando, Deus ad-

Nu. 1.

ducitur in testem. Dicitur (attestatione Dei) id est, inuocatione Dei in testem, iuxta illud posterioris ad Corin. c. 2. Testem inuoco Deum in animam meam. Nam nisi Deus in testimonium inuocetur, iuramentum non est.

2. Vnde qui dicunt, Deus scit, Testis est mihi Deus, Coram Deo loquor, alijque huiusmodi formulæ videntur, non sunt dicendi iurare: si quidē talia proferunt nō inuocatiue, sed enunciativæ; seu volentes non quidem inuocato Deo in testem confirmare prolata à se: sed ea ad diuinum iudicium remittere, vbi omnia plana sunt & aperta. Alioqui si verba eiusmodi inuocatiue dicantur ad cōfirmandum id quod asseritur, nō est dubium quin contineant iuramentum: vt recte notant Caiet. 2. 2. *quest. 89. art. 1. ad 3.* Sotus in *cit. quest. 1. art. 1. paulo antefinem*: Nauar. in memorato. *cap. 12. num. 2.* & alij, quorum Sanchez meminit in opere *Morali lib. 3. c. 2. n. 20.* Ratioque est, quia in hac materia magis attendenda est intentio, quam verba: quæ licet in foro exteriori ponderentur: in conscientia tamen, & coram Deo, non sunt iuramentum nisi intentio indicat iurandi, vt notatum est à Gratiano 22. q. 5. cap. Qui peierare. Et confirmatur, tum ex c. 1. De iureiur. in 6. tum per illud, quod in cap. Humanæ aures eadem *quest. quinta* dicitur in hac sententiam: quod non debeat intentio verbis deferri sed verba intentioni: tum demum hac ratione, quia non potest quis vere, formaliter iurare, sicut nec formaliter Deum inuocare: aut vllam aliam actionem vere moralem facere, sine intentione expressa vel tacita eam faciendi: cum actio facta omnino præter intentionem, non libera sed naturalis censetur.

3. Additur in definitione (tanquam veritatis infallibilis) vt indicetur iuramenti finis, qui est veritatis confirmatio, ex Apostolo ad Hebr. 6. vers. 16. & ex cap. Et si Christus, De iure iurando. Etenim plerumque ea quæ ab homine proponuntur talia sunt, vt ipse nequeat veritatem eorum ostendere ratione: & cum per peccatum originale in malum illud incurrit, vt ei simpliciter dicenti nō facile credatur: quia ex Psal. 115. Omnis homo mendax (intelligit natura sua) sit, vt si is velit haberi sibi fidem, debeat recurre ad auctoritatem & testimonium alicuius, qui omnino verax sit; vt est solus Deus: vel ad testimonium eorum, in quibus diuina maiestas & infallibilis veritas ipsius refulcet: cuiusmodi censetur fides Catholica, & Evangelia, in quibus talis veritas continetur: itemque Beati regnantes in cælo, qui eidem veritati adhererunt, & eam aliis prædicauerunt. Vide D. Thomam in memorata *quest. 89. art. 6.*

4. Postremo loco in definitione ponitur, *expresse vel tacite firmata*, ad significandum inuocationem diuini nominis in testimonium, posse fieri non modo expresse & aperte, vt cum dicitur Testem inuoco Deum, Testor Deum: verum etiam tacite; vt cum dicitur Viuit Deus, seu Per Deum. Nec enim necesse est vt verbum, *iuro*, apponatur: vt post Panorm. ad *cit. cap. Et si Christus*, notat Sylu. in verb. Iuramentum 1. q. 1. in principio. Imo (quidquid aliqui contradixerint) Couar. ad *cap. Quamuis pactum* 1. par. in initio n. 4. existimat cū multis alijs (quos ipse commemorat, & quibus assentitur Azor in 1. par. *Moral. instit. lib. 1. c. 2. q. 4.*) verba non esse necessaria ad iuramentum: ita vt absque vlla verborum prolata, Deus nonnunquam censetur in testem adduci: vt cum mutus (qui potest iurando obligare se alteri) aut etiam alius rogatus aut iussus tangere manu crucem aut Evangeliorum volumen, tangit intendens annuensque se iurare. Quæ vero in contrarium obijci possunt idem Couar. in *seq. n. 5.* sufficere soluit, & post eum Azor loc. cit. Videri quoque potest Suar. in *tract. De relig. lib. 1. c. 11.* Et aduertendum est quod et si respectu hominum consummatio iuramenti requiritur signum externum: nihilominus in ordine ad Deum, posse absque eo in mente consummari, saltem promissorium, petinē ac votum: prout bene notat Suarez lib. 1. *cap. 1. num. 4.* citati tractatus.

5. Ceterum eidem definitioni congruenter, multa pro praxi statui possunt. Ac 1. non esse iuramentum, si dicatur: profecto, sane, certe, vere, aliudve simile: nec item si dicatur In veritate ita est: quandoquidem per id nec tacite, nec expresse Deus in testem aduocatur: cum et si Deus veritas sit, nō omnis tamen veritas est Deus: sed illa duntaxat quæ infallibilis est. Quæ doctrina est Caietani ad *citatum art. 6. & Syluestri in verbo Iuramentum primo, q. 3. & communis.*

Quamquam concedendum est oppositum accidere, si is qui tali formula verborum vitur, intendat iurare, Deumque ipsum (qui est summa veritas) asseueratione ea in testem adducere: ex Caiet. ibidem in fine. Cui adde obiter eandem, tum alias asseuerandi formulas rationem habere iuramenti apud homines eos, apud quos in more positum est, vt illæ accipiantur tanquam vim habentes iurandi: quod Azor etiam notat in *preced. quest. 1. itemque citatis Suarezio & Greg. à Valen. Thomas Sanchez in opere morali lib. 3. cap. 2. num. 1.* Ex quo in fine sequentis num. 7. adde eum qui talia verba erroneè putat esse verum iuramentum, & profert ea cum intentione iurandi, etiam detecto errore, manere obligatum coram Deo; in illa intentione, non addito aliquo excludente necessaria ad iuramentum, censetur virtute inclusisse ea ipsa necessaria. Nec obstat, formulam verborum qua vitur non indicare iuramentum: quoniam verba impertinentia sunt, in ordine ad obligationem iuramenti coram Deo.

6. Statui secundo potest, non esse iuramentum, si dicatur, In fide mea: quia sub ea forma, Deus nec tacite nec expresse in testem vocatur, vt habet Sotus in 8. De iust. & iure *quest. 1. art. 1. paulo post 4. conclus.* Et cōfirmatur: quia talia verba efficiunt solummodo hunc sensum. Ita id faciam, ac si ego fidelis in promissis, vt loco cit. bene exponit Caiet. Idemque est si dicatur. In fide ingenii viri, vel In bona fide, secundum eosdem auctores. Imo (addit Sotus) idem forsitan est, si dicatur. In fide boni Christiani, aut In fide boni Religiosi: quia id videtur esse affirmationem vel negationem suam non aliter confirmare, quam per fidem humanam, quam bonus Christianus vel Religiosus in dictis & promissis suis, adhibere seruatque debet: secus vero foret, si diceretur Per fidem Christiani: quia tunc Catholica fides in testimonium citaretur, ex Couar. loco cit. § 2. num. 2.

7. Statui tertio potest, quod docent Caiet. & Couar. in *istis dem locis*, & Nauar. in *Enchir. c. 12. nu. 2. versu 4.* non esse iuramentum si quis dicat Per meam fidem, nisi habeat intentionem expressam iurandi (quæ si adest iuratur, siue hoc, siue aliis iam dictis, aut post dicendis modis, eadem intentio exprimitur, vt idem auctores asserunt) aut aliquid addat, quod indicet fidem diuinam: vt diceo Per fidem qua credo in Deum: nisi enim tales circumstantiæ adsint, fides tantum humana censetur in testem adduci: adeo vt dicens Per meam fidem, non sit iudicandum ea verborum formula Deum in testem adducere, sed tantummodo se ipsum, quantum est fide dignus. Istud pluribus tractat Suarez in eodem lib. 1. *cap. 13. num. 9.* & aliquot sequentibus.

8. Statui quarto potest, quod non sit putandus iurare qui dixerit In mea conscientia ita est: quod loco cit. expressit Sotus: rationem addens; quia eorum verborum sensus est; Idcirco, quod sentio. Quod vero ipse addit iuramentum esse, si quis dicat. Per meam conscientiam ita est: non videtur simpliciter verum: sicut nec si diceret Per meam vitam, aut Per meam animam: nam, vt habet Nauar. in *Enchir. c. 12. nu. 4. versu 3.* non adducitur Deus in testem cum iuratur per creaturam absque intentione expressa vel tacita adducendi eam per respectum ad Deum in testem infallibilem veritatis, sed solummodo in testem: quod verba nō proferantur sicte, sed ex animo; atque testem talem, qualis ipsa est in se absolute. Quamquam non videtur negandum quin sit iuramentum execratorium, si ex intentione dicentis, verba eiusmodi sint execratoria: nempe dicta hoc sensu: Ita agat Deus cum mea conscientia, aut cum mea vita, vel anima mea, vt dignum est, si mentior aut fallo. Cuiusmodi execratio rationem habet iuramenti: quia nō fit per creaturam quomodocumque, sed prout in ea relucet diuina iustitia. Ad istud faciunt quæ in eod. *cap. num. 21.* & aliquot sequentibus habet Suarez.

9. Statui quinto potest cum Angelo verbo Per iurium in principio dicentes Per Deum cōmuni modo loquendi non iurare, cum non habeant intentionem iurandi, neque id ad-

dientes illud accipiant pro iuramento, tanquam minime prolatum inuocatiue, prout ad ipsum iuramentum exigitur: neque obstat quod proferant expressa verba iurandi: quia iuramentum nequit vere esse nullam interueniente intentione iurandi, vt ostensum est num. 2. in expositione secundæ particulæ definitionis.

10. Statur potest ad extremum (vt pleraque alia omittam quæ commodius in sequentibus annotabuntur, & de quibus videri potest Sanchez in cit. cap. 2. ad rationem iuramenti minime pertinere, vt fiat tactis Euangelis, aliisve diuinis Scripturis, aut aliæ sacra. Nam tradita iuramenti definitio ostendit ad illius intrinsecam rationem spectantantur, quod Deus in testem vocetur. Eam esse communem sententiam ex Alciato referens Couarr. ad cap. Quamuis pactum par. 1. §. 1. num. 1. addit nihilominus esse nonnunquam tutius ad hominum terrorem, vt eum tali solemnitate iuramentum interponatur: quia sic cautius ipsum seruabitur: eo præsertim nomine, quod tunc grauius peritium committatur, ex D. Thoma 2. 2. quæst. 98. art. 3. ad 2. quam si absque solemnitate præstitum esset iuramentum; tum propter scandalum, tum propter maiorem deliberationem.

CAPVT II.

De conditionibus quas iuramentum requirit vt sit licitum.

SVMARIA.

- 11 Refutatio erroris, quod sit illicitum iurare.
- 12 Quo sensu iuramentum prohibeatur Matth. 5.
- 13 Aliquando illicitum est non iurare.
- 14 Qui non admittantur ad iuramentum.
- 15 Tres conditiones requisite, vt iuramentum sit licitum.
- 16 Quando ea deficiant.
- 17 Casus in quibus non licet Clericis iurare.
- 18 Quartæ conditio vt iuramentum fiat per verum Deum.
- 19 Iuramentum per falsos Deos factum, est peccatum grauißimū.
- 20 Quod tamen non obstat quin virgine necessitate possit iuramentum exigi ab infidelibus.
- 21 Obiectio in contrarium cum solutione.
- 22 Quomodo sit aut non sit licitum iurare per creaturam.
- 23 Quatuor modi quibus potest quis iurare per creaturam.
- 24 Duo modi quibus iurans per creaturam censetur per Deum iurare.

11. **N**ON QUAM licitum esse iurare, error est quem merito damnari in bulla Martini quinti (quæ habetur in fine Concilij Constantiensis) patet: quia Deus ipse iurat, iuxta illud Psalm. 109. Iurauit Dominus & non pœnitabit eum: & illud Luc. 2. Iurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum. Iurat etiam Sancti iuxta illud Psalm. 118. Iurauit & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Quod & confirmatur exemplis, quæ in veteri quidem Testamento frequentia sunt, vt de Abrahamo Genes. 21. sub finem: de Iacob Genes. 31. vers. 53. De Moysè Exod. 2. vers. 21. & de Dauide 2. Regum. 3. vers. 35. & c. 19. vers. 7. In nouo Testamento autem de D. Paulo cum ait ad Rom. 1. Testis est mihi Deus] & in posteriori ad Corin. c. 1. Testem inuoco Deum] & ad Galat. 1. Ecce coram Deo, quia non mentior.] Patet quoque; idem ex eo quod iurare seruatis conditionibus iis, de quibus hic dicere institutum, actus sit virtutis; nempe religionis, vt post D. Thomam 2. 2. quæst. 89. art. 4. annotant Sotus lib. 8. De iustit. & iure quæst. 1. art. 4. Nauar. in Enchir. 12. n. 2. Gregor. à Valent. 2. 2. disp. 6. quæst. 7. puncto 3. aliue recentior. & inter eos late Suarez De religione tract. 5. lib. 1. c. 4.

Ad quod confirmandum induci potest illud Deut. 6. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruias, ac per nomen illius iurabis. Et hæc ratio addi potest: quia is qui iurat, Deum aduocat tanquam testem infallibilem; vn de iurando ei honorem impendit, ipso minime indignum: vt pote qui continet tacitam fidei professionem, quod ipse sit prima veritas, neq; fallere aut falli possit: adeo vt merito dictum sit in Psalm. 62. Laudabuntur omnes qui iurant in eo, id est per eum: Nec vero vlatenus dicendum esse, quod in noua lege iuramentum sit illicitum: ostenditur ex

instituto in cap. Etsi Christus, De iureiurando: latiusque tractant Gregorius à Valent. loco cit. & Suarez in præcedi. cap. 2. ac ante eos Couarr. ad cap. Quamuis pactum, par. 1. §. 6. vbi num. 2. varias adfert interpretationes verborum Domini apud D. Matthæum cap. 5. quæ in contrarium citari posse videntur. Dico autem vobis non iurare omnino, neque per cælum; neque per terram: &c.] ac paulo post: Sit autem sermo vester est, est, non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.

Sufficit autem nobis illa, quam recentioribus probari video: vt illis verbis Dominus corrigat errores Pharisæorum, existimantium iuramentum per creaturas non obligare; prout patet ex verbis eiusdem Domini Matth. 23. Vobis duces cæcorum, qui dicitis. Quicumque iurauerit per templum; nihil est.] Ad eum igitur reprehendendum ac reprobandum, docet non iurare omnino, hoc est, non iurare quodcumque iuramentum, prout habet D. Iacobus in sua epist. cap. 5. seu non modo per Deum, sed nec per creaturam iurare, nisi forte necessitas, quæ non habet legem, compellat: vt aliquando contingere potest ob imbecillitatem humanam: quando quidem homines per originale peccatum eius conditionis effecti sunt, vt in rebus occultis, fides eis non facile adhibeatur: adeo vt ad persuasionem illarum opus sit iuramento, seu inuocatione infallibilis veritatis. Id quod notatum à D. Thoma 2. 2. quæst. 89. art. 2. habetur ex cap. Etsi Christus, De iureiurando.

Cui interpretationi fauet, quod iuramentum etsi de genere bonorum sit, vt patet ex antedictis; non est tamen de genere eorum quæ sunt frequentanda sicut ieiunium, oratio, & elemosina: sed eorum quæ solum posita necessitate, in vfu esse debent: sicut sumere medicamentum, occidere hominem, capere alienum &c. Ratio autem est, quia ad reuerentiam Deo debitam pertinet, vt is (cum tantus sit) non adducatur in testem nisi necessitas exigat, idque in negotio non leuis momenti: in quo cum non possumus aliter fidem facere, recurramus, sicut in aliis angustiis, ad opem diuinam. Cum autem locus fieri, id est, iurari temere, soleat in cõmuni sermone: id corrigendo Dominus ipse subiungit, Sit autem sermo vester est, est, non, non; commendans nobis simplicitatem in loquendo: vt cum res ita habet prout proponitur, simpliciter dicatur ita est: cum vero secus se habet, simpliciter negetur; quia quod abundantius est, à malo est, id est, à diabolo, vt ibidem interpretatur D. Chrysostr. & Theophylactus (quos loco citato refert Couarr.) & sequitur magister meus P. Ioann. Maldonatus in suis commentariis: vt sensus sit, consuetudinem in cõmuni sermone sine necessitate temereque iurandi, cum simplex affirmatio vel negatio sufficit, non à Deo, sed à diabolo introductam esse: vt pote quæ ordinatur in perniciem animæ, & in detrimentum rerum ad corpus necessarium, iuxta illud Ecclesiastici 23. Vir multum iurans adimplebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga.] Id quod à Concionatoribus inculcandum est, & viribus omnibus incumbendum exterminatiõni illius prauæ cõsuetudinis; prout suo tempore incubuit D. Chrysostr. homilia 4. & sex sequentibus ad populum Antiochenum.

Imo vero per præceptum affirmatiuum contentum in negatiuo quod hic datur de non iurando in vanum; tenetur aliquando iurare, seruatis interea conditionibus necessariis: ita vt nolle id facere peccatum sit. Id quod contingit, vt notat Couarr. ad cap. Quamuis pactum, par. 1. §. 6. nu. 3. cum potestas publica à cine iuramentum exigit ad detegenda, coercendaque crimina, quæ vergunt in reipub. perniciem. Item cum quis requisitus est iurare ad confirmationem testimonij, quod tenetur dicere ad liberandum innocentem à damno, aut pro magno reipub. commodo, sicut colligitur ex cap. Intimauit. De testibus, & ex iis quæ traduntur à D. Tho. 2. 2. q. 70. art. 1.

Non est tamen negandum, merito fieri (de quo Sotus 8. De iust. & iure quæst. 1. art. vlt.) vt aliqui ad iuramentum non admittantur. Ac primo pueri quidem non admittantur ad iuramentum ante annum 14. ex cap. Paruuli & seq. 22. quæst. 5. etiam si tanquam habentes vsum rationis, perinde peccent male iurando, ac maiores natu, ex c. 1.

12.

13.

14.

De delictis puerorum: licet in foro exteriori non perinde puniantur tanquam periuri. Deinde vero, illi qui semel peccarunt, ex cit. cap. Paruuli, & ex cap. Testimonium, De testibus: quod procedit iuxta Sylu. in verbo *Iuramentum* 2. *quest.* 3. quando fuerint de periurio conuicti in iudicio: aut crimen ipsorum fuerit notorium. Et ratio esse potest ex D. Thomæ 2. 2. q. 89. art. 1. quod causa talis exclusionis non sit tam vindictio peccati, quam honor iuramenti; & quia periurus notorius, etiam in se emendatus, presumitur esse in periculo non exhibendi iuramento reuerentiam debitam. Denique nec Clerici in quibusdam casibus ad iuramentum admittuntur, de quibus ibidem Sylu. & nos inferius.

Conditiones requiruntur ut iuramentum sit licitum.

15. **C**eterum conditiones eæ quas iuramentum requirit, ut licitum sit: ac quarum defectu censetur perperam fieri, peccatumque esse: indicatur per verba illa Ierem. 4. Iurabis viuit Dominus, in veritate, in iudicio, & in iustitia. Ex quibus cum D. Hieronymo ad eum locum D. Thomas in præced. art. 3. & alij communiter deducunt, tres esse liciti iuramenti comites, seu necessarias conditiones, veritatem, iustitiam & iudicium; ita scilicet, ut iuretur id ipsum quod exterius significatur esse in mente: *quod ad veritatem spectat*: itemque id quod licitum fuerit & iustum, *quod iustitia postulat*: ac demum, *quod ad iudicium exigitur*: ut cum discretione, prudentia, & reuerentia iuretur. Necessitatis autem earum ad licitum iuramentum rationes persequitur Suarez in cit. lib. 1. cap. 3. sed ut ipsemet expressit in num. 9. sine illis ea factis constat ex autoritate D. Hieronymi, & communi Theologorum consensu: præsertim habente fundamentum in sacra Scriptura.

16. **C**eterum prima ex eis tunc deficit, cum quis iurat mendacium, id est, contra id quod mente cogitat, quantumvis illud idem quod iurat, verum sit: dummodo ipse iurans existimet id ipsum falsum esse, ex cap. Homines 22. q. 2. Deficit etiam cum quis vitur ambiguitate verborum, nec iurat secundum intentionem eius qui iuramentum petit. Secunda vero deficit primo, cum quis iuramento confirmat illud quod dicere non debet, quantumcumque sit verum: ut peccatum occultum proximi. Deinde cum quis iuramento promittit aliquid, nec illud implet postea. Tertio, cum similiter promittit aliquid quod vel nullo modo implere potest, aut saltem non potest licite. Tertia demum deficit, tum ex parte causæ cum quis iurat sine necessitate, aut graui vtilitate: hoc est, vel leui de causa arbitrio prudentis, vel etiam nulla: ut cum alij credunt sine tali iuramento, aut quoties iuramentum est alias otiosum, cum sit contra reuerentiam Deo debitam, inuocare ipsum in testem pro confirmandis rebus otiosis aut vanis; tum ex parte modi iurandi, prout contingit, cum quis vel temerarie, vel negligenter, vel irreuerenter iurat: ut censetur. Temerarie quidem, is qui iuramento confirmat tanquam certum, quod incertum est, & de quo dubitat. Negligenter vero, qui iurat non adhibita diligentia ad cognoscendum, an id quod iurat sit verum. Irreuerenter autem, qui iurat parui faciens an cum debito honore loquatur de Deo, necne.

17. **T**um denique ex parte personæ, ut si Clericus iuret in manibus laici, ex cap. penultimo 22. *quest.* 5. Idque in duobus tantum casibus ex Sylu. *Iuramentum* 3. q. 3. Prior est, quando iurat laico tanquam Superiori, ex cap. Si diligenti De foro competenti. Posterior ex cap. 1. De iuramento calumniæ, quando præbet iuramentum calumniæ, id est, iurat se bona fide agere vel respondere, egisse vel respondisse. Quibus addi potest tertius ex cap. fin. 14. *quest.* 2. quando Sacerdotes iurant pro testimonio veritatis. Quitamen casus, ut præcedens, locum habet tantum in causis temporalibus. In causis enim beneficalibus, & causis spiritalibus, Clerici etiam Sacerdotes, tum de veritate, tum etiam de calumnia iurare possunt ex cap. 1. & 2. De iuram. calum. in 6. Imo & in temporalibus, si dispensatio Episcopi accedat rationabili aliqua de causa, iuxta memoratum cap. finale. Videndus est Sylu. loco cit. Et an notandum: irreuerentiæ rationem in hac re sumi ex eo quod decet statum clericalem, adeoque ex honore deferendo eidem statui: ob quem Sacerdotes le-

ui de causa iurare non debent, cap. Si quis presbyter 2. q. 4. Et Episcopis nunquam debet offerri iuramentum, ex præced. cap. Nos sacramentum: nisi pro recta fide, & in nonnullis casibus quos tangit Suarez in fine cit. libri 1. in quibus non immorabimur, quia spectant magis ad forum externum, quam ad internum, ut idem ibidem fatetur.

Porro pro primæ conditionis defectum constituit iuramentum aut falsum, seu mendax, aut ambiguum, seu dolosum: per defectum vero secundæ, iuramentum iniustum, aut pernitiosum: & per defectum tertiæ iuramentum temerarium, superfluum & incautum. De quibus quando sint peccata mortalia, aut tantum venialia, vel etiam excusentur à peccato, patebit per ea quæ in seq. cap. 4. dicentur de obligatione iuramenti, & per post tradenda de periurio, à quo non distinguuntur.

Addi merito potest quarta conditio religiosi iuramenti liciti, ut fiat per verum Deum, iuxta illud Ierem. 4. Iurabis viuit Dominus: & illud Deut. 6. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruias, & per nomen illius iurabis. Et ratio fauet: quia talis conditionis defectu, constituitur iuramentum prophanum seu irreligiosum, & impium per falsos Deos, seu per creaturas. Etenim ex Caiet. in verbo Iurare: ipsum perinde ac periurium, est vitium oppositum ei actui religionis quem nos vocamus iuramentum religiosum licitum. Quæ conditio explicatione indiget pleniore, ideoque addenda.

Appendix de iuramento per falsos Deos, seu per creaturas.

18. **C**um certum sit actum omnem, quo cultus vero Deo debetur, creaturæ deferatur peccatum esse contrarium actui religionis, quo idem cultus ipsi vero Deo exhibetur: dubium esse non potest quin iuramentum per falsos Deos, peccatum sit illius generis: utpote quo id creaturæ tribuitur, quod soli Deo vero conuenit: nimirum infallibilem veritatem esse, quæ iurando adducitur in testimonium: atque adeo peccatum esse grauius quam periurium: quia blasphemiam quædam est, sicut in verbo Iurare, notat Caiet. utpote quo id transfertur in creaturam, quod soli vero Deo proprium est, nimirum veritatem esse infallibilem. Quæ in re cerni blasphemiam ratione, patet ex his quæ ab eodem autore dicuntur in verbo Blasphemia, & à nobis in sequenti tractatu dicenda sunt. Iam vero blasphemiam grauius peccatum esse quam periurium, bene probat Sorus lib. 8. de iust. & iure *quest.* 2. art. 3. concl. 1. Cui adde in istiusmodi quoque iuramento inuolui idololatriæ rationem, consistentem in eo, quod alteri quam Deo tribuatur diuinus latræ cultus. Namque in testem infallibilem veritatis inuocare creaturam aliquam, est ei diuinum latræ cultum deferre; tribuendo nimirum ei quod solus veri Dei, rerum omnium moderatoris summi, proprium est: pura infallibilem habere occultorum noticiam, & potestatem illa detegendi, puniendi; omnem fallaciam & fraudem.

20. **E**x his tamen colligendum non est illicitum esse simpliciter iuramentum petere ab infideli, etiam si iuraturus sit per falsos Deos, quando petitur iusta de causa. Id enim est petere quod alter potest præstare legitime per Deum verum iurando, prout exigit natura iuramenti, inuocationem illius includens, ex definitione tradita num. 1. Neque vero quod infidelis peccet iurando per falsum Deum, facit reum peccati cum qui iuramentum exegit, cum liceat in suum bonum uti eiusmodi exactione, ut ex D. Aug. in epist. ad Publicolanum habetur 22. q. 1. cap. Monet te: & tractant tum D. Thomas & interpretes ipsius 2. 2. q. 98. art. 4. atque (alios commemorans) Couarr. ad cap. Quamuis pactum 1. par. §. 2. nu. 7. & sequentibus. Nobis autem sufficit, quod id aperte confirmetur per illud quod Abraham Genes. cap. 21. non est veritas ab Abimelech idololatra iuramentum exigere in confirmationem initi cum eo feceris: nec Iacob à socero suo Laban, item idololatra, ex Gen. cap. 31. nec Machabei à Romanis ab idololatriæ, ex lib. 1. Machab. cap. 8. & 12. quos facile nouerant esse iuratos per falsos suos Deos.

21. **S**ed obici potest, iurare per falsos Deos malum esse, per antedicta: & ex consequenti illicitum esse efflagitare

iura-

iuramentum ab eo qui per illos iuraturus est, cum id censei possit inductio quædam ad malum. Respondetur negando cõsecutionem: quia petens absolute iuramentum, petit id quod licite potest ab infideli præstari, iurando per verum Deum, ita vt ea peritione non inducatur ad peccatum.

Si infes, quod videatur peccati occasio infideli omnino exhiberi dum postularur ab eo iuramentũ, quod probabiliter constat præstaturũ esse per falsum Deum, & consequenter commissurum esse peccatum, quod alioqui nõ committeret. Respondetur, eam occasionem nõ esse datam sed acceptam ex facto alieno: quod cohonestatur per causam legitimam ob quam ipsius exereetur: qualis causa est confirmatio pacti alicuius, vel fœderis iusti, cum eodem infideli iniuri. Ad quod factum ea quæ in præcedenti lib. 14. cap. 4. dicta sunt, De scandalo dato & accepto. Verum tamen non inficiamur illicium esse ab infideli potestere determinate, vt per falsos Deos iure; quia eiusmodi peritio id includit, quod nequit dari sine peccato: perinde ac cum à malefico perit quis, vt vnum maleficium soluat per aliud: quod non licere habitum est in præced. lib. num. 182.

21. Aduerte autem cum Caiet. in cit. verbo Iurare, non esse malum iurare per creaturam, quando intentio iurantis, est Deum in creatura, prout ipse in ea relucet, asserre in testem: non vero creaturam ipsam secundum se. Sic enim licite iuravit Ioseph per salutem Pharaonis Genes. 42. & Moyse Deut. 4. & 30. per cælum & terram dicens: Inuoco cælum & terram hodie in testes. Itemque de consuetudine iurant Christiani per Euangelia, per Sanctos, & alias res sacras. Id quod licitum esse cum D. Thoma 2.2. quæst. 89. art. 6. tenent Sorus lib. 8. De iustit. & iure quæst. 1. art. 6. Couar. ad cap. Quamuis pactum 1. p. §. 1. num. 5. Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 4. & alij, de quibus est Suarez, De religione tract. 5. lib. 1. cap. 5. num. 10. Neque obstat illud Matth. 5. Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cælum, &c. quia, vt iam ante attigimus, intelligitur de iuramento sine necessitate, temereque facto: quale per creaturam factum, vsurpare Iudæi (quos Dominus ipse illic reprehendit) pro nihilo ducebant; vt colligitur ex verbis eiusdem Domini Matth. 23. Væ vobis duces cæci qui dicitis, Quicumque iurauerit per templum, nihil est.]

23. Atque vt hæc facilius intelligantur, notandum est, quatuor modis aliquem posse iurare per creaturam: quorum primus contingit cum quis iurat per creaturam, vt per Deum quemdam (quod est iurare per falsum Deum) sicut Gentiles iurabant per sua idola: hocque modo constat ex dictis, peccatum grauissimum committi, rationem habens blasphemiam, & idololatricam potius, quam iuramenti: cum falsus Deus non sit Deus: & ea ratione attribuitur illi infallibilis veritas, solius veri Dei propria. Bene vero monet Couar. in citato §. verus finem: eum qui tale iuramentum vsurpat, etiam si falsum assermet, non committere periurium, si omnino existimet falsum Deum esse, per quem iurat: prout vsuuenit Christiano iuranti per Iouem, Herculem, Saturnum, &c. quos probe scit Deos esse falsos. Ratio est, quia in eiusmodi iuramento, nec reuera, nec opinione, diuinum testimonium aduocatur. Secus contingeret vero, si taliter iurans putaret veros Deos esse, per quos iurat: quia ob intentionem quam haberet iurandi per verum Deum, periurum efficeretur si fallat: vt idem quoque author ibid. habet per cap. Ecce, 22. quæst. 5.

Secundus modus est, cum quis iurat per creaturam secundum se & sine respectu ad Deum: & ita vaniloquium potius est, quam iuramentum, quando ne quidem tacita in eo est Dei inuocatio in testem: sed solum expressa creaturæ inuocatio: vt cum quis iurat per suam fidem humanam, aut per suam conscientiam, aut per aliud creatum, non referendo illud ad Deum vt testem infallibilem veritatis. De quo Suarez pluribus in tract. 5. de relig. lib. 1. cap. 5. nu. 3. & quatuor sequentibus: pro eoque alios Sanchez citat in opere morali lib. 3. c. 2. n. 9.

24. Tertius est, quando quis iurat per creaturam referendo eam ad Deum, quatenus in illa bonitas, aut veritas ipsius relucet, vel iustitia exereetur: vt vsuuenire potest di-

centi Per hunc, qui nos illuminat, ignem Dei, ita est: vel iste ignis me consumat, nisi ita sit: hocque modo est iuramentum proprie, quia nimirum implicite continet aduocationem Dei in testem, iuxta illud quod ait Dominus Matth. 23. Eum qui iurat per templum, aut per cælum, iurare quoque per Deum qui est in templo & in cælo.

Quartus est, quando quis iurat per quasdam creaturas aduocando eas in testimonium, propterea quod sunt testes, qui speciali Dei gratia, beneficiove mentiri non possunt. Nam hæc quoque ratione iuratur tacite per Deum: idque longe præstantiori modo, quam per alias creaturas. Quod contingit cum iuratur per Beatos in cælo regnantes: nam quamuis illi non sint natura sua infallibilis veritatis, sicut ipse Deus; tamen per Dei gratiam tales facti sunt, vt fallere non possint, nec à veritate aberrare; ea supernaturali luce perfusi, qua vident clarissime omnia quæ ad ipsos ordinantur. Atque hoc modo iuravit Apostolus in priori ad Timoth. cap. 5. per sanctos Angelos. Testor, inquit, coram Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis. Tam hoc igitur quam præcedenti modo si male iuretur, periurium committitur, sicut male iurando per Deum. Quale autem peccatum illud sit, patebit postea. Hic occurrit tantum in genere monendum, quod habetur ex cap. Monet te, 22. quæst. 2. quo creatura per quam iuratur sanctior fuerit, eo grauius esse peccatum periurij.

CAPVT III.

De multiplici iuramenti diuisione.

SVMMARIVM.

- 25 Diuiditur iuramentum primo in deliberatum, & in indeliberatum: secundo in materiale & formale, ac mixtum ex vtroque.
- 26 Tertio in expressum & in tacitum; quod perinde ac illud, est verum iuramentum, ac illo periculosius.
- 27 Quarto in licitum & illicitum; quinto in priuatum, & publicum; sexto, in iudiciale & extraiudiciale; septimo in absolutum, & conditionatum.
- 28 De 8. diuisione in sincerum & dolosum documenta.
- 29 Diuisio iuramenti in assertorium & promissorium.
- 30 Circa eandem diuisionem documenta aliquot.
- 31 Diuisio in simplex & execratorium.
- 32 Diuisio in iuramentum liberum & coactum.
- 33 Diuisio in solemne, & non solemne seu simplex.

25. **M**ARIÆ inueniuntur diuisiones iuramenti. Prima est, quod aliud sit deliberatum, & aliud indeliberatum, seu subreptitium. Censetur autem deliberatum, cum quis aliquid deliberate iurat, intendendo illud confirmare per diuinæ autoritatis testimonium. Indeliberatum vero, cum quis iurat non attendendo quem inuocet, & ad quid inuocet, sed ex quadam inconsideratione, vt in communi sermone contingere plerumque solet.

Secunda est, in iuramentum materiale tantum, formale tantum, & materiale simul & formale. Quorum primum est, cum quis absque intentione iurandi, vtitur verbis, quæ formam habent iuramenti. Secundum vero, cum quis profert verba quæ ex se nullam habent formam iuramenti, sed assumit ea per formam iuramenti, seu cum intentione & animo iurandi. Tertium est, quando quis profert verba quæ formam habent iuramenti, & assumit ea cum intentione iurandi. Formam autem iuramenti habere censetur verba quibus Deus in testem inuocatur, siue expresse, vt ista: per Deum, viuere Deus, per viuentem in sæcula sæculorum, testem inuoco Deum, coram Deo loquor, in sacris literis vsurpata, aliaque eis æquiualentia. Siue etiam tacite, vt ista: per crucem Christi, per sancta Euangelia, per Sanctam Virginem, per sanctum Antonium, & alia familia, iuxta proxime dicta num. 24. Siue demum expresse simul & tacite; vt ea, qua creaturæ sanctæ cum Deo coniunguntur, vt sit in illis verbis prioris ad Timoth. cap. 5. Testor coram Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis.

Aduerte vero iuramentum materiale tantum, non nisi nomine esse iuramentum: cum, vt habitum est in cap. primo, intentio iurandi aduocandi Deum in testem, sit ad verum iuramentum necessaria. Quo fit vt solo nomine sit iuramentum, nec obliget, nisi ex eironca conscientia existimantis esse verum iuramentum.

26. Tertia diuisio, *satis nota ex antedictis*, est, quod aliud sit, quo Deus expresse, & aliud quo tacite inuocatur in testem. Quod vtrumque est vere iuramentum, cuius violatione committitur peccatum perituri: grauius tamen ceteris paribus, cum per Deum expresse, quam cum tacite peieratur; etiam si istud non minore studio, quam illud cauendum est, propter periculum vel idololatriæ vel irreuerentiæ erga Deum: quod maius est in hoc, quam in illo. Neque enim homo ita excitatur ad reuerentiam Dei, iurando per creaturas in quibus ipse relucet, quam expresse iurando per ipsum; ita vt iurare per creaturas concedendum sit tantum viris perfectis, qui Deum in creaturis contemplantur presentem per essentiam, & potentiam suam infinitam.

27. Quarta diuisio est, in licitum & illicitum: quod vtrumque satis notum est ex dictis in preced. cap. Tantum notandum est non debere seruari factum de re illicita, sed pro eo penitentiam agi, iuxta cap. Sicut ex literis, De iureiur. neque talem omissionem dispensatione indigere, ex cap. Quanto personam tuam, eodem tit. Ex quo etiam habetur quod factum in re licita, que peiuratur illicita seruandum sit, & simul agenda penitentia de animo prauo.

Quinta diuisio est, in priuatum, quod in occulto priuatimque fit: & in publicum, quod publice, & coram multis fit: hocque cum falsum iuratur, peccatum est, non modo enorme, sed etiam reddens personam infamem.

Sexta est in iudiciale & extraiudiciale, quam plenius declarat Sylu. Iuramentum 1. num. 3. Iudiciale autem dicitur, quod præstatur in iudicio: idque vel in principiis, vt iuramentum calumniæ; vel in litis progressu, vt decisorium: quod aliquando est liberum, aliquando necessarium, ex cap. finali De iureiur. Tuncque liberum censetur, cum is cui deferretur iustam causam habet recusandi: alias censetur necessarium. Quod relinquimus iuris peritis, vt rem que ad forum externum pertinet. Extraiudiciale vero est, quod pars parti extra iudicium defert sine coactione illud præstandi.

Septima diuisio est: In absolutum, cui scilicet nulla conditio additur: & in conditionatum, seu cui additur conditio: quod quidem non obligat nisi conditio impleatur, ex cap. Peruenit 2. De iureiuran. notatque Sylu. Iuramen. 4. quæst. 22.

28. Octaua diuisio est, in sincerum, quod fit sine furo, fraude, & mendacio; & in dolosum, quod fit animo decipiendi. Quod rursus duplex est: vnum quod fit cum mendacio: alterum quod fit quidem sine mendacio, sed per verba ambigua: de quo plenius postea.

Circa hæc diuisionem notanda sunt aliquot documenta. Primum est, cum quis iurat proximo, si vterque agat sincere, & sine dolo: aut contra vterque agat dolose: in foro quidem externo iuramentum esse interpretandum secundum verborum proprietatem; sed in foro conscientie secundum intentionem iurantem, iuxta illud quod in cap. Humanæ aures 22. quæst. 5. dicitur; quod non debeat intentio verbis deferri, sed verba intentioni.

Secundum est, quando in iuramento doloso, dolus contingit tantum ex parte illius qui iurat: vel tantum ex parte illius cui iuratur: si quidem iuramentum sit promissorium, illud interpretandum esse, iuxta intentionem sincere agentis, & contra illum qui dolose agit: vt patet ex iis que apud Gratianum habentur in cit. cap. Humanæ aures, & in cap. Qui peierare, eadem quæst. Et confirmatur: quia nec fraudem prodesse, nec bonam fidem obesse auctori suo consentaneum est. Si vero iuramentum sit assertorium, ex quacumque parte dolus inueniatur, ipsum interpretandum esse iuxta intentionem iurantem: in foro saltem conscientie; quia, vt iam antea monuimus in fine numeri 25. nemo iurat nisi habeat intentionem iurandi, eoque modo iurat quo intendit iurare.

Tertium documentum est, quando verba sunt ambi-

gua, in materia venditionis quidem, iuramentum esse interpretandum contra venditorem pro emptore: in materia vero delicti, esse interpretandum contra delinquentem. In iudiciis autem, in principio quidem actionis interpretandum esse pro actore: in fine vero pro reo; & in medio pro vtroque. De quibus videri potest Syluest. in verbo Iuramentum tertio, quæst. 2.

Nona diuisio iuramenti est, in assertorium & promissorium. Assertorium dicitur, quo confirmamus id quod asserimus vel negamus: & respicit præsens vel præteritum. Tale est illud D. Pauli ad Galat. 1. Ecce coram Deo quia non mentior. Promissorium vero dicitur, quo confirmamus id quod promittimus, & respicit futurum; tale fuit illud Davidis 3. Reg. 1. cum iurauit quod Salomon ei successurus esset in regno. Ac quando promissio est de re bona, iuramentum dicitur promissorium absolute. Cum vero est de re mala, dicitur comminatorium; cuiusmodi fuit eiusdem Davidis 1. Reg. 2. cum iurauit se delecturum omnia que erant Nabal. Est autem promissorium iuramentum ab assertorio non differat essentialiter (cum omnia iuramenta sint eiusdem speciei vt potest formaliter vnius rationis, consistentis in Dei inuocatione in testem; nec nisi accidentaliter modo discrepent) ita vt opus non sit confessione ad illius explanationem distinguere; vt cum Caiet. & Soto resoluunt Couar. ad cap. Quamuis pactum §. 1. num. 3. & alij quos refert Sanchez in opere Morali lib. 3. cap. 1. num. 9. Differt tamen accidentaliter. Nam vt idem Couar. notat in seq. §. 3. num. 3. cum in assertorio dispensatio nunquam locum habeat, aliquando habet in promissorio, vt postea docebitur. Deinde cum in assertorio vna tantum sit obligatio, qua ille qui iurat tenetur mentem conformare verbis quibus iurat: in promissorio fit, tum illa ipsa, tum alia: nempe vt opere postea impleatur, quod promittitur: alioqui enim ex cap. Querebant, De iureiurando, promittens erit periturus. Quod intellige ex cap. Contingat eodem tit. nisi id quod iuramento promissum redundet in alterius præiudicium: aut obseruatum vergat in dispendium salutis æternæ.

Ex qua doctrina tum alia multa, tum sequentes resolutiones deducuntur. Prima est, ex eodem cap. Contingat: quod etsi iusiurandum quo mulier alienationem dotis confirmat, sit iure civili irritum: in conscientia tamen sit validum: quoniam fauor ille cuius proprie spectat solummodo ad temporale bonum, cui sine peccato, & præiudicio alterius, renuntiare potest.

Secunda est: non esse seruandum iuramentum quo Clericus foro Ecclesiastico renuntiauit: quia ipsum seruari non potest sine graui inobediencia, & totius clericalis ordinis iniuria; ex cap. Si diligenti, De foro competenti.

Tertia est: iuramentum de re licita, etiam metu extortum, seruandum esse, quod confirmari potest ex cap. 3. & 4. De iis que vi metuve causa sunt, etiam si iure civili pro nullo habeatur, ex Authentica Sacramenta puberum Cod. Si aduersus venditionem. De re illicita vero, etiam voluntate omnino libera præstitum, non esse seruandum. Quod ad eo verum est, vt ipsum pro regula vsurpetur De regulis iuris in 6. cap. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum.

Quarta est: iuramentum quo quis vsuras soluere promissit, seruandum esse: quia quamuis turpitudinem habeat ex parte recipientis illas; non tamen ex parte adimplentis iuramentum suum. Vnde ius illi succurrit in damno cui exponitur: non quidem liberando ipsum ab obligatione iuramenti; sed dando potestatem repetendi vsuras solutas tanquam indebitas; ex cap. Debitores, De iureiurando: aut impetrando à Iudice, vt vsurarius creditor, ei iusiurandum relaxare cogatur ex cap. 1. eod. tit.

Promissorium potro duplex est: vnum quod priuati sponte inter se præstant, ad facti alicuius vel contractus confirmationem. Alterum quod Principi vel Magistratui præstatur ratione beneficij, vel dignitatis, vel officij ab eo accepti. Exemplo potest esse primo, illud quo vassallus domino feudi fidelitatem iurare tenetur, ex cap. Veritatis, cap. Ea te, & cap. Nimis, De iureiur. Secundo, illud quo Episcopi omnes ipso die suæ consecrationis debent Pontifici

Romano promittere fidem & obedientiam. Cuius formula traditur in cap. Ego, eodem tit. Tertio, illud, quod omnes inferiores Prælati ratione dignitatis quam obtinent, præstare debent Episcopo proprio: ex cap. Nullus, eodem tit. Plura alia quæ ad iuramentum ipsum promissorium pertinent traduntur in sequentibus.

Decima diuisio iuramenti, est in simplex & execratorium, seu imprecatorium: quorum illud est, quando Deus inuocatur tantum in testem: istud vero quando non tantum inuocatur in testem: sed etiam in Iudicem & vindicem: quale est illud in libris Regum aliquoties vsurpatum, Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, &c. J Item illud D. Pauli in poster. ad Corinth. cap. 1. Testem inuoco Deum in animam meam, J id est, contra animam meam: & illud quo, facta fidei professione, iuxta Conc. Trid. dispositionem & Pauli quarti constitutionem, quæ incipit, Iniunctum iuratur dicendo, Idem spondeo, voueo, & iuro, ita me Deus adiuet. Quæ verba, licet de benedictionis sint, execrationem tamen illam includunt: alioqui Deus me non adiuet, ex Caiet. 2. 2. quæst. 89. art. 1. & Soto in lib. 8. De iust. & iure quæst. 1. art. 1. in fine. Sunt item ista, Si non ita est, moriar, suspendar, & alia similia: quibus quis significat se adeo abominari mendacium, vt si mentiatur optet sibi rem horrendam accidere. Dummodo enim serio & animo iurandi loquatur, profert iuramentum eiusdem speciei & naturæ cum iuramento simplici: vt citati auctores expresse ibidem docent. Et ratio confirmat: quia vtumque similiter est actus religionis, quo vtimur Deo tanquam teste: ita vt necesse non sit in confessione interrogare fuerit peritium simplex, an execratorium: bene autem, an fuerit blasphemum aut perniciosum: quia tales circumstantiæ de se aggrauant mortaliter, mutando speciem.

Aduerte vero obiter, peritium illud censerit blasphemum, in quo verbum profertur, quo negatur Deo aliquid quod ei conuenit: aut aliquid affirmatur, quod in eum non cadit. Quæ de re plura exempla refert Azor in tomo 1. Moral. institut. libr. 11. cap. 3. quæst. 2. (quibus simile est illud Gallicum *terenie Dieu*) subditq; istam iurandi formulam. Sicut Deus est veritas, aut sicut Euangelia sunt vera (& sic de similibus) ita verum est quod dico: continere blasphemiam apertam, si sensus sit tantam esse veritatem in tuo dicto, quanta est in Deo, vel in sanctis Euangelij: non item si tantummodo significes in tuo dicto esse veritatem suo modo, sicut in Deo & in Euangelij est suo, in finitis partibus præstantiore.

Vndecima diuisio iuramenti, est in liberum & coactum: illud est, quod sponte fit: hoc vero, quod coacte, seu quod vi vel metu extorquetur: siue iuste, vt quando quis a suo Iudice cogitur iurare, siue iniuste, vt quando iuramentum is extorquet, qui non habet potestatem adigendi ad illud. Atque constat quidem iuramentum liberum, itemque iusto modo coactum obligare: sed de coacto iniusto modo, an obliget difficultas est, quæ postea suo loco explicabitur: sufficit hic notare, esse aduersus illud quatuor remedia licita.

Primum est, accusatio: nam qui iurare coegit, si accusetur coram Iudice, compellatur relaxare eiusmodi iuramentum, ex cap. 1. & cap. Debitores. De iure iur. Secundum est, denunciatio facta Ecclesiæ, quæ vt potest ille etiam, qui iurauit se Ecclesiæ (quæ per excommunicationem compellit ad relaxationem) non esse delaturum suum coactorem: quia tale iuramentum non valet, ex cap. Quemadmodum, eodem tit. §. finali. Ad idque confirmandum facit quod tangitur in eodem cap. §. Quod si: nempe si quis secundum Euangelij regulam correctus primo & secundo modo, ex præceptis Matthæi 18. respicere nolit, dicendum esse Ecclesiæ: vt eam non audiens vitetur tanquam Ethnicus & Publicanus: neque per impunitatem peccati, præbeat ei peccandi facultas. Cui sanæ regulæ tale iuramentum aduersatur. Tertium est, dispensatio Papæ, ex cap. Verum, eodem tit. vel etiam Episcopi, iuxta tradita à Syluest. in verbo Iuramentum 5. quæst. 3. Vltimum remedium est, verborum ambiguitas, quam in tali casu licitam esse constabit postea.

Duodecima diuisio, est in solemnem, seu corporalem, quod fit super rem sacram, vt super crucem, Euangelia, reliquias, aut aliud eiusmodi: & in non solemnem seu simplex, quod fit solis verbis aut signis æquivalentibus: non autem super aliquam rem sacram: Exemplum talis solemnitatis habetur in Clemen. prima, De hæreticis §. Porro, vbi de ea multa habet Glossa, ad verbum *Talibus*: & plura Suarez, in citato lib. 1. cap. 12. num. 6. & 7. in quibus hæretice non est necessarium ad nostrum institutum. Pro quo potius addendum est, tam simplicis, quam solemnem iuramenti transgressionem, facere quidem peritium coram Deo, iuxta cap. Si aliqua 22. quæst. 1. tamen transgressionem solemnem iuramenti peccatum esse grauius: tum propter maius scandalum, tum propter maiorem deliberationem, prout post D. Th. 2. 2. quæst. 98. art. 3. ad 2. affinitat Couarr. ad cap. Quamuis pactum 1. p. §. 1. num. 1.

CAP. IV.

In quo explicantur difficultates quædam de iuramento promissorio.

SUMMARIUM.

- 34 Regule de modo interpretandi iuramentum promissorium.
- 35 Iuramentum adstringit solum iurantem.
- 36 Iuramentum de seruandis statutis, stricte interpretandum est.
- 37 Decumina notanda de obligatione seruandis eadem statuta.
- 38 Quando contingat à periurio excusari non seruantes statuta iurata, eo quod non seruatur ab aliis.
- 39 Regula notanda de iis ad quæ iuramentum extenditur, & de obligatione dubitantis de suo iuramento.
- 40 Altera regula de materia, quæ non est capax iuramenti obligatorij: qualis censetur peccatum, etiam tantum veniale.
- 41 Implere iuramentum factum de re illicita non aggrauat delictum, sed relinquit illud in sua natura.
- 42 Propria auctoritate potest non seruari iuramentum factum de re illicita.
- 43 Corollaria deducta ex eo, quod iuramentum de re illicita perpetranda non obliget.
- 44 Iuramentum factum de omitendo opere supererogationis, non est obligatorium.
- 45 Quale peccatum sit tale periurium.
- 46 Iuramentum factum de re indifferenti non est obligatorium.
- 47 Limitatio cum qua id accipiendum est.
- 48 Iuramentum cuius euentus est malus non obligat.
- 49 Nec item illud, quod seruare temerarium est.
- 50 Necessarium intrinsece alicuius qualitatibus existentis in persona: siue iurantis siue eius cui iuratur: si illa de ficiat.
- 51 Quæ sit obligatio iuramenti de secreto seruando.
- 52 Iuramentum non obligat, cum est impeditum maioris boni.
- 53 Iuramentum de contrahendo matrimonio obligat quidem, non impedit tamen ingressum religionis.
- 54 Quatenus iuramentum conditionatum obliget.
- 55 Euentus, qui præuisus ab initio impedit iuramentum, soluit illius obligationem.
- 56 Impossibilitas facit cessare obligationem iuramenti, non item magna difficultas.
- 57 Quomodo euentus inducere possit obligationem iuramenti.
- 58 De iuramento quod fit deferendo alteri honorem: quodque sentiendum sit de eo, quod dolo, vel errore extortum fuerit.
- 59 Quid item de eo quod extortum est metu.
- 60 Iuramentum extortum metu, etiam cadente in constantem virum, obligatorium est: & cur in eo id locum habeat potius, quam in voto.
- 61 Eiusmodi obligatio est sub mortali, nec ea impedit quominus repeti possit, ad illius implementationem datum.

- 62 Renunciatio & remissione illius cui facta est promissio, relaxatur iuramentum promissorium.
- 63 Argumentum in contrarium cum solutione: & exceptio duorum casuum.
- 64 Idem iuramentum relaxari potest irritatione, commutatione, dispositione.
- 65 Iuramenti assertorij obligatio relaxari nequit.
- 66 De irritatione iuramenti.
- 67 Quando possit iuramentum promissorium mutari propria auctoritate.
- 68 Cuius sit dispensare in iuramento promissorio.
- 69 Talem dispensationem requirere iustam causam, quomodo sit accipiendum.
- 70 Duo casus in quibus iuramentum promissorium relaxari potest, sine consensu eius cui iuratum est.
- 71 Quid requiratur ad relaxationem iuramenti promissorii, cum id quod promissum est, aperte licitum fuerit & utile. Quodque violatio iuramenti non obstat quin ipsum relaxari possit.
- 72 Tenendum de eo qui iuravit se non petiturum dispensationem.

PRÆTER ea quæ dicta sunt, nonnulla de iuramento promissorio restant, quæ specialem difficultatem habent; in quibus explicandis habendum nobis est, antequam aggrediamur ad dicendum de periurio. Ea autem sunt: primo quomodo interpretandum sit iuramentum promissorium: deinde quibus modis obligatio illius ita cesset, ut ab eo peccatum possit non impleri: qui modi sunt quidem varij: sed ad quatuor capita ex Caiet. in verbo Periurium omnes reducuntur: quorum primus est, ex parte eius quod iuramento promittitur: secundus, ex parte eius quod accidit post factum iuramentum: tertius, ex parte rationis: qua factum est iuramentum: quartus, ex parte relaxationis eiusdem iuramenti. De quibus singulis singulæ difficultates occurrunt tractandæ, præmissa illa de interpretatione.

Difficultas prima, Quomodo interpretandum sit iuramentum promissorium.

34

Quia obligatio iuramenti pendet maxime ex intentione iurantis, fit ut quoad forum conscientia, nihil sit opus interpretatione, quando ille ita certus est de sua intentione, ut explicare possit, quid iurare voluerit, & pro quo tempore, ac sub quibus conditionibus, vel circumstantiis. Sed quia sæpe contingit, ut ipse iurans non valeat aliam intentionem explicare præter eam, quæ verbis quibus iuravit accommodata est; eo quod voluit simpliciter iurare prout verba sonant: fit, ut sæpe opus sit ipsorum verborum interpretatione: de cuius faciendæ modo hæc difficultas proponitur: cui satisfacimus propositione aliquor regularum.

Prima est, In iureiurando semper intelligi exceptam auctoritatem, seu ius & interesse Superioris, ex cap. Venientes §. Quia vero, De iureiur. Sic qui iuravit non exire domo, citatus à Iudice ut compareat, non efficitur periurus comparando. De qua re bene Iacobus à Graphiis libr. 2. Decis. aurearum cap. 18. num. 32. & sequentibus: & Suarez suo modo erudite in tomo 5. De religione libr. 2. cap. 34. num. 5. 6. & 7.

Secunda est, In iureiurando intelligi, si alter cui iuratum est vicissim iuravit, ex sua parte fidem servaverit: ex cap. Peruenit 2. De iureiur. & ex lege Cum proponas Cod. De pactis. Vide Sylu. in verbo Iuramentum 3. quæst. 1. vers. 4. & Angelum Iuramentum 5. num. 17. vbi monet hoc non procedere, cum quis simpliciter, nec habito respectu ad alterius promissionem, iuravit. Pro quo Sanchez in opere Morali lib. 3. cap. 17. num. 16. alios refert: ac id ipsum negat cum Molina de iust. & iure tract. 2. disp. 272. ad finem: eo quod promissio facta simpliciter, habeat eam tacitam conditionem: si alter cui illa fit, se postmodum non præbeat ingratum: ita ut ratione ingratitude possit quis recedere à promissione. Verum in illo casu consulem petere dispensationem à iuramento, ob cuius sanctitatem, cavendum est omni cura ab illius violatione.

Tertia est, Eum qui alteri obedientiam iurat, aut seilicet arbitrio pariturum iureiurando promittit, non esse censendum obligare se ad res illicitas, quas ille præciperet, ex cap. Veniens, & cap. Quinquagesima eodem tit.

Quarta est, Iuramentum promissorium intelligi, si res in eodem statu remanserit, ex cap. Quemadmodum eodem tit. in quo statuitur illum qui sponsam se in uxorem ducturum iuravit, non teneri ducere si in fornicationem, aut morbum, aut notabilem quod habet Sylu. in præced. vers. 3. & pro generali regula constituit Suarez notat: Per mutationem itatus rerum, excusationem à iuramento contingere: tum quando casus de novo emergens talis est; ut si fuisset in principio, iuramentum extitisset temerarium: tum etiam quando casus est talis, sive ob difficultatem, sive ob indecentiam rei: ut si contigisset à principio, iurans continuisset se à iurando: adeo ut possit ea de causa merito negari, iuramentum factum esse secundum intentionem ipsius: præsertim cum iuramentum tanquam accessorium, conditionem actus cui adiungitur tanquam principalis sui fortiaur, per regulam 42. iuris in sexto. Atque promissio cui iuramentum adiungitur, sub intellectu habeat conditionem, ut ipsa, si res notabiliter mutetur, non obliget: ne quidem si ea facta sit Deo: ut ostenditur in sequentibus cum de voto agetur. Existimandum est igitur sub intellectu eadem conditione, factum esse iuramentum promissorium: ipsumque proinde non obligare illa interueniente. Quæ re agens Suarez in præced. num. 4. in confirmationem adfert adhuc alia iura.

Quinta est, Idem iuramentum promissorium intelligi, si non adfit aliqua ex iis causis, per quas cessat obligatio iuramenti. Quæ causæ intelliguntur ex dicendis in sequentium difficultatum explanatione: ad easque reuocantur omnes illæ conditiones quas Syluester in verbo Iuramentum tertio, quælibet prima, meminit esse in iuramento subintelligendas.

Sexta est, de qua idem author in sequent. quæst. 3. In omni iuramento quod præstatur generaliter in aliquo contractu vel promissione, non modo in externo foro, sed etiam in interno, semper esse intelligendas conditiones ac limitationes omnes super eodem contractu vel promissione præscriptas iure, aut receptas consuetudine: nisi constiterit iurantem habuisse in eo intentionem contrariam. Ratio est, quia iuramentum sequitur naturam actus super quem cadit: nam accessorium sequitur naturam principalis prout habet regula 42. iuris in 6. Sic ergo ille qui iuravit se velle sententiæ arbitri stare sub certa pœna pecuniaria, non est periurus, quantumvis non stet tali sententiæ, dummodo soluat illam pœnam pecuniariam, ex cap. Per tuas De arbitris. Similiter is qui iuravit quod residet in suo beneficio non est periurus, si legitima sit causa cur non residet: ex cap. Ex parte, & duobus sequent. De Clericis non residentibus. Eodem modo cum Iudex iuravit se non nisi secundum formam iuris iudicaturum: id intelligendum est, quando crimina non fuerint manifesta, ex cap. Ad nostram 2. De iureiur. Ac demum cum quis iuravit quod non stabit in iudicio contra alterum: intelligendum est, nisi sit causa Ecclesiæ, vel propria: ex cap. Petitio, eod. titul.

Septima est, de qua in sequent. quæst. 8. Sylu. itemque Angelus iuramentum 4. nu. 4. & Couar. ad cap. Quamuis pactum prima par. §. 4. num. 9. ac Medina in Cod. De restit. quæst. 3. in fine, aliquotque alii quos Sanchez refert in opere Morali lib. 3. cap. 17. num. 15. Iuramentum interpretandum esse, ut si rationabilis causa subest, intelligatur impleri in casu etiam ficto, seu quando non datur quidem illud idem numerum quod promittitur, datur tamen iusta compensatio: ita ut si cui iuratum est, in nullo grauetur, nec damnum sentiat. Subest vero tunc rationabilis causa, cum solvendo quod debetur, periculum est ne faciam iacturam eius quod mihi debetur ab eo cui soluo: eo quod non sperem ipsum mihi alioqui soluturum: et si debuit vtrumque sic æque liquidum. Exemplum est si iuraverim me soluturum tibi 100. nummos aureos mutuo acceptos: & postea dederim tibi comodato equum eiusdem minimi valoris,

quem

quem constat tua lata culpa apud te perijisse: remittendo enim tibi eam iacturam meam, censefi possum iuramento satisfecisse per compensationem. Eiusmodi satisfactioni vero non esse locum (*nisi creditor libere consentiat*) si vel desit iusta causa illius faciendæ, vel debitum per quod sit compensatio, non sit liquidum: de copiose tractat Suarez in eodem lib. 2. cap. 37. sicut & in præced. 36. quod nec satisfaciatur qui sine tali consensu restituerit æquiualens. Ita ut non possit quis propria voluntate rem quam iuravit se daturum, commutare in aliquam aequalem omnino, nec etiam in meliorem sine consensu eius cui se daturum iurauit. Eundem breuitatis studio relinquemus consulendum, ab eo qui talium accuratorem notitiam vellet: cõrenti monere fundamẽtalem rationem eorum esse, quod iniquum sit, absque iusta causa cogere aliquem ad commutandam rem suam, aut sibi debitam specialiter: quodque ad veritatem, quam iuramentum exposcit, requiratur ut id ipsum quod iuratum est præstetur, nec sufficit eius loco aliud æquiualens præstare. Nec enim excusabitur à periurio qui iuravit se laboraturum in tua vinea, si id non faciat, quantumcumque inire esse in de securum compenset, aut alium suo loco mittat: nisi interuenierit causa iusta, cuius exceptio censenda sit subintellecta in iuramento: ut si uenire potest tantum, cum quis intentione habuerit iurandi in genere. Vnde fit (quod monet Angelus in seq. num. 6.) ut quæ de interpretatione iuramenti dicuntur, intelligenda sint locum habere cum is qui iurat, non habet expresse vel tacite animum se super aliquo determinato obligandi contra eiusmodi interpretationem: quoniam ea non ualeat saltem in foro conscientie, in quo habetur potissimum ratio intentionis iurandi.

35. Octaua regula est, de qua pluribus Thom. Sanchez in opere Morali lib. 3. cap. 13. Iuramentum promissorium sic esse intelligendum, ut ex parte eius qui iurat, actio sit personalis: seu qua tantum obligetur persona ipsa quæ iurat siue per se, siue per alium, cui suo nomine iurare cõmittit: adeo ut virtute iuramenti nullus alius ligetur. Ratio est: quia obligatio religionis, qualis est iuramenti, cõtrahitur tantum ab eo qui cultum Deo exhibet. Quo fit vtilis obligatio, quæ iurando contrahitur, sit tantum iurantis, siue verba iuramenti per se protulerit, siue alius nomine ipsius: quia parum refert ad vinculum iuramenti, quod verba quibus iuratur proferantur propria lingua vel aliena: quandoquidem ipsum principaliter pendet ex intentione qua iuratur. Ideo enim, etiam si quis iuret ore proprio, si id sicte faciat, & sine intentione iurandi, nullum est vinculum. Quæ de re plenius Suarez tract. 5. de religione lib. 2. cap. 31. num. 3. & alioque sequentibus.

Vnde potest deduci, admissum de nouo ad senatũ vel capitulum, non ligari, iuramento quod antecessores sui præstiterunt: neque filium, aliumve heredem iuramento partis, alteriusve, cuius hereditatem adiit: etiam si iurauerit quis pro se, & suis successoribus vel hæredibus: quia sine proprio consensu, anima non adstringitur spiritali iuramenti vinculo: cum iurare sit actus humanus, requirens deliberatum agentis consensum. Tales tamen possunt ob aliam causam (ut ob contractum vel pactum tam suo quã successorum nomine initum, cui iuramentum ipsum accesserit) obligari ad id præstandum quod ab aliis iuratum est, etiam si non obligentur ratione iuramenti. Quæ doctrina est D. Thom. 2. 2. quæst. 98. art. 2. ad 4. quam habet Sotus in 8. de iust. & iure quæst. 2. art. 2. sub finem: quamque loco cit. Suarez pluribus persequitur.

Ad hæc ex parte eius, cui iuratur, obligatio iuramenti potest esse communis: seu ad alias adhuc personas extendi: ut fit, cum quis iurat alicui fidelitatem, & omnibus successoribus ipsius: nam ut ei, sic & successoribus eius obligatur, ex cap. Veritatis De iureiur. Similiter cum iuramentum fit alicui simpliciter sub nomine dignitatis: ut cum quis Romano Pontifici iurat obedientiam. Nam obligatur ipsi, & successoribus ipsius eam præstare. Secus esset vero si ipsi iuraret sub nomine proprio: dicendo Iuro tibi Paulo quinto: quia ei tantummodo, non item successoribus eius obligaretur, quod ex Panorm. Syluest. habet in verbo iuramentum 4. quæst. 3.

36. Nona regula est. Cum iuramentum factum est de seruandis statutis alicuius Ecclesiæ, vel ciuitatis, vel vniuersitatis, illud nõ esse interpretatione extendendum ad postea edenda, nisi iurans intenderit se ad ea quoque obligare. Hanc locis citatis habent D. Thom. & Sotus. Cui tamen nonnulli contradixerunt, ut videre est apud Sylu. iurament. 4. quæst. 23. Sed bona ratione nititur, quam idem Syluester ibidem adfert ex Panorm. quod propter periurij periculum, iuramentum sit gratis præiudicij, & strictæ interpretationis, ideoque extendendum non sit, sed restringendum potius, ne comprehendat ea quæ ex lata verborum significatione, possent adhuc comprehendere: ut v. g. illa quæ non sunt in vigore: aut quæ non seruantur ex religione iuramenti, aut quæ minima sunt, & ad quæ non videtur iurans se adstringere voluisse. De qua re late Sanchez in opere morali lib. 3. cap. 14. & 15. quem si libeat vide.

Documenta de iuramento, quo iuratur obseruatio statutorum communitatis.

37. PRimum est, sumptum ex cap. 1. De iureiur. in 6. Si inter prædicta statuta continentur aliqua illicita, vel impossibilia, vel liberrati Ecclesiæ, aut contra: non esse obligationem ea seruandi: cum iuramentum non sit iniquitatis vinculum. Adeo quæ grauius peccat eum, qui sciens aliqua talia esse, iurat generaliter, & sine exceptione eorumdem: quæ vel omnino, vel licite præstare nequit.

Secundum est. Si inter eadem habeatur aliqua, licita quidem, & possibilis: sed abrogata per consuetudinem rationabilem & præscriptam (de qua in præced. lib. 13. c. 23.) non esse obligationem ea seruandi sub præstito iuramento: amiserunt enim vim statuti ex cap. fin. De consuet. ideoque materia iuramenti esse desierunt. Quia in re obseruare conuenit quod habet Tabiena in verbo iurare sub fine in nu. 37. successores qui iuratum seruare statuta suorum prædecessorum, non esse condemnandos periurij, si non seruent ea quæ maior pars non seruauit amplius: quia possunt verò similiter putare talia esse abrogata: & ideo iuramentum suum non esse ad ea extendendum.

38. Tertium documentum est. Qui iurauit se seruaturum alicuius communitatis statuta, is per eandem communitatem sublatis, non teneri amplius ea seruare: secus esse autem, si iurauerit se ea quæ in statutis continentur seruaturum, nulla mentione facta de ipsis statutis: ut si dicat. Iuro hoc, vel illud: neque addat, prout in talibus statutis continetur. Id quod explicat Armilla in verbo iuramentum, n. 36. & latius Syluester eodem verbo 4. quæst. 2. & Tabiena in verbo iurare num. 37. Vbi notat, quod obseruatione dignum est, ad vitandum in hac re periurium: ad id requiri ut maior pars communitatis statuta ipsa iurata collegialiter tollat, saltem tacite: puta eis contrahendo de communi consensu: neque sufficere ut tollat singulariter, id est, per consensum quibus seorsum singuli consentiant in talium transgressione, eam transgrediantur. Ratio est: quia singuli seorsum sumpti, censentur inferiores, quibus tantum incumbit parere talibus statutis: tota communitas vero habet rationem Superioris, præditi potestate statuendi & abrogandi statutorum suorum.

Sed excipit ex Sylu. in ead. quæst. versu 5. & Tabien. in sequen. num. 40. nisi tale statutum concernat fauorem aliorum, bonumque publicum: atque Superiores illud confirmauerint. Nam ex quo Superior confirmando statutum, ei auctoritatem tribuit, illud facit suum: argumento cap. Si Apostolica, De præbendis in 6. Inferior autem nequit Superioris legem tollere. Secus vero esset, si confirmatio principaliter concerneret fauorem statuentium, quia tunc ea vim haberet priuilegij, cui renuntiare priuilegiati possunt, nisi principaliter concernat fauorem Ecclesiæ.

Quartum documentum est, quod idem authores tangunt, Syluest. vers. 2. & Tabien. num. 36. Etiam si media, aut etiam maior pars eorum qui statuta iurauerunt, illa transgrediantur: eum tamen non esse à periurio excusatum, qui tali de causa negligit eorumdem statutorum obseruationem: si vel ex ea nullum ipse sentiat incommodum: vel alii non transgredientes, aliquod sentiant. Secus vero esset si solus incommodum pateretur obseruando: & non obseruantes

recipe-

reciperent commodum: quia tunc excusari potest per benignam interpretationem iuramenti, cum mens ipsius quando iuravit, non censetur fuisse, ut in talicase adstringeretur.

Quintum documentum est. In generalibus iuramentis obediendi Prælati, aut Rectori, iurata obedientiam non censei exigi, nisi id ipsum exprimat per accipiendum in virtute præstiti iuramenti, vel alia verborum forma æquivalenti, secundum communem intelligentiam, vsuque receptum. Immo vero interdum vsus ipse habet, ut nec tali verborum forma exigatur obediencia: sed ea solum vsurpetur ad commemorandam ipsius Prælati aut Rectoris potestatem, & ad errorem incutiendum, ut nemo illam contemnere audeat: prout ex Driedone & Couarruía Suarez refert *tom. 5. de relig. lib. 1. cap. 35. num. 6.*

39. Vltima regula est, de qua Syluest. in seq. quest. 6. Iuramentum generaliter factum extendi tantum ad ea de quibus cogitatum est, vel debuit merito cogitari. Factum vero specialiter, recipere interpretationem: in foro quidē contentioso, secundum ius: in pœnitentiali vero, secundum intentionem iurantis. Circa quam intentionem aduerte quod Suarez plenius tractat in *cit. lib. 2. c. 33.* si incertum sit an ea fuerit vere iurandi, ut cum quis dixit Per meam fidē id faciam; nescitq; an intellexerit fidem diuinam, an vero tantum humanam: si quidem pariter nesciat an habuerit intentionem iurandi: non esse obligationem præstandi promissum censei eo nomine, quod tunc locus esse possit interpretationi benigniori ob incertitudinem intentionis iurandi, sine qua iuramentum nullam vim habet: sin autem sciat se vere habuisse intentionem iurandi, etiam si de modo sit incertum, tunc seruandum esse promissum: utpote quod scitur factum inuocato in testem Deo: ac proinde q; violati nequeat sine irreuerentia diuinæ maiestatis.

Qua etiam de causa, ut idem Suarez addit, implendum est, quod scitur quidem promissum esse sub iuramento, sed dubitatur nec sciri potest vtrum iam sit impletum. Illud autē de quo dubitatur, an licite impleri possit (etiam si dubium vinci nequeat) ita interpretandum est, ut pro illius omissione licita, procurari debeat Superioris Ecclesiastici dispensatio à iuramento, de qua in sequentibus. Ratio vero esse potest, quod alioqui res non careat periculo memoratæ irreuerentia.

Difficultas secunda, Quomodo ex parte materie iuramentum promissorium ita censeat, ut absq; peccato possit non impleri.

40. Quæ faciunt ad huius explanationem late persequitur Suarez in tract. 5. De religione lib. 2. à cap. 12. ad 24. & post eum Sanchez in opere Morali lib. 3. c. 9. Ad vitandum autem prolixitatis fastidium paucioribus contenti esse possumus: statuendo hanc generalem conclusionem.

Quotiescumque materia non est capacis iuramenti obligatorij, absque peccato omitti executionem iuramenti promissorij. Hæc ex eo patet, quod tale iuramentum sit inualidum, perinde ac excommunicatio lata in materia illius incapaci. Ex eadem vero deducitur in particulari. Primo, q; nulla iuramenta facta de actu illicito exequendo, seruentur absque peccato: prout ex D. Thoma 2. 2. quest. 89. art. 7. ad 2. communiter receptum est. Intelligi debet vero, etiam si actus sit illicitus solum venialiter, ex Caiet. in verbo Per iurium. & Sylu. verbo iuramentum, 4. q. 1. De quo plenius Suarez cap. 15. eiusd. libri secundi. Satis vero probatur per illud quod habetur in cap. Quanto, De iureiur. Iuramentum non esse vinculum iniquitatis: & per regulam 58. iuris in 6. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum. Iam vero peccatum esse, ut eiusmodi iuramenta facere, sic & adimplere, expressit D. Thomas loco citato: & communem Doctorem sententiam esse notat Couarr. ad cap. Quamuis pactum 1. part. §. 6. num. 6. patetque ex memorato cap. Quanto. Neque obstat quod ex cap. 5. Leuitici vers. 4. ille qui iurat male facere, debeat id obseruare: quia illic agit non de malo culpæ, sed de malo pœnæ: vtrum quis iurat seipsum affligere. Videri potest Suarez in cap. 12. citato.

41. Cæterum iuramentum istiusmodi in materia mortali, esse mortale, & in veniali veniale, ostenditur in seq. nu. 92. Quale autem peccatum sit ipsum implere, æstimandum est iuxta naturam ipsius delicti iurati, quod relinquitur in sua natura: ideoque tale est quale esset si iuramentum interpositum non fuisset. Erat ille qui iuravit mortale, ut furtum, aut homicidium: implendo iuramentum peccat mortaliter, eodem modo quod si non iurasset. Qui vero iuravit veniale ut mendacium officiosum, implendo iuramentum, peccat solum venialiter. Nam quod mortaliter peccet, nequit verum esse ratione operis: quod, ut supponimus, tantum est peccatum veniale, nec ratione obseruationis iuramenti, quæ de se bona est: ideoque superaddita, non aggravat illius malitiam, sed relinquit ipsum in sua natura. Quod est argumentum Syluestri loco cit. versu sexto, Vbi etiam merito reprehendit Angelum, quod putauerit mortaliter peccare eum, qui propterea peccatum veniale committit, quod se commissurum iurauerit: nam, ut Syluester ipse argumentatur, & cum eo Nauarr. loco citato, talis circumstantia alleviat potius peccatum quam aggravat, cum procedat ex Dei reuerentia, nisi forte quis adeo malitiosus sit, ut tribuat Deo complacentiam, qua velit eiusdem mali iurati adimplerionem: id quod pertinere ad blasphemiam dubium non est. Aduerte vero loquendo moraliter nunquam homines nisi per ignorantiam & bonam fidem, ratione iuramenti impelli ad perficiendam rem malam iuratum: ideoq; culpam in eo euentu dimitti potius quam augeti.

42. Porro quod possit quis propria autoritate contravenire huiusmodi iuramento de re illicita, non debet in dubium vocari: cum ex cit. cap. Quanto, habeatur non esse super eo absolutioe requirendam: sicq; tenet D. Thom. in cit. q. 89. art. 9. ad 3. Sylu. iuramentum 1. q. 1. & Sotus lib. 8. de iust. & iure quest. 1. art. 9. circa 3. argumentum. Cui doctrine congruenter quædam statui possunt pro praxi.

43. Primum, admittendum esse necessario, quod quoties solvere vsuras mortale aut veniale fuerit, debitor obligandus non sit stare iuramento præstito de eis soluendis. Id quod Couar. expressit ad cap. Quamuis pactum par. 2. §. 3. nu. 2. vers. superest. Vnde quod in cap. Debitorum, de iureiur. dicitur: eum qui iuravit solvere vsuras creditori, teneri sub ratu perituri eas solvere, intelligendum est, ut procedat in casu quo talis solutio potest sine peccato fieri.

Secundum est, quod etiam ibid. habet Couar. Si quis causa pactiois simoniacæ promissit interposito iuramento dare aliquid, ipsum non teneri seruare tale iuramentum, quod ex parte etiam iurantis ita illicitum est, ut impleri nequeat absque peccato: adeoque dispensatio non indigeat, ut idem author addit congruenter traditæ doctrinæ.

Tertium est: quoties iuramenti adimpletio fuerit contra legem in conscientia obligantem, ipsum non esse implendum. Quamvis enim controuersum sit, an iuramentum omne quod fit contra legem sit nullum (de quo post Panormit. Angelus iuramentum §. 23. & Sylu. iuramentum 4. quest. 16.) hoc tamen certissimum est, quod quoties iuramenti obseruatio fuerit contra legem vel mandatum Superioris obligans in conscientia, nequaquam standum esse tali iuramento, tanquam ei quod seruari nequit absque peccato. Huc spectant quæ Suarez tractat in eod. lib. 2. c. 18. & 20. Secus esset autem si iuramentum quidem contra legem esset, non tamen illius obseruatio: ut ostendit regula quam ex Panorm. adfert Sylu. in seq. quest. 30. Quod quantumvis iuramentum lege etiam Canonica vel diuina prohibeatur: iurantem nihilominus teneri illud seruare, non obstante quod peccauerit iurando. Ad cuius rei confirmationem inducti possunt cap. Cum contingat. De iureiur. & cap. 2. eod. tit. in 6. Ex quibus habetur, seruandum esse iuramentum quod seruatum non cedit: & non seruatum cedit in præiudicium animæ.

Quartum est, non obligare iuramentum factum contra prius iuramentum, vel contra votum: aut etiam contra simplicem promissionem: quia vtilia, ita hanc violare, peccatum est saltem veniale: videri possunt Angelus in præced. §. 15. & 16. & Sylu. quest. 12. Quod autem Gratianus ait 22. quest. 4. in fine, cum qui vouit castitatem, & postea iurat se

acceptu-

accepturum aliquam in coniugem, posse implere iuramentum, omnino falsum est, ut ibidem glossa notat. & patet ex cap. Rufus, Qui Clerici vel uocentes. De hoc Suarez in sequenti cap. 19.

Quintum est, non obligare iuramentum factum contra bonos mores, seu cuius obsecratio præbet occasionem delinquendi contra honestatem, præscriptum uero est ratio. De qua re Iidem auctores: Angelus §. 33. Sylu. autem quæst. 11. & Suarez latius in cap. 21.

Sextum est, Non obligare iuramentum quando cedit in alterius præiudicium inmeritum, seu quando obseruari non potest, quin fiat alteri iniuria. De qua re Angelus adhuc §. 22. & Sylu. quæst. 15. Qui etiam commemorant alios casus, in quibus contingit iuramentum non obligare: sed de eis facile est iudicare ex antecedentibus, vel ex dicendis.

44. Deducitur secundo principaliter, ex conclus. initio capituli assignata: quod is qui præstitisset iuramentum de omitendo opere supererogationis: seu, quod idem est, de quo faciendum non est quidem obligatio: melius tamen est facere illud, quam omittere: non teneatur ei stare. Nam licet nulla obligatio sit agendi talia bona quamdiu manent intra limites supererogationis: nemo tamen potest obligare se ad eorum omissionem, quæ non est materia capax iuramenti: cum sit contraria uni iustitiæ parti, quæ est facere bonum: sicut peccatum, siue mortale, siue veniale, contrarium est alteri parti, quæ est declinare à malo. Adde quod se ad talem omissionem obligare sit ponere obicem Spiritui sancto, cuius proprium est animabus infundere desideria sancta. Ita cum D. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 2. & quæst. 98. art. 2. ad 2. Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 17. & alij communiter docent. Vnde intelligere licet non esse obligationem seruandi iuramentum, quando iuratum est aliquid contrarium consilijs Euangelicis, aut perfectioni Christianæ: quale est nunquam fieri Religiosum, nunquam suscipere sacros ordines, nunquam dare pecuniam mutuo, vel commodare res suas, nunquam consulere proximo, vel eum consolari, nunquam dare elemosynam, nisi extreme euenti, nunquam ieiunare extra tempora indicta, nunquam fideiubere, & sic de similibus operibus pie propter Deum faciendis de consilio.

45. Tale uero iuramentum esse peccatum mortale, sentiunt Angelus in uerbo Iuramentum §. 3. & Sylu. Iuramentum 2. quæst. 7. Sed veniale tantum esse uideatur potius dicendum cum Nauar. in præced. num. 16. & Couarr. ad cap. Quamuis pactum 1. par. §. 6. num. 6. & Soto in 8. De iust. & iure quæst. 2. art. 3. conclus. 5. post Caiet. 2. 2. quæst. 89. art. 7. circa responsionem ad 2. & in uerbo Peritium: quod etiam tenet Suarez in tract. 5. de religione lib. 3. cap. 18. num. 6. Probatur uero, quia uere recte argumentatur ibidem Nauar. detertius est iurare se facturum vel omitturum, quod factum vel omittum, peccatum est veniale, quam quod non est de se peccatum, etiam si contrarium ipsius sit ipso melius. At iuramentum de peccando uenialiter non est peccatum plusquam ueniale: (quod docebitur in seq. num. 92.) Ergo nec erit iuramentum de omitendo, eo cuius contrarium est ipso melius.

Non modo autem liberum est istiusmodi iuramentum, tanquam non obligans, perinde seruare vel non seruare, ac si non esset de tali re iuratum: sed etiam melius est non seruare quam seruare, cum melius sit facere opus consilij & supererogationis, quam ipsum omittere. Ita D. Thomas loco citato. Neq; in ea re opus esse auctoritate Superioris, sed tale iuramentum posse propria iurantem auctoritate inungi, post D. Anton. docet Nauar. in cit. num. 17. Meminisse tamen oportet, quando ex adiunctis circumstantiis melius fuerit tale iuramentum seruare: ut non dare mutuo, vel fideiubere, vel aliud id genus, omittere iuxta præstitum iuramentum, obligationem esse ipsum seruandi: quia tunc omisio non est contra consilium, sed in consilio, & aliquando etiam in præcepto: atq; adeo legitima iuramenti materia. Huc referri possunt quæ habet Suarez in capite 17. præcedentis libri secundi.

46. Deducitur tertio principaliter ex initio proposita generali conclusione: si iuramentum emissum sit de actione indifferenti, seu quæ de se nullam uilium vel alterius boni ra-

tionem habet, salua perseverante indifferentiæ ratione, non esse obligationem qua teneatur quis præstare quod iuratum est: ut si nulla interueniente boni circumstantia, iurauit quis se non admitturum hunc vel illum in suo ministerio, vel non loquiturum de talire, vel non aditurum domum illius, vel non missurum panes coquedos ad furnum ipsius, vel ad emendum ab eo aliquid, &c. Ratio est: quia iuramentum non est vinculum institutum ad faciendum aliquid otiosum & vanum, ut actus indifferens censetur esse de se: quandoquidem ut talis, bonus non est, nec ad bonum finem refertur (alioqui enim iam non esset indifferens) ideoq; otiosus est, tanquam is quo nullum bonum acquiritur. De qua re Suarez in præced. c. 16. in ea que cum Caiet. in uerbo Peritium contententibus multos refert Sanchez in opere moralium lib. 3. c. 9. num. 11.

Adde uero, iuxta Nauar. in Enchir. c. 12. num. 17. melius esse huiusmodi iuramenta frangere quam seruare. Adde etiam posse id propria auctoritate fieri & absq; dispensatione, iuxta tradita à Sylu. in uerbo iuramentum 5. quæst. 1. Et ratio in promptu est: quia non sunt obligatoriæ. Quod etiam Sanchez in opere Moralium lib. 3. c. 9. nu. 3. Quamquam ubi dubium fuerit, An res iurata sit aliquo modo utilis, vel aliam rationem boni habeat: procuranda erit dispensatio, ut post D. Thomam 2. 2. quæst. 98. ad 3. docet Soto in 8. De iust. & iure quæst. 1. art. 9. circa 5. argumentum.

47. Quod si contingat actum ex se indifferentem reddi uilem, aut aliter bonum ex circumstantia: ut si quis iuret se non iturum ad talem domum, vel non transiurum tali uia, ad cauendum ne aspectu alicuius mulieris teneatur, & sic de similibus; ad uitandam nimirum peccati occasionem: quia consequenter erit materia capax obligationis iuramenti, tunc dicendum erit, tale iuramentum obligare. Ita Caiet. docet in uerbo Peritium, & Nauar. in Enchirid. cap. 12. num. 12. & 17. ubi ex Angelo addit, idem esse dicendum quando eiusmodi iuramenta proxime fierent ex aliquo bono respectu. Aduerte obiter ex proposita doctrina, quæ statuitur iuramentum de re indifferenti non esse obligatorium, peti posse rationem eius quod idem Nauar. in præced. num. 11. habet: illum qui dixit, Deus non me adiuuet si amplius lusero (quod est iuramentum execratorium) non teneatur iuramenti abstinere à ludis non illicitis in parua pecunie quantitate, & ad honestam recreationem. De eodem iuramento non ludendi plurib. agit Sanchez in opere Moralium lib. 3. cap. 18.

Difficultas tertia, Quomodo ex parte euentus cesset obligatio iuramenti promissori, sic ut possit sine peccato non imitari.

48. Contingere ut ratione euentus cesset iuramenti promissori obligatio, patet ex cap. Veniens De iure iur. Ad quod plenius in particulari intelligendum: notandum est primo, cum Caiet. uerbo Peritium: omnia iuramenta ea, quorum euentus malus est, non esse obligatoria. Exemplum datur de iuramento, quod ex D. Matthæi cap. 14. Herodes fecit saltatrici: quamuis enim tale tolerabile esse potuerit intellectum sano modo: id est, cum ea moderatione, quod saltatrix ipsa nihil peteret illicitum: pessimum tamen fuit euentus, ea petente caput Ioannis Baptistæ: neque ille ex iure iurando astringebatur, patrare tantum scelus: cum malæ petitionis euentus excluderet vim iuramenti, ex D. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 2. Quem sequuntur Caiet. loco cit. & Soto lib. 8. De iust. & iure quæst. 1. art. 7. circa 2. argumentum.

49. Notandum est secundo, cum Angelo iuramentum §. 3. iuramentum non obligare, quando res super qua factum est, uenit ad talem statum ut remerarium sit illud tunc seruare. Itaque si iurauit quis se nunquam militaturum, aut negotiaturum, vel tali domino seruaturum: postea autem ad eam paupertatem uenit ut uiuere nequeat nisi militet, aut negotietur, aut tali domino seruiat, potest propria auctoritate contra facere, non obstante iuramento: sicut & is qui iurauit reddere domino gladium apud se depositum: si idem dominus factus sit furiosus, potest non reddere: item si opulentus qui iurauit se alicui

victim

vicium præbiturum, ad eam paupertatem redigatur, ut id præstare non possit, nisi contra decentiam sui status mendicet. Itemque is qui iurauit se non mutaturum sepulturam, vel testamentum, si noua superueniat causa iusta mutandi. Hæc ille.

50.

Notandum est tertio, quod idem Angelus ex Panormis. habet ibidem: cum qui iurauit respectu dignitatis, vel alterius qualitatis existentis, siue in ipso iurante, siue in eo cui iuratur: illa deficiente, iuramentum non tenere: quia euentus tollit tunc rationem iuramenti. Sic ille qui iurauit Episcopo obedientiam, non tenetur obedire ei amoto ab Episcopatu. Item is, qui tanquam Canonicus, vel tanquam scholaris iurauit, non tenetur ad talis iuramenti obseruationem, si mutauerit statum Canonici, vel scholaris. Sic etiam ille qui iurauit se castigaturum aliquem, si talis emendet se, supplicetque veniam petat, non tenetur seruare iuramentum: quia huius ratio per superuenientem euentum cessauit, & ita 1. Reg. 25. Dauid non implent iuramentum de excidenda domo Nabal, cum ei satisfactum esset per Abigail. Qua ratione iuramenta parentum aut heroum de puniendis filiis aut famulis, non obligant ob euentum emendationis horum, aut interueniente, causa ob qua id fieri non debeat. De qua re Sanchez in opere Morali lib. 3. cap. 9. num. 16.

51.

Notandum est quarto, obligationem iuramenti cessare ex euentu per quem fit, ut ipsum cedat in alterius perniciem: quo modo is qui iurauit aliquid, & post factus Episcopus non potest illud præstare sine præiudicio populi sibi commissi, non tenetur ad obseruationem. Item cum quis alicui absolute iurauit se seruaturum ei fecerum: non ita tenetur ad id ex vi iuramenti, quin si illud fuerit alteri nocium, possit & debeat reuelare ijs qui possunt prodesse nec obesse: possit item ac debeat cum in testem produciatur, procediturque seruato iuris ordine debito: nisi forte res sit talis, quam ipse nequeat probare: aut ille qui exigit ab ipso iuramentum de dicenda veritate, homo sit ferus, de quo verisimiliter præsumatur quod non procedet seruato ordine memorato. Nam tali, ne quidem illud quod non tantum scit, sed etiam probare potest, tenetur reuelare. De qua re Angelus in seq. §. 22. & latius Nauarr. in Enchir. cap. 18. a num. 52. vsque ad finem, & nos suo loco in seq. lib. 24.

52.

Notandum est quinto, cum Caiet. in verbo Periuurium, iuramentum promissorium non esse obligatorium, cum ex euentu promissa, facta est impeditiua maioris boni. Ratio est: quia sicut non valet iuramentum non faciendi aliquid bonum: ita nec iuramentum faciendi aliquid bonum maioris impeditiuum. Adeo ut non sit obligatio illud seruandi ex D. Thoma 2. 2. quæst. 89. art. 9. ad 3. sed liceat ipsum commutare in illud melius iuxta cap. Peruenit. 2. De iureiur. Ne quis tamen in hac re (de qua late Suar. in eodem libr. 2. cap. 12. & 13.) fallatur: aduertendum est, ex iuramentis, quædam esse in fauorem seu commodum hominis emissa, & quædam non ita; si que sint huius posterioris generis, admittendum esse vniuersè, quod cum de bono sint quidem, sed maioris boni impeditiuo: non sic obligent, quin ille qui iurauit, possit auctoritate propria facere id ipsum quod est melius, prout ratio proposita ostendit: & notant Angelus iuramentum 5. §. 33. & Syluest. iuramentum 4. scilicet. 20. Addentes id non procedere, sed Episcopi saltem opus esse dispensatione, si utrumque illud bonum possit fieri, vel dubium esset an maioris boni impeditiuum debeat contingere ex implementatione iuramenti. Quod si iuramenta sint talia quæ in hominis gratiam facta sint, commodumque illius concernant: concedendum est: si quidem illud de quo sunt facta, bonum sit (etiam si oppositum ipsius censetur melius: imo etiam si ipsum maioris boni sit impeditiuum) quod ea sint obseruanda nisi relaxentur relaxatione, de qua in sequentibus. Ita quoque docent in iisdem locis Angelus & Syluester.

53.

Indeque est, quod is qui iurat matrimonium cum aliqua contrahere, teneatur stare iuramento, ex cap. Commissum De sponfalibus: quantumuis ex natura rei in eiusmodi contractu includatur obligatio reddendi carnale debitum si petatur: ex qua sequitur ut idem iuramentum

impeditiuum sit perpetuæ continentia: seu status virginitatis vel calibatus: quem esse bonum præstandus statu matrimonii definitum est in Conc. Trid. sess. 24. can. 10. De sacramento matrimonij.

Vbi aduerte obiter, peculiarem religionis prærogatiuam esse, vt etiam si quis iurauerit se cum aliqua contracturum matrimonium, possit nihilominus ad religionem migrare, quemadmodum notarunt Caiet. verbo Periuurium, versu Intellige, Sotus lib. 7. De iust. & iure, quæst. 1. art. 3. & in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 5. & Couar. in Epit. 4. Decret. par. 1. cap. 5. num. 11. Pro coque est textus in cap. Verum, De conuersi coniug. Neque obstat textus in cap. Commissum supra cit. Nam vt ipse Couar. ibid. ex Innocentio notat: dici potest, quod sponsus de quo ibi agitur, noluerit deliberare religionem statim ingredi: sed tantum id in animum induxerit absque voto: cui Pontifex consulit vt contrahat, si demque seruet: & postea si velit religionem proficiatur.

54.

Notandum est sexto, adhuc ex parte euentus, iuramentum non obligare, cum ipsum fuerit interpositum sub conditione quæ non adimpletur. Id quod habetur ex cap. Peruenit 2. De iureiur. & ex cap. De illis tit. De conditionibus appositis: intelligendumque est ex Syluestro iuramentum 4. quæst. 12. cum obligatio tota fuerit in talis conditionis euentu constituta. Nam si adhuc fuerit alia causa illius, ipsa non cessat: vt si quis iurauit ad sanctum Iacobum in remissionem suorum peccatorum, & vt fratrem videat: etiam si frater excesserit è vita, tenetur adhuc propter aliam causam manentem, suscipere eam perfectionem. Quod si ponatur iuramentum fuisse ita emissum sub pluribus conditionibus, vt simul intentio fuerit non aliter promittendi, quam omnibus illis simul concurrentibus; concedendum est si aliqua eorum impleta non fuerit, iuramentum ipsum non obligare, vt nec obligaret votum (cuius & iuramenti in hac re, vt in aliis multis, par est ratio) prout definiunt D. Anton. 1. par. tit. 11. cap. 2. §. 4. & Syluest. votum 2. §. 2. in fine: vbi addunt, quod si nesciat quis discernere an prædictam intentionem habuerit, melius esse: immo, vt addit Syluest. necessarium esse, seruare: ob periculum scilicet peccandi agendo contra conscientiam.

55.

Si quæratur, an ista procedant etiam cum citra culpam illius cui iuratum est, conditio non impletur. Respondetur procedere, id est, in tali etiam casu cessare iuramenti conditionati obligationem, ex Sylu. iuramentum 4. quæst. 13. vt si iurauit me profecturum Romam intra annum, si mihi dederis 100. nummos aureos, & pressus egestate dare non potes: nec ego teneor ire Romam. Aduerte autem, quod et si iuramentum conditionatum non incipiat obligare ad actum promissum, donec impleatur conditio (quæ alioqui suspendit eundem actum & consequenter iuramentum de eo ipso factum) ab initio tamen obligare ad animi preparationem implendi illud, si conditio impleatur: adeoque ad non resiliendum à promissione inuito altero cui facta est. Hæc enim vis est promissionis acceptata, omnisque contractus initii de mutuo consensu, vt obligent ad sui obseruationem. Quare eadem erit iuramenti adiecti: cum accessorium sequatur naturam sui principalis, ex regula 42. iuris in 6. Vnde qui Berthæ iurauit se ducturum eam in vxorem, si pater cognita promissione consenserit: interea is illa inuita, nec expectato conditionis euentu, aliam ducat; iuramentum violat. De quo Suar. in sepe citato lib. 2. cap. 35. sub initium.

Consequenter addens de iuramento absoluto: si promissio, cui additur sit negatiua: vt cum dicitur, iuro meti non nociturum, ipsum statim obligare; quia negatio omnia tollit. Sin autem promissio sit affirmatiua, nisi certum tempus designetur, prudentis arbitrio relinquit definiendum ex consideratione circumstantiarum, quo tempore ex obligatione implendum sit iuramentum: quod ad instar præceptorum affirmatiuorum, obligat quidem ad semper, non tamen pro tempore: sed pro eo tempore in quo implendum esse recta ratio dictauerit.

Notandum est septimo, Quociescunque aliquid de nouo euenit, quod si is qui iurauit antea præiudisset,

56.

non

non iurasset, obligationem iuramenti cessare ratione euentus, ad quem iuratio iurantis se non extendit, ne quidem interpretatiue, ob contrariam animi præparationem.

Exempla sunt, si quis iurauit peregrinationem & postea intellexit latrones esse in itinere, à quibus trucidandus vel spoliandus sit. Item si quis iurauit se ieiunaturum certo die, & eodem die incidat in morbum. Item que si quis iurauerit puella se ducturum eam in vxorem, quæ interea in morbum incurabilem, vel magnam pauperatam, aut infamiam notabilem incidit. Item que si quis iurauit se castigaturum aliquem & postea intelligit inde securura multa graui incommoda: vt familiaris, vel reipublicæ perturbationem, amicorum pro ipso intercedentium perniciolam indignationem: & sic in alijs casibus in quibus ex iuramenti implerione sequitur aliquod magnum damnum temporale aut spirituale: quod præuisum, plane reuocasset à iurando.

Norandum octauo, Obligationem iuramenti cessare ob superuenientem impossibilitatem vel magnam difficultatem, qua illius obseruatio impeditur. Quod notabile nullam difficultatem habet quoad impossibilitatem: cum nitatur regula ea iuris. Impossibilitatem nulla est obligatio: sique expressa D. Thomæ doctrina 2. 2. quæst. 89. art. 7. Quoad magnam difficultatem vero, Sotus lib. 3. De iust. & iure quæst. 1. art. 7. paulo ante explicationem primi argumenti, putat eam, ad excusandum ab obligatione seruandi iuramenti non sufficere in foro conscientie: etiam si causa sit iusta petendi dispensationem vel commutationem, vt siacillud quod fieri potest. Quæ doctrina videtur tenenda vt tutior.

Cæterum tam circa hoc, quam circa præcedentia notabilia aduertere oportet: quod Syluest. Iurament. quæst. 18. habet ex Hostiensis: si tempore iuramenti iurans crederet, vel probabilem causam habebat credendi, se non posse implere quod iurat, peccare mortaliter: vt pote qui iurat sine veritate & iudicio: secus vero est si probabiliter crederet se posse implere. Quamquam si non considerauerit sufficienter: sed imprudenter putauerit se posse iuramentum implere, non excusatur à veniali.

57. Hic occurrunt duo dubia. Prius est, An in propofitis euentibus, ipso facto cesset iuramenti obligatio: ita vt contrahendum ei, nulla sit opus illius relaxatione. De quo authores in vtramque partem refert Suarez lib. 2. læpe citato cap. 35. in fine: meritoque assentitur ijs qui negant opus esse relaxatione: quia vinculum iuramenti non extenditur ad casus qui subintelliguntur excepti: vt memorati euentus censentur.

Posterior dubium est, An sicut euentus tollit obligationem iuramenti, ita possit facere obligationem, vbi non erat obligatio: vt v.g. An si illud quod peccatum erat, quando iuratum est, contingat postea esse non peccatum, is qui iurauit teneatur implere tunc iuramentum de eo factum. Videtur autem distinctio respondendum. Nam si iurans intenderit se obligare ad peccatum: nunquam tale iuramentum obligat, quicumque euentus sequatur: quia factum est de eo quod non est capax vinculi talis obligationis: vt patet per antedicta in explicatione secunde difficultatis. Si vero intenderit se obligare ad aliquam actionem absolute, sine ea esset peccatum siue non: tale iuramentum tunc obligat, cum contingit eam actionem esse bonam, adeoque idoneam iuramenti materiam. Videri potest Suarez in cap. 24.

Difficultas quarta. Quomodo ex parte modi iurandi obligatio iuramenti promissori sic cesset vt circa peccatum non impleretur.

58. Notandum est, ex Caiet. in verbo Periurium, & pluribus alijs quos refert Sanchez in opere Morali lib. 3. cap. 9. nu. 16. hac ex parte excusari eum qui deferens alteri honorem, iurat quod non præcedet eum in exitu ostij: si is ipse inducatur tandem ad præcedendum. In huiusmodi enim iuramentis, ille qui iurat, non intendit omnino facere prouiturat: sed quantum in se fuerit. Sicut cum D.

Petrus Ioan. 13. dixit Christo, Non lauabis mihi pedes in æternum, intellexit quantum in se esset, vt satis patet ex eo quod statim secundum ipsius Christi voluntatem contra fecerit: quod solet simili modo fieri in prædictis iuramentis. Quæ de re idem Caietan. latius tractat 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 2. dubium. Vbi addit quod communiter sic iurando ob indiscretionem peccetur venialiter: licet ob implicitam intentionem se obligandi ea ratione quæ dictum est, non peccetur contrahendo tali iuramento.

Excusantur etiam hac ex parte illi, à quibus dolo, vel errore extortum est iuramentum, quod à scientibus non esset emissum. Quam esse communem sententiam tangit Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 13. in quam aliquot Canonistas commemorat Syluest. Iuram. 4. quæst. 8. & alios magno numero, Sanchez in seq. cap. 11. num. 41. Confirmatur vero: quia iuramentum non obligat extra intentionem iurantis, ex cap. Quintaualis & cap. Veniens, De iureiur. At intentio sic iurantis non est in eo casu, obligare se: vt argumento est, quod si rem sciret, nollet iurare nec se obligare. Deinde ex cap. Humana aures 22. quæst. 5. Deus acceptat iuramentum secundum intentionem eius qui bona fide iurat: non autem secundum intentionem eius qui iuramentum dolo extorsit. Adde quod ob tacitum dissentium animique auersionem iurantis, talis euentus censetur prudenti iudicio, ab ipso exceptus. Hinc puella quæ dolo inducta à fratribus, hereditariæ paternæ cum iuramento renunciauit, pro certa dote longe minus valente, non tenetur stare iuramento. Nec tenetur ille qui nuptias promissit puellæ putans eam esse virginem, & postea intelligit fornicatam fuisse: & sic de multis similibus casibus.

Circa quos aduerte, ad obligationem non sufficere, quod interueniat intentio iurandi: quoniam ad iuramentum validum non sufficit quæuis talis intentio: sed requiritur intentio iurandi illud in particulari, quod vi ipsius iuramenti est exequendum: quandoquidem actiones humanæ, in executione positæ, versantur circa particularia. Hoc etiam Suarez in eodem lib. 2. cap. 11. notat: pluribus de eadem re agens.

Excusantur adhuc ex hac parte ij, qui per violentiam iurant in materia matrimonii: quoniam matrimonium contractum per metum cadentem in constantem virum, quantumuis iuramento confirmetur, nullum est: vt notant Caiet. in verbo Periurium, & Sotus in 4. distinct. 29. quæst. 1. art. 3. ac Couarr. in Epit. 4. decretalium cap. 3. §. 5. num. 3. Et probatur ex cap. 2. De eo qui duxit in matrimonium. In alijs autem materijs, etiam si iuramentum per metum emittatur, obligatorium est, vt habet idem Caiet. tractans prius citatum dubium secundum circa solutionem tertij argumenti: & communem doctorum sententiam esse per cap. Verum, De iureiur. habet Nauar. ad cap. Accepta, De restit. spoliatorum, oppositione quinta, num. 11. De qua re glossa ad cap. Authoritatem 15. quæst. 6. & late tum Suarez in præced. cap. 9. & 10. tum etiam Thom. Sanchez in opere Morali lib. 3. cap. 11. Ad illiusque confirmationem aperte facit, quod in cap. Si vero, De iureiur. determinatur: non esse negligenda eiusmodi iuramenta coacta: nisi seruata, vergant in interitum salutis æternæ.

Aduerte autem istud iuramentum inquam metu extortum obligare intelligendum esse, dummodo materia supra quam cadit capax sit obligationis: iuxta ea quæ dicta sunt in explicatione præcedentis difficultatis secunda.

Aduerte secundo, eam talium iuramentorum obligationem esse sub mortali, ex Caiet. ad 2. 2. quæst. 89. art. 7. & Sylu. Iuramen. 4. quæst. 7. vers. 3. ac Couarruua loco citato. Ratio vero est, quia iuramentum promissorium etiam si metu extortum, verum iuramentum est: proindeque violatio ipsius, vt & cæterorum promissorium, in materia notabili, mortalis est.

Aduerte tertio, quod dicimus iuramentum metu factum obligare, intelligi debere non solum si leuis fuerit metus, sed etiam si fuerit grauissimus, & cadens in constantem

tem virum: prout memorati authores volunt congruenter cap. Si vero & cap. Verum, De iureiur. ac etiam rationi. Cum enim ex iuramento duplex obligatio oriatur, vna homini cui iuratur, & altera Deo qui vocatur in testem: iuramentum quidem turpiter extortum, non obligat ex illa prior parte, quia nullum ius acquiritur per iniustitiam: ex hac autem posteriore parte obligat, quia iurans tenetur seruare Deo quod promittit per nomen ipsius, si id possit sine dispendio salutis aeternae. Hocque est, quod in cap. Debitores, De iureiur. significatur, cum de obligatione versus soluendi ratione iuramenti, dicitur: Si vero de ipsa iuramentum solutio iurauerint, cogendi sunt reddere Domino iuramentum.

60. Aduersari vero eidem doctrine videri potest, quod votum (cum quo iuramentum tantam habet affinitatem, vt tanquam de rebus similibus quodnam eorum magis obliget quaeratur a D. Tho. 2. 2. q. 89. art. 8.) tali metu emissum, nullum sit, prout ostendit Sotus in 4. dist. 29. quest. 1. art. 3. & in lib. 7. De iust. & iure quest. 2. art. 1. & satis insinuare videtur Concilium Trid. sess. 25. c. 19. De Regularibus: & tractabitur in seq. nu. 216, 217. & 218. Sed sciendum est voti, & iuramenti rationem in hac re diuersam esse: quod cum votum sit opus concilij, omninoq; liberum, consentaneum sit rationi, vt si voluntas necessitate imposita, ad illud compellatur, illegitimum reputetur. Iuramentum vero sit opus quod vsurpandum non est sine necessitate: & ad quod interdum homo tenetur, ac etiam impelli potest, iuxta antedicta in cap. 2. nu. 13. vnde factum est vt ecclesia ex bene coniecturata voluntate Christi, cui vota nuncupantur: recte decreuerit, ea metu graui extorta, esse nulla: quia Christus voluntarium sibi militem eligit, vt ex D. Ambrosio habetur in cap. Non est 15. quest. 1. De iuramento autem noluit ita definire: tum propter ante propositam rationem, tum ne daretur occasio peierandi ac parui pendendi iuramentum religionem: sed voluit potius vt non aliter contra iuramenta, metu etiam graui extorta, venire liceret: quam si prius relaxatio eorum obtenta esset.

Cui doctrina congruenter statuitur: quod si quis latroni aut alteri metu iniuste incurienti, iurauerit se certam pecuniam quantitatem daturum, tenebitur id praestare. Id quod post D. Thomam 2. 2. quest. 89. art. 7. ad 3. habent Caiet. ibidem, Sotus lib. 8. De iust. & iure quest. 4. art. 7. circa 3. argumentum, Sylu. Iuramentum 4. quest. 1. Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 24. & cum eis recentiores communiter. Quamquam tamen eiusmodi est obligatio ea: vt cum in illius adimplentione reuera detur turpitudine ex parte recipientis, ipsaque receptio sit iniusta: fati oportet, quod si qua ratione possit tali delicto legitime obuiari, id omissione debeat. Vnde si iurans possit prius a iuramento absolutionem obtinere: vel per fratrem correctionem possit praedonem auertere ab ipsa receptione, efficereque vt relaxet sibi iuramentum (ad quam relaxationem ipsum cogi posse non modo ab Ecclesiastico sed etiam a laico, ostendit Suarez in memorato lib. 2. cap. 39. num. 4. & 15.) id non erit praetermittendum, tanquam non modo sibi vtile, sed etiam salutare proximo.

61. An autem obligatio iuramenti extorti metu, sit sub mortali: ita vt ei qui per metum grauem compulsus iuramento aliquid promittens, peccet mortaliter si id non praestet: sicut peccaret si talis metus non interuenisset: an vero metus illius a mortali excuset, dubium est. Nam Angelus Iuramentum 5. num. 11. & in verbo Peritium nu. 7. sequutus Petrum Aureolum, & quosdam Canonistas ad cap. Verum, De iureiur. putat peccare solum venialiter. Caiet. vero, Sylu. Sotus & Nauar. locis cit. peccare mortaliter eum qui tale iuramentum transgreditur, si nihil nisi metus, ipsum excuset a graui iniuria, quae infertur Deo, transgrediendo iuramentum: atque iurauerit secundum mentem illius qui iuramentum extorquebat. Quod addo, quia si is qui iurauit metu graui compulsus mentem habuerit diuersam a mente illius, qui ipsum iniuste compulsi: ad nihil amplius tenetur, quam ad id quod intellexit: vt iidem authores annotant: & patebit per post dicenda num. 90. & 91. de iuramento promissoris quod sit verbis ambiguis.

Ceterum facta iam solutione, istud remedium soluenti suppetit ad suum recuperandum: vt id quod soluerit ad iuramentum implendum, repetat in iudicio: prout iure potest ex D. Tho. in cit. art. 7. ad 3. Neque in eo putandum est iuramento praestito contrauenire vilo modo: cum iurauerit quidem soluere, non tamen non repetere illud, quod in solutionem dederit.

Porro de eo quod queri potest, An is qui iureiurando promittit se rediturum in carcerem, teneatur redire si carcer sit iniustus (vt Tyranni vel Iudicis non competentis, aut non procedentis secundum iuris ordinem) & rediens sit iniuste pleandus morte. Nauar. in Ench. c. 12. nu. 18. & Couar. in lib. 1. variarum resolut. cap. 2. num. 7. authores in vtramque partem referunt: negantemque sequuntur: & nos innixi ipsorum auctoritate se qui possimus in praxi: prout fatetur Leonardus Lessius De iustitia & iure lib. 2. cap. 42. dubit. 6. etiam si contrariam putet esse magis contentaneam rationi: quod relinquimus scholasticis Theologis discutendum. Videri possunt Suarez in citato lib. 2. cap. 10. num. 10. & sequentibus: & Sanchez in opere Morali cap. 11. a num. 25.

Difficilis quinta, Quomodo ob relaxationem, obligatio iuramenti promissoris cesset, ita vt possit citra peccatum non impleri.

62. **Q**uinq; modis relaxari potest iuramentum promissorium, primo renunciatione, secundo remissione: ille enim cui factum est iuramentum potest tum ei renunciare, non acceptando illud: tum ipsum remittere, hoc est, post factam acceptationem: illud quod promissum est sub tali iuramento, vel gratis, vel in aliquid aliud commutatum, condonare. Tertio irritatione. Superioris enim praedictantia iuramenta suorum inferiorum irritae possunt: nempe patres, filiorum: mariti, vxorum: domini, seruorum: Praelati, suorum Religiosorum iuramenta de iis emissis in quibus illi subiciuntur: prout notat Angelus Iuramentum 5. §. 22. in fine post D. Thomam 2. 2. quest. 89. art. 9. item in fine. Quarto, potest iuramentum promissorium relaxari commutatione rei, super quam emissum est, in aliquam aliam. Quinto, & postremo dispensatione legitima Superioris.

63. Quod igitur attinet ad renunciationem & remissionem: de proposita difficultate statuitur, quod si pars in cuius fauorem iuramentum emissum est, ipsum relaxet, eum qui iurauit, sine peccato illud non implere. Ita sentiunt post D. Thomam 2. 2. quest. 89. art. 9. ad 2. Caiet. ibidem & in verbo Peritium, ac Sotus lib. 8. De iust. & iure quest. 1. art. 9. atque Medina *Cod. de re iud. quest. 3. cas. 2.* aliique communiter. Et probatur aperte: quia promissio in alterius fauorem cum iuramento facta iudicatur adimpleta, aut potius vires amittere (per subtractionem scilicet materiae) quando ipse libere renouit promissum. Adde quod non factus virtutis, sed potius prodigalitate dare ei qui accipere renouit: quodq; in promissione subintelligatur tacita condicio, nisi is cui sit, renouat: praesertim cum iurans non intendat inuitum cogere ad beneficium acceptandum, aut volenti obtrudere illud.

Sed obici potest aduersus eam doctrinam: quod in huiusmodi iuramento duplex detur obligatio: altera parti cui sit promissio: & altera Deo: ideoque licet a parte remitti possit obligatio sibi per iuramentum acquisita: non possit tamen acquisita Deo. Responderetur, iuramentum promissorium factum praesice in fauorem partis, in Deum dirigi solummodo vt in testem promissionis, qua iurans adstringitur alteri: ita vt ea ex parte non censeatur Deo ipsi iniuria fieri, nisi quando fides frangitur homini, cui facta est promissio iurando, seu Deo ipso in testem vocato. Quocirca si homo ille obligationem remittat: Deus quoque illam remittere existimandus est: prout aliis citatis notat Couar. in Epitome 4. Decretalium prima parte cap. quinto in principio.

Verum ne in hac re decipiatur nonnulla notanda sunt. Primum est, quod si iuramentum alicui, vel ob alicuius beneuolentiam sit factum de re ad honorem Dei

pertinente (vt si quis iuret alteri se religionem ingressurum, vel facturum aliquod opus pietatis, vt se daturum elemosinam; vel non facturum opus malum, vt non falsificaturum merces) non esse eidem alteri licitum, tale iuramentum relaxare ex D. Thoma 2. 2. quæst. 89. art. 9. ad 2. Soto in 8. De iustitiâ & iure quæst. 1. art. 6. Angelo *Iuramentum* 6. §. 2. ac Syluest. *Iuramentum* 5. quæst. 8. plurimisque alijs quos in opere Morali Sanchez citat libr. 3. cap. 20. numer. 5. Et ratio est: quia tunc promissio non est facta illi principaliter, sed Deo. Quod tamen intellige, dummodo interpolata non fuerit conditio, ratione cuius ille possit tale iuramentum relaxare: qualis censetur, cum quis alteri iurat se intraturum religionem, si eidem videbitur: vel alia similis: vt D. Thom. Syluest. & Sotus ibidem addunt.

Secundum est, quod Angelus in citato §. 2. habet: non posse iuramenta promissoria remissione relaxari, quando facta sunt simpliciter super aliquo faciendo vel non faciendo, quod non pertinet ad eum cui iuratur: vt si quis dicat alteri, Iuro tibi quod negotiorum, vel quod non faciam amplius talem artem: neque interest illius cui iurat, an hoc faciat vel illud omitat.

Tertium est, quod Suarez habet in memorato libr. 2. cap. 39. num. 6. obligationem promissionis iuratae, factae Deo, & propter ipsius honorem principaliter: ita tamen vt sit omnino in beneficium & vtilitatem hominis: non tolli per nudam remissionem eius, cui res promissa debetur: alias cupientis illam accipere. Ratio est, quia talis obligatio non est contracta respectu talis hominis, sed Dei: cui promittenda satisfaciendum est, reddendo verum quod sub ipsius testimonio affirmatum est: sicut fieri potest nihil obstante nuda remissione: quandoquidem eam faciens, libenter accipere rem promissam: prout merito supponitur de eo qui non ostendit se ita affectum, vt nolit rem promissam accipere. In iuramentis igitur de operibus (vt idem author ibidem habet) quæ fiunt intuitu Dei ad modum veterum, non sufficit vt illi ad quos spectat eorumdem operum vtilitas, dicant se remittere obligationem: sed requiritur vt nolint recipere quod iuratum est.

64. Quod attinet ad iritationem, commutationem & dispensationem: de proposito difficultate statuitur: per eas iuramentum promissorium relaxari eadem ratione qua votum, vt in cit. art. 9. D. Thom. & Caiet. expresserunt. Ratioque est: quia votum est maioris obligationis quam iuramentum: vt D. ipse Thomas docet in præced. art. 8. Quare sicut voti obligatio potest à Superiore relaxari iritatione commutatione, & dispensatione, prout ex professo postea ostendendum est cap. 21. 22. & 23. potest & obligatio iuramenti. Quia quidem relaxatione per Superiorem legitime facta, iuramentum ipsum absque peccato non seruetur: cum inde cesset illius obligatio, prout expressit Caiet. in verbo Periuirum in fine. Et ratio est: quia in iuramentis intelligitur excepto Superioris iure, ex cap. Venientes, De iureiur. De qua materia plenius Angelus Iuramentum 6. Sotus libr. 8. De iust. & iure quæst. 1. art. 9. Sylu. Iuramentum 5. & Couar. ad cap. Quamuis pactum. 1. par. §. 3. & late Suarez in eodem memorato libr. 2. cap. 38. & sequentibus, ac Sanchez in memorato antea cap. 20. Ad vitandam autem prolixitatem nimiam contenti erimus documenta aliquot ex ipsorum doctrina sumere: quæ in promptu habita, censeri possunt sufficere pro communi praxi nobis propolita.

65. Primum est, Iuramenti assertorii obligationem immutabilem esse, nec posse vlla relaxatione tolli: quod Couar. num. 3. recte probat, quia est de actu, qui non mutatur: vt pote iam præterito. In hoc omnes doctores conuenire habet Sylu. loco cit. quæst. 2. Quod tamen ita intelligendum est, vt nihilominus Penitens de eo violato contritus, possit talis peccati, sicut cæterorum suorum, absolutionem à legitimo Confessario accipere.

66. Secundum est, Ex eo, quod iuramentum intelligendum sit saluo, vt ante habitum est, iure Superioris: consequens esse, vt illius vinculum auferri possit per eum ad cuius pertinet id, de quo iuratum est. Eo enim ipso obligationi talis iuramenti locus esse definit, quo ille non habet

id ipsum ratum, eique contradicit: quandoquidem Superiore non esset alioqui saluum suum ius, sed ei præiudicaretur. Sic igitur, quando ille qui iurauit non habet liberam potestatem disponendi de re, quam sub iuramento promissit, tanquam de ea quæ est sub dominio, aut principali administratione alterius: iste alter ob tale suum ius, potest irritare eiusmodi iuramentum. Item si quis actiones suas sic habeat dependentes ab alterius voluntate, vt nequeat de eis licite disponere sine illius voluntate, promittatque sub iuramento aliquas suas operas: irritari potest tale iuramentum ab illo à quo talis promittens pender in suis actionibus. Sic docens in cit. cap. 38. numer. 3. Suarez: addit consequenter Papam multa iuramenta personarum Ecclesiasticarum posse ea de causa irritare, tanquam facta de rebus vel actionibus, quæ iuri, liberæque dispositioni ipsius subsunt. Possit item Principem laicum iuramenta quæ iuri ipsius vel dominio præiudicant: aut quæ publica necessitas exigit, cõdonatione relaxari. Ob illam enim, cum opus fuerit, priuatus potest à suo Principe priuari proprio iure. Possit præterea patrem filij: virum, vxoris: & dominum, serui legalis, iuramenta irritare: cum fuerint facta de ijs quæ præiudicant ipsorum dominio seu potestati. In quibus idem Suarez addit omnes consentire cum D. Thoma 2. 2. quæst. 89. art. 9. ad 3. Et merito: quia nituntur fundamento satis claro, de quo pluribus postea, cum de voto.

Tertium est, Licet esse id quod iuramento promissum est, mutare in melius bonum, ex cap. Peruenit 2. De iureiur. idque propria autoritate tanquam magis placitum Deo: nisi concernat alterius vtilitatem: quia tunc requiritur consensus illius, cui iuramentum ipsum præstitum est: aut nisi concernat Dei honorem, quia tunc Papæ aut Episcopi auctoritas requiritur, si vel dubium sit, an illud in quod fit mutatio sit bonum maius: vel euidentis sit quidem, sed eiusdem maioris boni executio non impedit, quin illud etiam quod iuratum est possit executioni mandari: vt si iurasti ire ad Sanctum Claudium, non potes propria auctoritate peregrinationem mutare in peregrinationem Lauretanam, si vna non impediatur, nec turbet sic alteram, quin vtramque successiue saltem, possis implere. Ita Syluest. loco cit. quæst. 6. notat ex Panormitan. Deque tota ea re late disserit Suarez tractatu 5. De relig. libr. secundo, cap. 12. & 13. legendus à non fastidiente prolixitate.

67. Quartum est: commutare iuramentum, quod aperte non est maioris boni impeditiuum, aut in eo dispensare solius Papæ esse, ratione totius Ecclesiæ: vel Episcopi, ratione suæ diocesis: non item alterius: nisi ad id acceperit ab illis potestatem: siue ordinariam, qualem ex communi sententia, prout Suarez testatur in seq. cap. 41. num. 12. censentur habere Prælati: quorum officio, auctoritate Apostolica, annexa est Episcopalis iurisdicatio in suos subditos: siue extraordinariam, qualem habent Confessarii nonnulli ex deleg. one Papæ. Difficultas est vero, num Confessarii, qui ex potestate delegata commutant vota, possint pari ratione iuramenta commutare. Cuius pars negans cum Azorio in 1. par. Moral. Instit. lib. 11. cap. 10. quæst. 2. post Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 275. videtur sequenda, tanquam magis conformis stylo Romanæ curiæ: cum in hac soleat cõcedi potestas commutandi iuramentum, tanquam speciale priuilegium.

68. Quintum est, quod in cit. art. 9. circa 3. argumentum bene tractat Sotus: Episcopum quidem, quantum ad rigorem rationis & iuris, habere potestatem dispensandi in omni iuramento, quod Papæ reseruatum non sit: quandoquidem tantam ille facultatem habet in omnia iuramenta, quantum in omnia vota, quæ non sunt expresse reseruata: cum maius sit horum, quam illorum vinculum. Nihilominus quantum ad æquitatem & congruitatem quandam, res magis arduas, seu in quibus difficilius est dispensatio, & an sit in eis dispensandum maxime dubitatur: solere ad Papæ tribunal deferri, iuxta illud quod in cap. Maiores, De baptismo & eius effectu habetur: ad ipsum causas maiores esse referendas.

Porro iuramenta Papæ reseruata censentur (de qua re

late Suarez in eodem lib. 2. cap. 4. c.) ea quæ facta sunt in eadem materia, in qua vota referuata, quæ commemorantur in Extrauag. vltima communi De pœnit. & remiff. nempe perpetua continentia, religionis, peregrinationis ad loca sancta in Ierusalem, peregrinationis ad limina SS. Apostolorum Romæ, & peregrinationis ad S. Iacobum in Compostella. Quibus Azorius addit in *præced. cap. 9. quæst. 4.* tum ex Soto in *cit. art. 9.* iuramenta super statutis Collegiorum seu Academicarum, atque Ecclesiarum, quorum dispensationes Papa sibi referuat: tum ex Panormit. ad cap. Quanto num. 8. De iureiurando: iuramenta quibus se obstringunt insignes viri: puta Imperator, Reges, Duces, & alij, præsertim habentes supremam iurisdictionem in temporalibus, Episcopi item, alijque superiores Ecclesiarum Antistites.

69. Sextum est multorum nobilium auctorum, quorum meminit Couarr. in *ante memorato §. 3. sub finem num. 4.* neminem in iuramentis, vt nec in votis posse dispensare absque causa legitima. Quod tamen intelligi debet distinctione adhibita. Nam vt ex Panorm. Syluester habet iuramentum 2. quæst. 2. Quando iuramentum promissorium fuerit ab inferiore præstitum in materia principaliter spectante ad Papam: siue, vt Couarr. habet in *seq. num. 5.* pertinente ad liberam Papæ dispositionem, qualis est beneficiorum Ecclesiasticorum: potest idem Papa in illo dispensare, illud irritate pro arbitrio ac sine causa: quia ipsum sic præstitum fuit, vt excepta intelligeretur eiusdem Papæ auctoritas, iuxta cap. Venientes, De iureiur.

Cum vero præstitum fuerit iuramentum in alia materia: si ea est ad honorem Dei principaliter, vt elemosyna pro Ecclesiæ fabrica, vel religionis ingressus: tunc ad dispensandum necessaria est iusta causa, qualis censetur: tum scandalum vitandum, tum maior vtilitas emanatura ex dispensatione: tum etiam quacumque alia: arbitrio Superiorum dispensantium diiudicanda. Sin autem ea sit ordinata ad alicuius proximi vtilitatem: vt eum alicui præstitum est iuramentum super aliquo contractu, aut conuentione, ne Papa quidem potest tunc dispensare, nisi de illius cui iuratum est consensu: quia nemo potest alteri debite inuito nec consentienti, rem suam auferre: cum id sit contra ius naturæ. De qua re Sotus loco citato & Suarez pluribus in *seq. cap. 4. 1.* & Sanchez in opere Mortali lib. 3. à num. 13. Qui etiam (sicut & Couarr. in citato num. 5. vers. 9.) referunt duos casus in quibus iuramentum relaxari potest sine consensu eius cui præstitum fuerat: quia ita expedit ad vtilitatem rei publicæ.

70. Prior est, quando is cui iuratum est, censetur tali poena puniendus ob aliquod crimen suum: tunc enim Superior potest efficaciter subtrahere materiam talis iuramenti: siue creditor, pro ea quam in illum habet eminenti potestate, præcipiendo vt in eo cedat suo iuri: vel per seipsum immediate, condonando tale ius debitori, vel eadem imperando vt non faciat quod iurauit: si quidem ipsum etiam ita subditum habeat, vt iuramentum ipsius relaxare possit. Quæ ratione ab Ecclesiâ iuramentum fidelitatis excommunicato vel heretico præstitum relaxatur, 15. quæst. 6. cap. 2. & sequentibus. Posterior casus est, quando iuramentum fuerit vi, metu (etiam si leui, dummodo sit cum graui iniuria: vt Suarez numer. 19. docet) vel fraude, dolove extortum, ex cap. Abbas, De iis que vi, & cap. Si vero, & cap. Verum De iureiurando.

71. Septimum documentum est, iuxta D. Thomam 2. 2. quæst. 89. art. 9. ad 3. quando aliquid sub iuramentum promissum fuerit, quod est manifeste licitum & vtile: dispensationem vel commutationem non habere locum in tali iuramento, nisi aliquid melius seu conducibilius ad communem vtilitatem occurrat faciendum.

Octauum est, quod late tractat Suarez in eodem cap. 41. sub finem, quod quis iuramentum violauerit, peccaueritve non implendo promissum in termino præstito, non ob stare quominus illius relaxatio fieri possit: quia per pœnitentiam deleri potest illa culpa, & peritio relaxationis esse rationabilis, ob periculum relabendi in peritium: neque is cui iuratum est, ex illo peritio admissum, amittit ius quod habet condonandi quod sibi promissum est: neque

etiam Superior amittit ius, quo potest iuxta antedicta iuramentum ipsum relaxare.

Postremi documenti loco addere possumus ex Soto loco cit. quod legitima dispensatio possit esse vbicumque ea in bonum commune cedit, nisi iniuria fiat terciae personæ. Id quod locum habere existimari, etiam si quis iuret se non petiturum iuramenti dispensationem, nec se vsurum illa. Nam vbi ratio plene exegerit, is quoque potest rem totam patefacere Prælato, qui si dispensare voluerit, ipse poterit tali dispensatione vt: quoniam eiusmodi iuramenta sunt fluita & fluida: vt pote facta contra iuramentum naturam, quæ talis est, vt non adeo adstringat, quin iusta de causa possit vinculum illius, Papæ vel Episcopi auctoritate relaxari.

CAP. V.

De periurio generaliter.

SUMMARIUM.

73. Periurium dicitur tum proprie, tum generaliter, seu vt non tantum completatur iuramentum in quo veritas deficit: sed etiam illud in quo iustitia aut iudicium.
74. Periurium proprie dictum peccatum est mortale suo genere.
75. Explicatio diffinitio, An licet iuramentum exposcere ab eo qui exiuratur petaturus.
76. Non licet priuata auctoritate.
77. Tres pene peccati constituta ab Ecclesia.

PERIURIUM proprie, nihil est aliud, quam iuramentum factum, id est, cui veritas deest, vt ostendit Caiet. 2. 2. q. 98. ad art. 2. & 3. Generaliter autem a nobis hic accipitur, cum D. Tho. in ead. quæst. art. 1. & Soto li. 8. De iust. & iure q. 2. art. 1. nempe vt completatur etiam iuramentum cui deest vel iustitia vel iudicium, indeque est illicitum iuxta antedicta in cap. 2. no. 15. Quæ lata acceptione D. Hieronymi ad 4. cap. Ierem. (quod refertur 22. q. 2. c. 2.) sumpsit periurium: ita tamē vt illius rationem voluerit certo ordine participari, vt D. Tho. ibid. in solutione primi argumenti declarat, & latius tractat Suarez De religione tract. 5. li. 3. c. 2. nempe vt primo & principaliter periurium sit, quando deest veritas: secundo loco vero, quando deest iustitia: & tertio loco quando deest iudicium. Nam primus horum defectuum, fallitatem formaliter continet, vt manifestum est: secundus vero, eam continet virtualiter solum, id est, non alio nomine, quam quod is qui sine iustitia iurauit, vel teneatur falsificare iuramentum: si quidem iurauit aliquid illicitum: vel certe non cogatur ei stare, si rem indifferentem iurauit: Tertius autem eam continet tantummodo potentialiter, id est, hoc tantum nomine, quod qui indifferere iurat, eo ipso se committat periculo iurandi falsum. Quæ de causa, iuramentum etiam super veritate factum sed sine necessitate, vitandum est ex Caiet. verbo Periurium in fine: etiam si, vt ille addit, tunc sit peccatum tantum veniale.

Cæterum periurium ex suo genere peccatum esse mortale D. Thomas in *seq. art. 3.* probat ex eo, quod de sui ratione importet Dei contemptum: & ideo peccatum sit ex diametro oppositum, ac repugnans reuerentiæ Deo debita. Sed quomodo id sit absolute verum, non modica difficultas est: quam tractant Caiet. ibid. & Sotus in cit. quæst. 2. art. 3. Nobis sufficit pro praxi id non adeo verum esse, quin dentur multi casus, in quibus periurium in lata sua significatione sumptum, peccatum est solummodo veniale, prout in particulari docebitur in sequentibus capitibus. Et ita quod Sapient. 14. vers. 25. periurium numeratur inter grauiora peccata orta ex idololatria, intelligendum est de periurio quo mendaciter in nomine Domini iuratur: a cuius peruersitate tanquam mortali cauendum esse, indicant verba peccantis Prouerb. 30. Tribue tantum victui meo necessaria, ne forte fatiatus alliciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus: aut egesset compullus furer, & periurum nomen Dei mei. Id est,

necge-

ne egestas sit mihi occasio dicendi iurandum falsum. Indicat etiam maledictio ac grauis poena, quam Deus Ieremie 5. vers. 4. minatur iuranti in nomine suo mendaciter.

Explicatio difficultatis, An liceat iuramentum exposcere ab eo qui existimatur peccator.

75. **D**ifficultas hic occurrit tractanda, An peccatum sit exposcere iuramentum ab eo quem scias commissurum esse periurium. De quare statuendæ videntur sequentes propositiones.

Prima est, petere iuramentum ab eo quem nescis, iuramentum falsum, nullum peccatum esse. Hanc ex D. August. habet D. Thomas 2. 2. quæst. 98. art. 4. Et probatur: quia eo ipso, quod nescio aliquem peccaturum, præsumere possum, immo & deo, quod sit recte facturus id, quod sine peccato fieri potest. Cui præsumptioni si in hac re locus non esset, vix liceret ordinarie petere ab alijs iuramentum: quod est contra communem vsum ac sensum hominum. Intelligenda est autem, dummodo ad sit necessitas notabilis vitæ aliqua petendi: cum constet non esse aliquam necessitatem iurandum. Neque petatur iuramentum, quod sine iniustitia vel turpitudine præstari nequeat, aut quod sine falsitate aut illius probabili periculo præstari non possit: ut si quis inducatur ad affirmandum sub iuramento id, quod scit non ita esse: aut ad negandum id, quod scit ita esse: aut ad iurandum definite ac tanquam certum illud quod nescit. Nam quia nullo talium modorum licite iurari potest: nec etiam talis petitio potest sine peccato fieri, cum ordinetur ad peccatum. Videri possunt Suarez in eodem lib. 3. cap. 14. num. 2. & aliorum sequentibus, ac Sanchez in opere morali lib. 3. cap. 8. à num. 5.

76. **S**ecunda propositio est: exigere priuata auctoritate iuramentum ab eo quem scias peccaturum, peccatum esse. Hanc est D. Thomas ibid. & cum eo Soti in 8. De iust. & iure quæst. 2. art. 4. & Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 20. atque aliorum plurium quos commemorant Suarez in sequenti num. 10. & Sanchez in præcedenti num. 2. Probat vero manifeste: quia cum in ea re iuramentum deferendo, illicita occasio peierandi offeratur, sane inique agitur: adeoque peccatum mortale committitur, ut præter Nauar. expresserunt Angelus & Sylu. post citandi. Et confirmatur per cap. Ille qui, 12. quæst. 5. cum dicitur, Ille qui hominem prouocat ad iuramentum, & scit eum falsum iuraturum esse, vincit homicidam.

Quod si obiciatur licitum esse (iuxta antedicta in appendice ad 2. caput) iuramentum petere ab eo quem scias iuraturum quidem verum, sed per falsos Deos, atque adeo peccatum. Respondetur dispares esse rationem: quia in iuramento quod petitur ab infideli, verum (ut suppositum est) iuramento, locus esse potest iustæ causæ siue necessitatis siue notabilis utilitatis sufficiens ad ipsum cohonestandum ex parte exigentis: cum sit aptum confirmare veritatem datæ fidei homini ab homine. In eo autem iuramento quod petitur à fideli, qui probabiliter creditur peccaturus, cum consequenter credendum sit tale nihil valiturum ad humanam fidem firmandam (quod per ipsum præterdicitur) sane scandali vitium is incurrit, qui illud tunc exposcit, neque excusari potest tanquam vti suo iure: quia in periurio nihil inest boni, quo vti possimus, præsertim ad finem cuius gratia petitur iuramentum: qui est confirmatio veritatis fidei datæ homini ab homine. Periurium enim non confirmat veritatem, sed potius falsitatem. Quæ de re pluribus Suarez in eodem cap. consequenter.

Tertia propositio est, quam idem ibidem num. 14. habet, quoties iuramentum petitur sine utilitate notabili, & alias scitur aut vehementer præsumitur, quod ille à quo petitur peccabit, mortale peccatum committi. Ratio est: quia si ne rationabili causa datur proximo ruinæ occasio, quæ ex charitate remouenda fuisset alium de oblata. Hincque patet, merito statutum esse in cap. Clericos De cohabit. Clericorum & mulierum: ne Clericis concubinarijs iuramentum deferatur de non redeundo ad concubinas: cum vehementem præsumptio sit, quod non stabunt iuramento.

Consequens est pariter male facere Cōfessarios qui compellunt penitentes iurare se non commissuros de nouo delicta in quæ facile labuntur. Id quod notant Angelus iuramentum 3. §. 11. & Sylu. iuramentum 2. q. 9. ac Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 20.

Qui etiam addunt, quod si is qui scitur peccaturus sponte se offerat ad iurandum, & ad sit rationabilis causa recipiendi iuramentum (qualis esse potest, ut super inito contractu cogatur à Iudice, præstare illud ad quod tenetur) eum qui tale iuramentum recipit, non peccare: quia non dat scandalum seu occasionem peccandi: sed solum bono aliquo fine, & urgente necessitate grani, permittit à parato peccatum committi: nimirum ut euadatur iniuria alio qui perferenda, iusque obtineatur in re notabili. Nam & Deus ad bonos fines multa mala permittit: licitumque est famuli aut filii furtum permittere, ut ipsorum indolem exploret, ipsosque corrigat, ac in posterum tibi ab illis caueas. Addit quoque Suarez in eodem cap. numer. 16. posse in eiusmodi casu peti iuramentum à tali. Id quod putarim limitandum primo, ut debeat fieri sola propositione nuda propriæ voluntatis, qua optas ut ipse iuret, ac sine admixta inductione: perinde ac cum solutio futura vsuratum proponitur vsurario, declarando ei voluntatem propriam, mandandi illam executioni: si mutum aliter ab eo obtineri nequeat. Secundo vero, ut tales circumstantiæ debeant concurrere, ut quantumcumque iuramentum sit falsum: ipsum tamen valeat ad id quod præterditur: ut ad compellendum in foro externo, stare contractui, cum ipsum qui confirmauit illum iurando mendaciter.

Nota autem, quod alijs citatis Sanchez habet in fine memorati cap. octauo, non esse licitum ad iurandum falsum, ob aliquam utilitatem inducere eum qui bona fide existimabit se iurare verum. Nam etiam si ignorantia possit talem à peccato excusare, non excusabitur tamen illum inducens, ut pote qui prouocat scienter Deum ad uocari in testem falsitatis, in quo illum afficit graui iniuria.

Tertia propositio est, Publicum Iudicem nullum peccatum committere, cum iuramentum exigat ab eo quem scit peccaturum: dummodo id ad partis instantiam faciat, seruato iuris ordine. Hanc est D. Thomas 2. 2. quæst. 98. art. 4. & ceterorum memoratorum, ac Couarruue ad cap. Quamuis pactum 1. par. §. 6. nu. 2. in fine plurimorumque aliorum quos refert Sanchez in eodem cap. 8. nu. 2. Probat vero: quia cum faciens quod lex precipit, quodque incumbit illi ex officio, non censetur delinquere. Quare in casu huius propositionis Iudex cum seruet legis præscriptum, iurisque ordinem, prout incumbit ei ex officio non est dicendus peccare.

Neque est quod obiciatur, non peccare quidem faciendo opus de se prohibitum: peccare tamen, tali opere inducendo alium ad peccatum periurij. Nam tale pendet solum ex malitia peierantis: non autem ex iuramenti executione legitima per Iudicem, qui non debet sequi priuata scientiam, sed publicam: ex præscripto iuris adhibendo ea quibus solet elici veritas, inter quæ ponitur periurio iuramenti, ne iustam occasionem det scandalo publico: quod illi cauendum est magis, quam spirituale detrimentum vnius priuati. Sic enim probatum reum afficit extremo supplicio, quidquid ille sic impatuerit id ferat, ut nullatenus penitere velit. Quod autem in contrarium D. Aug. dicere videtur, prout refertur in cap. Qui exigit, 22. quæst. 5. non spectat huc: quia intelligendum est, non de Iudice: sed de priuata persona iuramentum exigente. Concedendum est tamen, quod Iudex quantum potest saluo officio suo, debeat efficere ne ad huiusmodi iuramentum præstandum deueniatur.

Cæterum quod addit Suarez in fine eiusd. cap. 14. satis de se patet: licere inquam, exigere iuramentum ab eo qui verum iuraturus probabiliter creditur: si quidem iusta causa ad sit exigendi: talisque exactio fiat simplici petitione, dato quod exigens nullam iurisdictionem habeat, qua possit per præceptum, cogere alterum ad iurandum. Quod si iurisdictionem habeat, ut pater in filium: Prælati in subditum: ipsa iuramenti exactio fieri poterit per coactionem,

nem, potestati exigentis proportionatam, precepto imposito quod obligabit in conscientia, iuxta illud ad Romanos 13. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, damnationem sibi acquirunt.

Pœna periurii constituta ob periurium.

78. Porro gravissimum peccatum esse periurium (quod pluribus Suarez tractat in præced. cap. 3.) indicant pœnæ ob ipsum periurii constitutæ: quæ sunt: iure quidem diuino. Tum reatus æternæ mortis, cum sit transgressio vnus ex præceptis, de quibus dictum est à Domino Matr. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Tum maledictio, seu afflictio in temporalibus: quam Deus apud Zachariam in cap. 5. minatur venturam ad domum iuuantis in nomine suo mendaciter, & commoraturam in medio domus eius: & consumpturam illam, & ligna eius, & lapides eius. Quo etiam pertinere censeri potest illud Ecclesiastici 23. Vir multum iurans replebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga.

Iure autem Canonico quatuor habentur constitutæ. Prima est (quæ iam relinquatur Confessarij arbitrio) vt pro ea in iungatur eadem pœnitentiæ, quæ pro fornicatione, aut adulterio, aut homicidio voluntarie commisso, ex cap. fin. 21. quæst. 1. Eratq; eiusmodi pœnitentiæ ex cap. Quicumque, 6. quæst. 5. & ex cap. 1. aliquotque sequentibus. 22. quæst. 5. quod qui peierauerat, deberet & ieiunare in pane & aqua quadraginta diebus, si erat liber: sin erat seruus, debebat ieiunare tres Quadragesimas: & deinde septem annis agere pœnitentiæ, nec vnquam admittebatur ad communionem nisi in hora mortis.

Secunda est: vt priuetur beneficijs qui peierat: nempe si electus est ad beneficium, non confirmetur: sed irritetur ipsius electio. ex cap. finali De iurando in 6. Sin iam habeat beneficium, priuetur illo ex cap. Querelam, extra eod. titulo. Nec tantum priuandus est omni beneficio, sed etiam debet inhabilis reddi ad omne beneficium obtinendum in posterum, ex proxime seq. cap. Tu nos. Veruntamen pœnæ istæ non incurruntur ipso iure: sed sunt per sententiam Iudicis imponendæ, prout ostendit Suarez in eod. lib. 3. cap. 20. à num. 5.

Tertia pœnæ est, quod peierans si falsum iuret & notorius sit, efficiatur infamis ipso iure: ex cap. Infames, 6. q. 1. De qua pluribus Suarez, legendus ibid. à nu. 7.

Quarta pœnæ est, vt periurus non admittatur ad ferendum testimonium, ex cap. Quicumque, 6. quæst. 1. & ex cap. Paruuli 22. quæst. 5. Immo quantumuis in reliquis peccatis, quæ faciunt hominem infamem, peccator post peccatam pœnitentiæ, & emendationem vitæ, cessante iam infamia, admittatur ad testimonium: periurus tamen nullo vnquam tempore admittitur: prout habetur ex cap. Testimonium De testibus & attestat. Per quod, vt ostendit Suarez in eodem cap. num. 19. non imponitur periuro obligatio in conscientia ad abstinendum à iurando in posterum, etiam in iudicio: sed solum pœnæ: vt si ad iurandum accedat, possit repelli per exceptionem vel accusationem: præsertim, vt idem num. 20. addit, cum periurium fuerit commissum in iudicio, aut in pacto vel promissione solemnî (nisi per metum aut aliquam iniuriam extortum sit) aut ab eo qui publica infamia laborat, quod solet peierare.

CAP. VI.

De periurio assertorio.

SUMMARIUM.

- 79. Periurium assertorium est peccatum mortale, à quo nihil excusat nisi defectus plene deliberationis.
- 80. Quod verum est de quocumq; iuramento, quo falsum iuratur: aut verum quidem, sed existimatur falsum.
- 81. Quid sit sentendum de eo, qui iurat illud de quo incertus est, aut quod existimat verum esse, cum sit falsum.
- 82. Difficultas de iuramento falso, quod per inadvertentiam profertur: an excusetur à mortali.

83. Aduertens ad iuramentum, sed non ad dictum falsum: aut contra ad dictum falsum: sed non ad iuramentum, excusari potest à mortali per inadvertentiam.

84. Consuetudo iurandi ex se non est, nec facit esse peccatum mortale.

85. Consuetudo iurandi non obstat quin peierans inadvertenter, excusetur à mortali.

86. Duo casus excepti.

87. An per consuetudinem iurandi constitutur quis in statu peccati mortalis. & quid sit sentendum de iuramento assertorio, quo vere quidem iuratur, sed de re vana aut mala.

79. **P**ERIURIUM assertorium dicitur, quo mendacium iuramento assertitur: falsum videlicet assertum, aut verum negando. Quod esse peccatum mortale constat ex D. Thomæ doctrina, proposita in precedenti num. 74. Idque verum est in quacumque materia, quacumque de causa, & sub quacumque forma iuratur: prout constat ex Bulla Martini quinti quæ habetur in fine Concilij Constant. expresseruntque Sotus lib. 8. De iust. & iure quæst. 2. art. 3. conclusio 2. & Caiet. in verbo Periurium, ac Nauarr. in Enechir. cap. 12. num. 5. & communem certamque sententiam esse, eisdem ac alijs in eam referent, notat Suarez in eod. lib. 3. cap. 4. nu. 2. Adeo vt, addit ibid. Caiet. nulla in eo admittatur excusatio, nisi ex imperfectione deliberationis seu aduertentiæ, quam in præced. lib. 15. sub initium cap. 2. ostendimus à mortali excusare. Itaque, vt ait ibidem Sotus, siue parua siue magna fuerit materia in qua fit iuramentum falsum, ipsum semper est mortale peccatum: quandoquidem semper in se notabilis est iniuriæ illa, quæ licimando, irrogatur Deo, tanquam futurus sit reus mendacij, aut mendacio suffragaturus. Id quod ab ipso per se estione perinde alienum est in re parua, ac in magna: cum tam vere mendacium sit, de re parua dictum, quam dictum de magna. Similiter, vt idem Sotus addit, peccatum periurium est mortale, quantumcumque finis ob quem fit, sit alias sanctissimus, & causa piensissima eaque grauissima: vt si peieres ad cauendam mortem sue tibi, siue alteri innocenti, vel ad liberandam à prodicione vel incendio totam ciuitatem, vel etiam ad eripiendum ab inferni faucibus animam: nullis enim talibus circumstantijs periurium assertorium iustificatur, cum intrinsece malum sit, per notabilem quam includit Dei irreuerentiam, tanquam sibi innotam.

Addi pariter potest cum Caiet. & Nauarr. nullam neq; propriam neque alienam utilitatem, vel necessitatem, ne quidem mortis, aut alterius cuiuscumque grauis periculi merum excusare à tali peccato. Talia enim non impediunt quominus Deus adhibeatur testis mendacij. Nec obstat quod in cap. Verum De iurandis statuatur, eos non esse tanquam pro mortali puniendos, qui iuramenta meri extorta non seruauerint. Nam, prout D. Thom. 2. 2. quæst. 98. art. 3. ad 1. notat, id non ideo dicitur, quod non peccent mortaliter: sed quod minor pœnæ sit eis quam cæteris periuris infligenda. Addi demque eadem ratione potest cum iisdem authoribus neque excusationem in hac re esse à mortali, quod ex animi leuitate, vel ex consuetudine, aut iocandi, vel excusandi aut purgandi se gratia, aut iure furore percitus quis iurauerit: nisi tanta esset ira, quæ iuranti iudicium ad mortalem culpam sufficiens adimeret: vt bene notatum est à Nauarr. in Enechir. cap. 12. num. 10. Tantum enim abest vt leuitas causa ob quam sic peieratur, minuat malitiam periurij, vt augeat potius: quia maior tunc irreuerentia Deo irrogatur: cum propter rem parua, testimonium ipsius contemnitur. Quod notatum est à D. Thoma in eodem art. 3. ad 2.

Documenta de proposito periurio.

SECTIO I.

80. **C**æterum pro praxi ad particula descendendo, oportet aliquot documenta notare. Primum est: proxime dicta procedere, siue per Deum, siue per creaturas in ipsum relatas, siue simpliciter, siue excoarctate iuramentum concipiatur: vt ex D. Bonauentura & Gabriele Nauarr.

in præ-

in preced. num. 5. refert: ita vt mortaliter peccet qui peccat sine iurando simpliciter per Deum, siue per sancta Evangelia, aut per Beatam Virginem vel alium Sanctum: siue per suam vitam, vel suam conscientiam: siue execratorie dicendo, Ita me Deus adiuet; comburat igne Sancti Antonij; Moriat, &c. Quamquam grauius perurium est ceteris paribus, quando in testem Deus expresse adducitur, quam cum creatura in ipsum relata: vt D. Thomas attingit in citata responsione ad 2.

Secundum documentum est, eum qui iurat verum, putans se iurare falsum, mortaliter delinquere: quia etiam id non sit perurium materialiter, est tamen formaliter: quia contra mentem formaliter loquitur iurando. Hoc ab omnibus receptum esse inquit Nauar. in cit. cap. 12. n. 7. per auctoritatem D. August. relatum in cap. Homines, 22. quaest. 2. A fortiori autem colligitur, cum quoque mortale perurium committere, qui pro vero iurat id quod est falsum, taleque esse credit: aut etiam quod sit non esse verum simpliciter, vt qui iurat se non fecisse aliquid, quod fecit per alium. Nam in eo etiam perurium committi a peccato sequitur ex eo quod bene notat Azor tomo 1. Insit. Moral. lib. 11. cap. 8. quaest. 2. iurandum non solum esse interpretandum secundum communem sensum quem verba habent: sed etiam secundum sensum in quo iura solent illa accipere. At secundum iura aliquis quid fecisse dicitur, non tantum cum per se ipsum vere fecit, sed etiam cum per alium; iuxta illud quod habetur, lege item apud Labeonem ff. de iniuriis. §. fecisse vim conuinci non tantum is videtur qui vociferaturus est, sed is quoque qui concitauit alios ad vociferandum, vel qui summisit vt vociferentur.

81. Tertium documentum est, Eum esse perurium, qui pro certo iurat id quod verum sit, aut falsum, varia ductus ratione ambigit: siue illud verum sit, siue falsum: nisi affirmet eo solo modo quo illud nouit: ea nimirum ratione qua Archidiaconus, quando Episcopo interrogante, An qui sacros ordines volunt suscipere, sint digni: respondet esse quantum humana fragilitas nosse permittit. Ita post Angelum verbo Perurium, habet Nauar. in sequenti num. 8. Istud documentum autem in eo fundatur, quod contra mentem is loquatur, qui pro certo affirmat illud de quo dubitat: arque de eo iurans, exponat se periculo iurandi falsum. Vnde fit vt amans periculum, peccet in illo Ecclesiastici 3.

Quartum documentum est: de eo qui iurat quod reuera est falsum; sed credit esse verum, difficultatem esse quidem, verum mortaliter delinquit: sed eam facile tolli distinctione; quam tangunt Nauar. & alij ab ipso citati in eod. cap. 12. num. 6. Est autem, vt si ille qui iurat aduertens se iurare (sic enim de eo nunc loquimur) putet verum esse quod iurat; sed ignorantia crassa ignoret falsum esse; tunc sine dubitatione committat perurium mortale: quia cum talis ignorantia sit inexcusabilis, relinquit actum in sua naturali malitia: adeo vt mortale perinde sit ex ea, ac ex scientia falsum iurare: quia temeritati, non autem prudentiae, tribui debet; si quis leui coniectura adductus ad credendum verum esse quod reuera falsum est, illud absolute iuret.

Sin autem ignorantia non sit crassa: & iurans non omnem quidem quam debuit, aliquam tamen adhibuit diligentiam: ita vt ignorantia ipsius non iudicetur crassa: ipse quoque peccat, sed tantummodo venialiter, propter plenam deliberationis defectum (de quo in sequentibus documentis) in eo qui sic animo affectus est; vt alioqui, id est, cum plena deliberatione, nollet tale quid facere; vt cum quis contra suam consuetudinem ex subitio ita motus, vel linguae lapsu inconsiderate iurat. Nam cum quis iurat aliquid, aequaliter sic dispositus vt quantumvis ipsum falsum esse aduerteret, nihilominus iurare, non excusaretur a mortali: quia tunc inconsideratio non esset causa, sed tantum comes iuramenti.

Si vero omnem quam debuit diligentiam in cauendo adhibuit, & falsum nihilominus iurauit, eo quod illud putaret verum esse, ne venialis quidem culpae reus esse censetur ex ea parte: quia tale iuramentum materialiter tan-

tum, non formaliter perurium est ob ignorantiam probabilem, quae excludens omnem voluntatem iurandi falsum, excusat omnino a peccato perurij. Aduerte autem quod si quis post debitam diligentiam adhibitam, credat solum probabiliter aliquid esse verum; & id tanquam certum confirmet iuramento, non videatur excusandus a mortali, cum proferat Deum in testem certa veritatis, quam non indicat esse talem. Secus esset autem, si aliquo recto sensu mentem suam explicaret, ac secus eandem mentem iuraret: nec quid amplius affirmaret suo iuramento, prout declaratum est in expositione tertij documenti.

Difficultas de iuramento falso, quod per inadvertentiam profertur, siue peccatum mortale.

SECTIO ALTERA

82. **Q**uinti documenti loco possumus adferre in medium explicationem dubitationis, An iuramentum falsum ex inadvertentia prolatum, excusetur a perurio mortali. Ea autem comprehendendi potest duabus propositionibus. Prior est, Si is qui iurat sit a mente alienus: vt ebrius, aut furiosus, aut dormiens (quem contingit somnando loqui vel iurare) ex tali perurio nullius culpae reus esse censetur. Ratio est, quia cum careat usu liberi arbitrij, in nullo peccat, iuxta dicta in preced. lib. 11. cap. 1. & alia multa quae tradit Conar. ad Clemen. vnicam, De homicidio 3. par. in initio. Itemque est similiter dicendum de puero pterante ante usum rationis: cum absque eo, non sit liberi arbitrij usus ad peccatum requisitus. Aduerte autem quod si ebrius crediderit se per ebrietatem probabili pterandi periculo exponi: perurium ipsius non excusatur a peccato, cum sit voluntarium in sua causa. De qua re Sylu. & Caiet. in verbo Ebrietas, ac Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 230.

Posterior propositio est. Si quis, etiam mentis compos, inadvertenter iuramentum falsum proferat, non est peccati mortalis reus. Hanc expressit Caiet. verbo Perurium. Et probat: quia tale perurium, habet Nauar. in sequenti num. 8. Istud documentum autem in eo fundatur, quod contra mentem is loquatur, qui pro certo affirmat illud de quo dubitat: arque de eo iurans, exponat se periculo iurandi falsum. Vnde fit vt amans periculum, peccet in illo Ecclesiastici 3.

83. Adde, neque mortale perurium esse, si quis de dicto deliberet quidem, non tamen de iuramento. Id quod locis cit. notant Angelus & Sylu. & tanquam communem sententiam sequitur Nauar. in Enchir. cap. 12. nu. 6. quam & tribuit D. Thomas in cit. art. 3. Et ratio esse potest: quod tunc iuramentum non sit plene deliberatum, sicut requireretur ad peccatum mortale. Nihilominus est veniale graue, quemadmodum Angelus exprimit. Nimirum ob negligentiam in tunc deliberando, vt de delicto, sic & de iuramento quod tanti momenti esse scitur. De eo vero qui aduertit se iurare, sed non aduertit falsum esse quod iurat, dubium esse potest, an mortaliter peccet. Quidquid autem aliqui contradicant, possumus tenere quod ex D. Bonauent. & Richar. Syluester loco cit. adfert: inadvertentiam in hoc casu sicut in precedenti, excusare a mortali: quam esse communem sententiam in cit. nu. 6. Nauar. annotat: eamque sequi possumus vt fauentem timoratis conscientis (praesertim cum viti, etiam virtutis & suae salutis amantes, talibus inadvertentis obnoxij sint) neque patrocinantem hominibus vitiosis: quorum inadvertentia solet esse crassa: ideoque minime excusans.

vpote quæ sunt actum redire in naturam suæ formæ, seu retinere propriam eam malitiam, quam habet scienter, ac ex intentione factus: sicut ante diximus de ignorantia crafta, cuius ea est quædam species.

Difficultas de iuramento ex praua iurandi consuetudine.

SECTIO III.

Sexti demum documenti loco, addere ad extremum possumus explicationem alterius dubij, An si inaduertentia contingat ob pessimam iurandi consuetudinem, ea possit à mortali aliquo modo excusare.

84. Videtur ergo dicendum primo, consuetudinem iurandi per se sumptam, non esse peccatum: quandoquidem consuetudo nihil est aliud, quam frequentatio actionum, quæ etiamsi peccaminosæ sint, non ideo tamen illa est peccatum; sed tantum collectio & numerus quidam peccatorum: nullam aliam malitiam habens, quam eorumdem, quorum aggregatione constat. De qua re Sotus lib. 8. *De iust. & iureq. 2. art. 3. concl. 7.* præ eaque Sanchez aliquot citat in opere Morali lib. 3. cap. 5. num. 4. Neque etiam habitus qui ex huiusmodi frequentatione oritur, peccatum est: quoniam habitibus nec meremur nec demeremur, ut patet in dormientibus: nec de illis dantur præcepta, sed de actibus in quibus est libertatis vsus; & in quos solos quadrat definitio peccati qua dicitur dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei æternam. Quin etiam iuramentum ipsum ex eo, quod ob consuetudinem iteretur sæpius (nisi aliud interueniat per quod vitietur) non efficitur peccatum mortale, ut Sotus ibidem recte probat: quia quiuis habitus generat actus similes illis ex quibus productus est. Vnde si hi non fuerint peccatum, aut tantummodo veniale, illi de se non erunt peccata mortalia, vpote qui nõ accipiunt maiorem culpæ rationem ex eo, quod ex consuetudine, & habitu exerceantur, iterenturque sæpius: quandoquidem eiusdem modi cum primo est, ut secundus sic & centesimus.

85. Dicendum est secundo, quod si quis habeat consuetudinem iurandi ad singula fere verba, siue falsum sit, siue verum illud quod iurat, & per inaduertentiam, adeoque in-
deliberate, falsum aliquid iuret, non ideo committere mortale peritium: quia potest in eiusmodi iuramento contingere motus surreptitius; qui naturaliter linguam ita rapiat, ut culpam vel omnino tollat, vel certe venialem reddat: ut totidem verbis ait Sotus in eadem concl. 7. Quod vero Caiet. 2. 2. q. 98. art. 3. ait (& approbat Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 6.) non excusari à mortali cum, qui per inaduertentiam falsum iurat, si ex consuetudine sic affectus sit animo, ut quantumuis ad id aduerteret nihilominus iuraret: Sotus ipse, *sub finem cit. art. 3.* improbat: quia inaduertentia cum est inuincibilis, tollit omnino voluntarium; sine quo non est peccatum; neque ratio peccati fundari potest in habituali affectu, quo iurans sic dispositus est, ut iuraret quantumuis sciret falsum esse illud quod cum iuramento asserit. Nam dicendum alioqui esset, taliter habituos peccare mortaliter, quædo verum inaduertenter iurant (quandoquidem ex tali habitu iurassent, etiamsi falsum id esse sciuisent) quod nimis durum esse videtur. Deinde illud solum facit ad peccatum, quod facit ad demeritum. Hæc enim duo se mutuo sequuntur. Illa vero habitualis dispositio nihil facit ad demeritum: nam ut meremur solummodo per actus bonos (nec enim coronam fortis reportat nisi qui fortiter pugnarit) ita etiam demeremur tantummodo per actus malos. Atque adeo sicut nihil ad rationem meriti conducit, quod si quis aduerteret ad hoc vel illud bonum opus, ipsum exequeretur: ita nec ad demeritum facit, quod quis, si ad hoc aut illud peccatum aduerteret, ipsum committeret. Vnde si vere ex inaduertentia iuramentum aliquod falsum protulit, qui ex habitu erat alioqui sic affectus, ut etiamsi aduerteret, nihilominus peierasset, à mortali excusatur. Eandem doctrinam cum Soto sequitur latiusque persequitur Suarez in citato lib. 3. cap. 7.

At tamen libenter concesserim Caiet. & Nauarro, quod aliquando præcipitatio suborta ex consuetudine, possit

tam culpabilis esse, ut iuramentum falsum peringat ad mortale: quemadmodum Syluester attigit in verbo Peritium quæst. 1. vers. Primum. Etenim qui ob consuetudinem prauam, in quam se immerfit: aduertere negligit, ac sine iudicio iuramenta effundit (cum amans periculum in eo pereat ex cap. 3. Ecclesiastici) si falsum iuret, non est censendus à mortali excusari: ut quando commotio subita non præcipit tempus cogitandi, sed sola consuetudo fecit, ut ex negligentia & nonnullo cõtempu peieratum sit inaduertenter. In quam sententiam Suarez it, ut patet ex fine præcedentis cap. sexti.

Libenter quoque eisdem concesserim, quod quoties quis ex eiusmodi inaduertentia culpabili, orta ex praua consuetudine; iurat quidem verum, sed cum probabili periculo iurandi id ipsum, etiamsi falsum esset, toties mortale committere: ita ut ij qui ex praua consuetudine solent iurare quidquid in buccam venerit, videantur sæpissime condemnandi peritij mortalis. Dico sæpissime, non autem semper, quia fieri potest ut non obstante praua eiusmodi consuetudine, aduertat quis verum esse quod iurat, intendatque verum iurare: vnde talis actus ipsius, ex bona intentione procedens circa obiectum bonum, censeri potest bonus, non obstante praua consuetudine: ex qua non exercetur; sed potius contra quam exercetur. Late differens de his Sanchez videri potest, in opere morali lib. 3. cap. 5.

87. Si roges: vtrum is qui iurandi consuetudinem habet, sit eo ipso in peccato mortali: Sotus in cit. concl. 7. respondet, non esse: nisi forte ponas eum non penitere præteritorum, animumque habere faciendi similiter in futurum, seu non vitandi occasiones per quas in peritium incidit, & maxime prauam consuetudinem temere iurandi, quam extirpare nihil omnino curat. In quo casu nemo ambigit eum esse in peccato mortali per voluntatem saltem interpretatiuum, qua vult se exponere periculo iurandi falsum (de quo Suarez & Sanchez in locis citatis erudite suo more) ideoque absolui non posse. Quod si sincere proponat abstinere, seque ab occasione peccandi subducat, prauamque consuetudinem extirpare studeat: quia nõ erit locus dictæ voluntati peruersæ, nihil apparet vnde absolui nequeat de rigore iustitiæ. Quamquam sæpe salubre consilium est absolutionem differre tali; ut sic inducatur à recidiuo cauere, inuigilando attentius: atque contrariæ consuetudini incumbendo; prauum habitum debilitare, ac extenuare, tandemque illum delere.

Atque hæc circa peritium asseritorium dicta sufficiant. De questione autem illa qua queritur an delinquat mortaliter is qui iurat id quod iuxta suam intentionem esse verum, sed falsum est iuxta intentionem eius cui iuratur: nihil in præsentia dicimus, quoniam de iis quæ ad illum pertinent in sequenti lib. 24. c. 1. sect. 4. dicitur ex instituto; multaque ex hisdem sufficienter intelligi poterunt ex dicendis in sequen. de iuramento amphibologico in seq. cap.

Aliam questionem vero, Quale peccatum sit iuramentum verum quidem, sed factum sine necessitate vel utilitate, aut de re mala bene explicat Suarez in eodem lib. 3. c. 12. duo docens communiter recepta. Prius est: Iuramentum asseritorium cui veritas inest sufficienter cogitata atque cognita, ac cui solum deest necessitas vel utilitas, non esse de se peccatum mortale. Ratio est quia per illud non adducitur Deus in testem falsitatis: quodque diuina auctoritas adhibeatur ad rem leuem aut vanam cõfirmandam, non est grauis irreuerentia ipsius: cum in eo non agatur contra aliquod diuinum attributum, vnde ipse macula aliqua aspergatur; sicut fit quando falso iuratur; inducendo ipsum in falsitatis testem, qui est prima veritas.

Posterius est, Iuramentum illius eiusdem modi, cui solum deest iustitia seu honestas materiæ; nõ esse de se plusquam veniale peccatum: quia per illud Deus non constituitur testis mendacij, sed solum rei prauæ & indecentis, quod non est per se grauis iniuria Dei, cum in eo auctoritas ipsius assumatur quidem ad cõfirmandam rem prauam, non tamen ut praua est; sed ut vera est. Excipe, nisi tale iuramentum fiat instrumentum peccati mortalis: ut cum quis prauo animo infamandi alterum narrat ipius

oculta peccata vera: & vt probabilior sit infamia, narrationem iuramento confirmat: quod fit contra sanctitatem iuramenti in notabilem Dei irreuerentiam, tanquam adhibiti ad cooperandum peccato.

CAPVT VII.

De periurio promissorio.

SVMMARIVM.

- 88 Iuramentum promissorium est peccatum mortale, si fiat sine animo ipsum seruandi.
- 89 Quatenus ea ratione factum de re licita planis verbis seruandum sit in conscientia, aliquot propositionibus declaratur.
- 90 Idem declaratur de facto verbis ambiguis.
- 91 De iuramento ambiguo subintellecta conditione, qua ipsum verificatur secundum mentem iurantis, non item eius cui iuratur.
- 92 Qui iurat se commissurum mortale, peccat mortaliter, non item qui veniale.
- 93 Tale peccatum est distinctum ab eo de quo iuratur.
- 94 Quale peccatum sit iurare omissionem boni supererogationis.
- 95 Factum de re indifferenti aut vana, peccatum est solum veniale.
- 96 Non implere iuramentum promissorium, peccatum est de se mortale.
- 97 Ex accidenti autem est veniale: non solum ob defectum plene deliberationis, sed etiam ob materia leuius aatem.

QUOD ad periurio promissorium attinet, aduertendum est ex Caiet. in verbo Periurium, ipsum committi posse duobus modis: nempe vel in presenti tempore quando fit: vel in futuro, quando non adimpletur: & in presenti quidem contingere, vel ex mendaci animo, vel certe ex eo, quod materia quæ promittitur sit mala. Ita hoc cap. agemus primo, de eo quod est de presenti, & ex mendaci animo. Secundo, de eo, quod est de presenti, & ex mala materia. Postremo de eo, quod in tempore futuro committitur.

De periurio promissorio, De presenti contingente ex mendaci animo.

SECTIO I.

DE hoc quid sentiendum sit exponemus aliquot propositionibus: quarum quatuor priores ad illud pertinent vt planis verbis: cæteræ, vt verbis ambiguis concipiuntur.

88. Prima igitur propositio est, Quando aliquid siue bonum siue malum per iuramentum promittitur sine animo obligandi se ac seruandi illud semper committi peccatum mortale. Ita Caiet. 2.2. quæst. 89. art. 7. ad 1. & ad 4. & in summula verbo Periurium Armilla eodem verbo §. 3. & Sotus lib. 8. De iustitia & iure q. 1. art. 7. ad 4. ac Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 11. & communem sententiam esse Theologorum aliquod citatis habet Suarez in tract. 5. De religione, lib. 3. cap. 17. num. 2. eam latius tractans. Sed nobis sufficere potest, quod satis pateat tum ex 22. quæst. 2. cap. 1. tum ex eo quod mendaciter tunc iuratur, scilicet utique Deus testis constituitur. Porro certum est eum qui sic iurauit non teneri iuramentum suum implere, imo peccare alimpendio, si id quod taliter promissit, malum sit: quia nunquam datur obligatio ad male agendum; ne quidem intercedente iuramento; quod (vt habet 58. regula iuris in 6.) non esse obligatorium contra bonos mores præsumitur.

89. Sin autem illud, quod sub iuramento promissit, bonum sit, dubium est, An teneatur in conscientia seruare tale suum iuramentum tanquam obligans quoad Deum. Syluest. quidem in verbo Iuramentum 4. quæst. 19. negat teneri. Cui suffragari videtur: tum ratio, quia quoad Deum

obligatio pensatur ex intentione: unde qui iurauit absque intentione obligandi se, remanet liber à iuramenti vinculo: tum etiam textus in cap. Humanæ aures, 22. quæst. 5. Sic enim habet: Humanæ aures, talia nostra verba iudicant, qualia foris sonant: diuina vero iudicia, talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Idem tenet rationibus & authoribus allatis Sanchez in opere Morali, lib. 3. cap. 10. numero 8. Veruntamen oppositum tanquam tutius videtur tenendum esse: nimirum iurantem eo quo dictum est modo, obligatum esse ad obseruationem promissi. Quæ est sententia Caietani ad memoratum art. 7. Nauarri in cit. cap. 12. num. 4. & Soti lib. 8. De iustitia & iure quæst. 1. artic. 7. ad 4. & aliorum quos Sanchez refert in præced. num. 7. Probatum autem quia obligatio est effectus naturalis iuramenti; ideoque non esse in hominum potestate, velle iurare (sicut hic supponimus velle) & obligationem à iuramento seiuungere. Nec obstat authoritas cap. Humanæ aures in contrarium allati: quia non negamus obligationem iuramenti promanare solum ex corde iurantis, sed tantum affirmamus, hoc ipso quod iurans habuerit in animo iurare, inde necessario iuramenti obligationem emanasse. Id quod in tract. 5. De religionel. 2. cap. 7. Suarez late persequitur. Beneque ostendit non esse ad illud necessarium, vt simul concurrat intentio promittendi, seque obligandi, ac implendi promissum. Cuius doctrinæ ratio fundamentalis est, quod ex sola intentione iurandi iuramentum habeat quod sit inuocatio Dei in testem: idque tantum requiritur ad complementum naturæ ipsius, ex qua emanat consequentione quadam naturali, obligatio imposita verbis illis Exodi. 20. Non assumes nomen Dei tui in vanum, quæ constituitur secundum, in quo versamur, Decalogi præceptum.

Secunda propositio est: quod etiam si Caietano in verbo Periurium §. 2.2. quæst. 89. art. 2. ad 4. videatur mortale semper committi, cum sine animo iurandi, aliquid per iuramentum promittitur siue bonum siue malum: nihilominus videtur esse potius videndum distinctione: nempe, quod si cum animo non iurandi simul adsit animus non implendi illud quod iuratur: tunc sine dubio mortale committitur: siue iuramentum iuste exigatur, siue iniuste, vt fit à latrone. Nam grauis irreuerentia est & iniuria, quæ hac ex parte Deo irrogatur: quandoquidem exteriore saltem actu in testem mendacij adducitur. Atque hac ratione recte procedit Caietani sententia. Cui assentiuntur Sotus lib. 8. De iustitia & iure quæst. 1. artic. 7. & Cauar. ad cap. Quamuis pactum prima par. §. 6. numero 3. Ad eiusdemque confirmationem à simili Caietanus ipse inducit, quod is qui non animo colendi, sed solo actu exteriori coleret idola, mortalis peccati reus esset.

Si vero in iuramento promissorio, cum animo non iurandi non concurrat animus non implendi promissum: adeo vt quis ita fingat se iurare aliquid, vt nihilominus habeat in animo ipsum implere; probabilior videtur sententia Soti, loco citat. assentientis tunc tantum committi peccatum mortale, cum iuramentum iure exigitur: nempe à Iudice, vel ab alio cuius interest in contractibus & commerciis humanis. Nam iniuria notabilis est, quæ fit tum legi, tum parti in hoc casu: in quo requisitus tenetur sincere iurare. Quod si per vim & metum extorqueatur iuramentum, non committeretur mortale, quidquid velint Caietanus & Conarruias, quia ibi nulla est ratio perijurij: cum ex hypothesi, is qui iurat, non intendat contrauenire iuramento: sed est sola ratio mendacij quo fingit se iurare, cum non iuret. Mendacium autem non perniciosum (vt ponimus illud esse) non est de se plus, quam veniale. Eandem doctrinam habet Suarez, quam & communem esse ait in prius citato cap. decimo septimo dicto 4.

Tertia propositio est, Quod in vniuersum qui iurat sine animo iurandi, nunquam teneatur ratione iuramenti, adimplere illud, quod sic iurauit. Ratio est: quia talis reuera non iurauit, sed potius finxit se iurare: sicque locis

citatis sentiunt Sotus Caietanus & Couar. Et aperte probatur ex cap. Humanæ aures 22. quæstione 5. Dico autem, *ratione iuramenti*, propterea quod alia dantur rationes ob quas est obligatio adimplendi illud quod iuratum est sine intentione iurandi; ut ob scandalum alioqui secuturum: quia scilicet publice & de re notabili iuratum est. Itemque propter iniuriam, si quæ sequatur nisi illud fiat: ut cum quis ad turpiter fruendum puella, iurat illi sponsalia sine animo iurandi: tenetur enim lege iustitiæ tale promissum seruare. Quod pariter dicendum est de quibusdam aliis contractibus iuratis sine animo iurandi. Quæ omnia recte Sotus notauit in lib. 8. De iust. & iure quæst. 1. art. 7. ad 4.

Quarta propositio est. Quod in dubio is qui iurauit interpretandus sit habuisse animum iurandi. Id quod Caiet. 2. 2. quæst. 89. art. 7. sub finem confirmat: quia regulare est ac naturale, ut iurantes habeant animum iurandi: ita ut is desuisse iudicandus non sit, nisi id ipsum manifeste constet. Vnde absolute, quod attinet ad forum exterius, quicumque iurauit, licet quoad Deum absque animo iurandi id fecerit, compellitur iuramento stare, teste Couar. ad cap. Quamuis pactum 1. par. §. 5. num. 3.

Atque hæc tenentur pro positiones, quibus docetur quid iudicandum sit de illo, qui planis verbis, de præsentibus, ex mendaci animo aliquid sub iuramento promittit. Deinceps sequuntur ex quibus docetur quid iudicandum sit de eo, qui idem promittit verbis amphibologicis seu ambiguis.

90.

Quinta igitur propositio est. Si verba proferantur amphibologicè, vel ita artificiosè, ut etiam si recipiant sensum eum, quem intendit is qui iurat, ille tamen cui iuratur, eum non percipiat: peccatum mortale committi, si iuramentum iure petatur: ut cum quis iuridice à suo Prælate, vel à parte ratione contractus inducitur ad iuramentum. Ita Caiet. 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 4. & Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 13. Addens ex communi sententia Canonistarum in hac iuramenti specie, necessario, *idque sub mortali*, illud quod iuratur implendum esse secundum intentionem eius cui iuratum est. Quibus suffragatur D. Thom. in cit. art. 7. ad 4. per auctoritatem Iudici cuius verba ab ipso citata referuntur 22. q. 5. cap. Quacumque arte verborum quis iuret: Deus tamen qui conscientia testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur. Dupliciter autem reus fit: quia & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capiat. Quæ posteriora verba satis indicant peccatum esse non implere tale iuramentum, sicut est & illud emittere.

Vbi aduerte tale peccatum non consistere in transgressione obligationis iuramenti, prout late tractat Suarez in tract. 5. de Relig. lib. 2. cap. 8. Et ratio est, quia dicto modo iurans non intendit iurare illud quod alter intelligit: sed illud quod ipsemet. Consistit ergo in ratione iniustitiæ, qua detrimentum proximo inferitur: & in ratione scandalii, quod in eo datur cum de iuramento facto hominibus constat, non autem de intentione occulta. Illi enim videntes, non seruari quod promissum est, Deo in testem vocato, Deus ipse in conspectu illorum, inhonoratur, quod est contra religionem & cultum eidem ex charitate debitum: quemadmodum notat Suarez in fine citati capituli.

Sexta propositio est, Si legitima causa ad sit vtendi amphibologia vel artificio in iurando, etiam si is cui iuratur alium sensum percipiat, quam iurans intenderit, atque adeo ille decipiatur, non committi peccatum mortale; & interdum nec veniale. Ita cum Caiet. loco cit. sentiunt Sotus lib. 8. De iust. & iure quæst. 1. art. 7. ad 4. & Nauar. in eodem cap. 12. num. 14. latiusque tractat Suarez in seq. lib. 3. cap. 9. Pro quo facit quod ex D. Hieronymo habetur in cap. Vtilem 22. quæst. 2. vtilem esse simulationem & in tempore assumendam. Facit etiam ratio: quia si quid sit cur tale iuramentum censeri debeat de se mortale, maxime est, quod mendaciter fiat. At non fit: quia mentiri est contra mentem propriam loqui: cui verba sua conformate loquens tenetur ad vitandum mendacium, non item alienæ: illam enim, non hanc, verba externa enuntiant. At qui iurat amphibologicè non loquitur contra propriam men-

tem. Ergo non iurat mendaciter. Exemplum autem est, cum quis per vim & iniuriam à latrone compellitur aliquid cum iuramento promittere. Nam si latro diceret, Iura mihi, te tantam numeraturum pecuniam: citra peccatum liceret ei respondere, ait Sotus, Tibi iuro me numeraturum: intelligendo hoc sensus, quod numerabit quidem, sed non ipsi latroni. Quem etiam sensum proposita verba faciunt, quantumvis latro eum non percipiat.

Eadem ratione (nisi detur aliquod remedium declinandi iuramentum) licet Iudicis intentionem subterfugere, si is aliquem contra iuris ordinem iurare cogeret, an certum quid sciat: nempe si iuret se nescire illud: subintelligendo, ut debeat dicere. Nam tunc etiam legitima adest causa vtendi amphibologia ex Soto lib. 5. De iust. & iure q. 6. art. 2. concl. 7. & Couar. in lib. 1. v. ar. resolut. cap. 2. n. 2. In sequenti 4. addente aliud exemplum de eo qui iam soluit mutuū, quod ab ipso repetitur in iudicio, nec factum solutionem probare potest. Interrogatus enim, an mutuū quod repetitur accepit, potest absolute negare; istud subintelligendo, postquam solutionem feci: vel, ut teneat aperire quod accepit.

Aduerte autem communem quidem consensum doctorum esse, istud locum habere, quando verba interposita talia fuerint, ut sensus eorum per quem verificatur iuramentum, colligi possit ex interrogatione: licet non possit ex responsione. Exemplum est, cum interrogat quis alium, An habeat aliquid quod ei det, & ille respondet se non habere: intelligendo, quod ei det. Item cum conditio quæ mente sola intelligitur, fuerit generalis, in omni iuramento intelligenda. Exemplum est, cum quis absolute iurat se daturum alicui centum, intelligendo, si id præstare possit sine peccato, vel si Superior cuius interest consentiat.

An vero idem locum habeat, quando iuratur subintelligendo conditionem: quæ nec generalis est, nec colligitur ex verbis interrogantis, aliquid contradicunt: inter quos sunt Sotus in cit. concl. 7. & Caiet. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 4. Sed tamen tunc quoque habere locum (quod Suarez in eodem lib. 3. cap. 10. plenius tractat, Nauarro & aliquot aliis in eam sententiam citatis) non caret probabilitate: eaque ad moralem certitudinem sufficiente, ut ratio hæc ostendit. Quia aut in tali casu peccatum datur ob aliquam iniuriam quæ inferatur latroni v. g. cui iuratur, dando ei occasionem ut decipiatur: id quod dicitur equit: cum potius latro ipse sit qui infert iniuriam, dum sic extorquet iuramentum. Aut certe ob mendacium, quod cum sit malum intrinsece, nulla circumstantia cohonestari potest (ex quo capite Caiet. & Sotus sibi videntur stabilire suam sententiam.) At neque id obstat, quia nullum tunc interuenit mendacium; quoniam verba illa, quibus iuramentum concipitur, subintellecta adiectione (non quidem qualicumque, sed tali, quæ si voce exprimeretur & isdem verbis coniungeretur, congruum verumque sensum efficeret) non significant oppositum eius quod est in mente iurantis; id eoque mendacium non sunt. Ad quod facit quod Iacob non posset alioqui à mendacio excusari in eo, quod Genesis 27. patri dixit, Ego sum primogenitus tuus Esau: quem tamen excusatur ait Pontifex in cap. Gaudemus, De diuortio. Et D. Augustinus 6. De ciuit. Dei cap. 37. confirmat ex eo quod Genesis 25. scriptura prædixerit illum esse virum simplicem, Græce *ἀπλοῦς*, id est, sine fictione, adeoque alienum à mendacio. Neque pater rem cognoscens illi iratus sit; sed confirmari datam benedictionem dicens, Et erit benedictus.]

Iraq; iuxta hanc doctrinam, Nauar. ad cap. Inter verba 11. q. 3. paulo ante finem ex Henrico Gandauensi statuit, quod qui iurat se diciturum quæ nouit, vere possit quoad occulta, de quibus iniuste interrogatur, absque perijuri metu respondere, se illa nescire; intra se intelligendo, quod non ita sciat, ut detegere teneatur. Statuit similiter in Enchir. cap. 12. n. 14. quod si quis latroni metum incutienti diceret Iuro me tibi daturum 100. intelligendo in mente, si illos tibi debeam: non committat peccatum, quantumvis postea non soluat: posito quod reuera illos ei non debeat aliunde. Ratio est, quæ Sylu. Iuramentum 4.

quæst.

quæst. 7. vers. 2. vitur, quod talis non teneatur iurare secundum intentionem latronis, qui non est Index ipsius: quod que ipse vitatur simulatione licita, iuxta cap. Vitalem 22. quæst. 1. Ex qua ratione similiter concludi potest, quod etiam nos latro sub iuramento interroget. An vitatur amphibologia aliqua, vel certe exigatur iuramentum promissorium de non vitando amphibologia in promissione ei faciendi: tunc etiam nos posse licite amphibologia vitari: iurando v.g. nos nec vitari nec vituros esse: intelligendo in mente: vt inde aliqua ei inferatur iniuria. Cum enim totum hoc sit verum, nullum mendacium, ac proinde nec perjurium, committitur. Ad quorum pleniorum intelligentiam iuuabunt dicenda factus in sequen. lib. 24. cap. 1. sect. 4.

Ceterum bene monet Suarez in sine citati cap. 10. cauendum esse, ne ex hac doctrina accipiantur nimia licentia loquendi iurandi que amphibologice: quia id esset contra bonos mores, & candorem animi, simplicitate que sermonis necessariam ad retinendam humanam societatem. Itaque ex communi doctorum sententia, vt ille addit, loquendi modus per amphibologiam, præsertim mutillatam in verbis, & conceptibus integram, prout proxime dictum est: licitus non est, nisi cohereretur ex aliqua causa iusta: arbitrio prudentis. Sic in cap. Vitalem 22. quæst. 1. simulatio licita quidem esse significatur: non tamen absolute, sed pro tempore, seu quando iusta adfuerit simulandi causa: sicut adfuit cum Dauid lib. 1. Reg. 21. coram rege Achis simulauit infantiam, vt manus illius euaderet: & cum lib. 4. sequenti cap. 10. Iehu simulauit se velle colere idolom Baal, eo quod videret se non posse aliter congregare eiusdem idoli Sacerdotes, ad eos internerio ne delectos.

Et certe tunc saltem cum deest iusta simulandi causa, locum habet cap. Quacumque, 22. quæst. 5. in quo dupliciter reus dicitur tanquam in vanum Dei nomen assumens, & proximum dolo capiens: qui amphibologice iurat, eo quod quacumque arte iuret: Deus qui testis est conscientia, ita iuramentum accipiat, sicut intelligit ille cui iuratur. Quale autem sit tale peccatum, idem Suarez in sequenti cap. 11. tractat: probatque non habere malitiam perijurij: quia ille qui taliter loquitur & iurat, non intendit loqui & dicere falsum: vt supponimus. Et quamuis peccet vitendo verbis ambiguis in alio sensu quam deberet: id tamen non obstat quin vitatur in vero sensu, quem talia secundum se habent: perinde ac illum alium in quo ea viturpare deberet procedendo bona fide. Itaque peccat non quidem contra veritatem loquendo: sed eam nimirum occultando: quod tunc est mortale, sicut & mendacium, cum fuerit notabiliter perniciosum prudentis arbitrio. Pluribus de his agentem qui vult videre poterit Thomam Sanchez in opere morali lib. 3. cap. 6. & 7.

De perijurio promissorio de presenti, contingente ex mala materia.

SECTIO II.

92. **Q**uæ ad hoc perijurium pertinent, sequentibus propositionibus explicantur. Prima est, eum quidem qui animo faciendi, iurat se aliquid mortale facturum, committere peccatum mortale: sed eum qui iurat se facturum aliquid veniale, venialiter tantum delinquere. Hanc cum Caiet. 2. 2. quæst. 98. art. 2. & in verbo Perijurium, habent Armilla eod. verbo §. 3. Sotus 8. De iust. & iure quæst. 2. artic. 3. Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 15. & late Suarez in tract. 5. de religione lib. 3. cap. 19. Ea autem patet: quia in eiusmodi perijurio Deus non vocatur in testem falsitatis: quia, vt supponimus, is qui iurat, intendit facere quod iurat, etiam si male facturus: vnde non iurat mendaciter, seu contra id quod habet in mente. Quare tota malitia illius prouenit ex iustitie defectu, qui merito quidem censetur mortale peccatum constituere in re graui, qualis est mortaliter illicita: non tamen in leui, qualis est venialiter solum illicita: vt mendacium officiosum. Vbi aduerte obiter aliud esse iurare te dicturum mendacium officiosum, & aliud iurare te iuraturum mendacium officiosum: non

enim hoc vtilius iuramentum est tantum veniale, sed est mortale: vt pote quo iuratur facienda nequitia mortalis: puta mendacium iurare, quod est perijurium assertorium, ideoque mortale (quid mendacium ipsum sit leuissimum) vt probatum est in præced. num. 79.

93. Secunda propositio est, In huiusmodi iuramentis non solum dari deformitatem perijurij mortalis aut venialis, pro ratione iniustitie, quæ iuratur faciendi: sed etiam ipsiusmet iniustitie: ita vt sic iurans peccet dupliciter: nempe & volendo admittere illicitum, & iurando se admissurum. Hanc habet Nauarr. in præced. nu. 12. addens ex Caiet. iurantem se perpetraturum aliquid illicitum, sine animo illud adimplendi, vno tantum modo peccare: quia nimirum deest voluntas illiciti perpetrandi, quæ in casu præcedenti fuit cum actu male iurandi. Peccatum vero illud, quod in casu huius propositionis committitur, mortale esse: patet ex notabili iniuria quæ fit Deo, testimonium ipsius interponendo in confirmationem mendacij, cuiusmodi est promissio facta sine intentione eam adimplendi.

94. Tertia propositio est, Iurantem se omisurum aliquod bonum supererogationis, vt non mutaturum, committere in eo peccatum solummodo veniale. Hanc cum Caiet. tenent Sotus, Nauarr. & Couarr. vt iam annotauimus in præced. num. 44. patetque ex ratione ibidem allata. Quamquam tamen, vt idem Caiet. in verbo Perijurium recte annotat: si quis iurando intenderet non facere prædicta bona, etiam si occurreret casus in quo sub mortali ad ea teneretur (vt ne quidem in casu externæ necessitatis mutare) tunc mortaliter peccaret tanquam iurans mortale. Et vero, fieri potest aliquando, vt quis à peccato etiam veniali excusetur: vt cum iurauit determinate se non daturum mutuo omnibus, quia non est semper consilium, imo aliquando malum est dare omnibus.

95. Quarta propositio est, Eum qui emittit iuramentum de indifferentibus ac vanis seu nullius momenti rebus: vt de non leuanda festuca, vel de non rescindendis vnguibustali die, solum peccare venialiter. Hæc est Soti lib. 8. De iust. & iure quæst. 2. art. 3. conclus. 5. Et patet, quia si iuramentum de peccando venialiter non est plus quam veniale, nec erit de re indifferenti, seu nullius momenti.

Vltima propositio est, eum qui iurat sibi impossibile, nonnunquam peccare mortaliter, nonnunquam solum venialiter & nonnunquam excusari peccato. Peccat enim mortaliter quando iurat illud quod probe scit esse sibi impossibile: quia fieri non potest vt cum tali scientia habeat efficaciam voluntatis propositum implendi quod iurat: quæle requiritur ad iurandum vere & non mendaciter. Id quod notandum est pro his qui facile iurant se soluturos intra certum terminum, scientes id esse sibi impossibile. Item pro artificibus, qui iurant se intra certum diem perfecturos opus commissum, cum scient se non posse perficere. Peccat vero solummodo venialiter, si ex leui negligentia admissa in expendenda rei difficultate, per quam est supra ipsius vires, adimplere quod iurat. Quod si nihil curarit expendere, sed temere iuravit, non excusatur à mortali, tanquam is qui non curavit iurare falsum. Excusatur denique à peccato, si diligentia posita in re expendenda, putauerit bona fide eam esse sibi possibilem. Illum enim probabilis ignorantia efficit à peccato immunem. Quæ sequentur dicenda de obligatione istiusmodi iuramentorum factorum de materia in debita, iam sunt tradita cap. 4. in explicatione difficultatis secundæ.

De perijurio promissorio quod in tempore futuro committitur.

SECTIO III.

96. **P**erijurium promissorium in tempore futuro tunc committi censetur, cum quis aliquid licitum se facturum iurat, quod postea non facit, quando tenetur, nec iustam excusationem habet. Tale autem peccatum mortale esse ex suo genere, sententia est omnium ex Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 10. Et probatur: quia per iuramentum

cuide-

cui deest veritas, Deus asciscitur in testem falsitatis, quod est graue nefas. Dicitur autem periurium est eiusmodi, vt patet ex discrimine, quod D. Thomas tangit 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 2. inter iuramentum assertorium & iuramentum promissorium: quod vt illud censetur veritatem habere comitem, opus sit id quod iuratur esse verum, si assertio sit de præfenti: vel fuisse verum, si assertio sit de tempore præterito. Vt vero promissorium eandem comitem habeat, requiratur vt quod iuratur, fiat vetum à iurante: ita vt veritas iuramento promissorio deesse dicenda sit, si iurans, eo tempore quo tenetur, non faciat id quod iuratum est, se ita habere ac iurauit. Ad hæc finis iuramenti promissorii est firmare pacta inter homines, & eorum controuersis, finem imponere ex D. Paulo ad Hebræos 6. qui finis requiritur vt ex iuramento oriatur grauissima obligatio standi promissis: alioquin enim esset vinculum parui momenti, quod que facili negotio rumpetur ab hominibus. Id quod existimandum non est de actu virtutis præstantissimæ, maximeque coniunctæ cum fide quæ per dilectionem operatur.

97. Attamen ex accidenti ob defectum plenæ deliberationis, id ipsum periurium non esse plus quam veniale ex eo patet: quod peccatum non sit mortale nisi plene voluntarium. An vero sentiendum sit, idem contingere ob materiæ paruitatem controuersia est. Nam quod sub mortali teneatur quis seruare iuramentum promissorium de re minima (si quidem constet ei, quod possit illud licite adimplere) Caiet. affirmat 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. in *responsione ad 1. dubium*: quem Couar. sequitur in *lib. 1. var. resolut. cap. 1. num. 2.* & obiter ad cap. *Quamuis pactum 1. parte § 1. num. 4.* In eandemque sententiam alios citant Suarez. tract. 5. De religione lib. 3. cap. 16. in initio, & Thom. Sanchez in *Opere morali lib. 3. cap. 4. num. 21.* Quæ probatur: quia siue res sit magna, siue parua, in omissione adimplerionis quod iuratum est, Deus adducitur in testem falsi: in quo est notabilis iniuria ipsius.

Sed tenetur contrariam sententiam (nempe non esse peccatum mortale postquam ex animo ac sine mendacio aliquid sub iuramento promissum, illud mutato proposito non seruare in materia leui, id est, in re parui momenti) Sorus lib. 8. de iustitia & iure *quæst.* 1. art. 7. dub. 1. & *quæst.* 2. art. 3. ante sextam conclus. & D. Anton. ac Sylu. quos citant & sequuntur Nauarr. in memorato num. 10. & Suarez loco citato num. 4. Itemque Sanchez in *seq. num. 23.* pluribus aliis additis. Nituntur vero hoc fundamento: quod materiæ paruitas, in omnium præceptorum transgressione excuset à mortali. Quare excusabit etiã in transgressione præcepti de implendo iuramento. Confirmatur, quia tanta est obligatio non furandi. v. g. quanta adimplendi iuramenti, vtraque enim est diuini præcepti negatiui, ad mortale pro omni tempore obligantis. Vnde sicut qui rem parui momenti furatur, non damnatur peccati mortalis: ita nec damnandus est peccati mortalis, qui rem parui momenti iuramento promissum non præstat.

Quod Caiet. & Couar. fatent coguntur, cum res illa parua fuerit pars maioris: vt si iurasti te daturum 100. & in aliquo nummo deficias nõ condemnaberis peccati mortalis: secus vero, inquit illi, si res illa modica, vt totum quoddam, promitteretur iurando: v. g. dabo tibi vnum assem. Quod Sorus, & pluribus Suarez. num. 5. 6. 7. & 8. reuocet: quia res cum sumitur vt totum quoddam, non amittit rationem paruitatis, quæ nata est excusare à peccato mortali. Neque vnum ouum secundum se sumptum, minus est res parua, quam sumptum, vt est pars aliqua crenarum ouorum. Vnde Caiet. iuramenta matrum de dando filiis pomo, vel eis castigandis, non impleta, fatetur non facere eas peccati mortalis reas: quæ etiam est communis sententia: cuius rationem sufficientem aliam reddere, quam materiæ leuitatem non est facile. Attamen quia contrariæ sententiæ fundamentum eiusmodi est, quod ægre possit euerti: vt patet ex subtili, proluxaque disputatione quam Suarez in eum finem instituit in citato cap. 16. à nu. 9. suadenda est ralius iuramentorum obseruatio, cum fuerit licita, nec habuerit aliam iustam excusationem. Ita tamen vt non iniiciatur scrupulus de periurio mortali,

quasi leuitas materiæ nequeat ei ob stare in iuramento promissorio, sicut nequit in assertorio.

Nec enim verum est, omitentem implere promissum iuratum, facere Deum testem mendacij, si iurauerit cum vera intentione promittendi, promissumque implendi: quia si promissum non implere, mendacium esset, nunquã cohonestari posset, vt nec aliud quoduis mendacium. Constat autem plerumque circumstantias occurrere, quæ reddant licitam omissionem promissum iurati; vt cum illius impletio est impossibilis, aut viciosa, aut maioris boni impeditiua. Itaque ratio peccati quam habet, non consistit in eo quod iuramentum emissum reddat assertorium falsitatis, quia ipsum ab initio sortitum est naturam assertorii veritatis, neque de nouo existit, vt nouam accipiat naturam. Quapropter peccatum quod contra Deum committitur violatione iuramenti promissorii, vera ac sincera intentione emissi, non est destructiuum attributi ipsius diuini; sicut peccatum quod committitur iurando mendaciter: sed contemptum continet autoritatis ipsius: eo quod non seruetur fidelitas ad quam quis coram illo se ad aliquid alteri adstrinxit. Is autem contemptus, nisi sit *formalis*, cur nequeat ex leuitate materiæ censeri peccatum solummodo veniale, (*sicut plurimi alij*) nulla datur ratio. Alia dubia proponit Syluester in verbo Iuramentum 4. sed ex dictis sufficienter patere possunt.

CAPVT VIII.

De iuramento comminatorio, deque iudiciali.

SVMMARIVM.

- 98 Quid sit tenendum de iuramento comminatorio factò mendaci animo: quidque de factò de re illicita.
99 Tres casus in quibus non est obligatio illud implendi, etiam factum de re licita.
100 Quid & quotuplex sit iuramentum iudiciale.
101 Iuramentum iudiciale necessarium triplex est; probatorium, defensiuum, & purgatorium seu calumnia.
102 De quibus præstetur iuramentum calumnia.
103 Nonnulla alia de eodem iuramento notanda.
104 De iuramento iudiciali voluntario, in quibus casibus deferatur actori, & in quibus reo.

RESTANT addenda aliqua de iuramento, quod siue assertorium siue promissorium, adhibetur ad confirmandam comminationem pænæ inflicte alicui; vnde comminatorium dicitur, aut exhibetur in iudicio, vnde appellatur iudiciale.

De iuramento comminatorio.

SECTIO PRIOR.

98. **A**C de comminatorio notanda sunt documenta quæ Caiet. habet in verbo Periurium in fine. Primum est, quod satis patet ex antedictis; Si ipsum fiat animo mendaci, etiam si comminatio iusta sit peccatum esse mortale; nisi ex inaduertentia inuincibili excusatio detur. Secundum est: penam de illicitum esse comminatorium iuramentum ac promissorium, quando factum fuerit de re quæ est, siue mortaliter siue venialiter mala: vt de aliquo occidendo, aut de diripiendis ipsius bonis. Tale autem, nullam inducere obligationem patet ex eo, quod nequeat licite impleri.

99. Tertium est, Si comminatio sit de re licita, puta de iusta inflictionem aut procuracione pænæ siue corporalis siue pecuniariæ; in tribus casibus cessare obligationem illud implendi. Primum est, quando ratio dictauerit melius futurum, vt non mandetur executioni, quam vt mandetur: quia sicut iuramentum non est vinculum iniquitatis, ita nec est impeditiuum maioris boni. Sic David cum iurasset se delecturum domum Nabal, motus precibus & rationibus Abigail, abstinuit ab executione talis iuramenti, iudicans id esse melius.

Secundum est, quando cessauit præfens iustitia, secundum quam facta est comminatio. Eam enim debere intel-

ligi

ligi secundum præsentem iustitiam, argumento est illud apud Ieremiam capite 18. Repente loquar aduersum gentem, & aduersum regnum vt eradicem, & disperdam, & destruiam illud. Si poenitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego poenitentiam, super malo quod cogitavi vt facerem ei. Sic igitur, inquit Caeteranus, qui iurat iustam punitionem, si postea parcat veniam petenti, non committit periurium: quia illa præsens iustitia secundum quam iurauit, ideo cessauit, quod per poenitentiam abolutum sit demeritum puniendum exigente iustitia.

Tertius casus est: quando poena comminata cessauerit rationem habere medicina: siue respectu personæ puniendæ siue respectu boni communis: quia consequenter cessauit rationem habere boni prosequendi, non minus quam potio amara, nullam omnino vim habens medicam. De quo casu relicti sunt prudentis iudicio statuere ex concurrentibus circumstantijs. Sic pater qui iurauit se excepturum verberibus filium, ob iniuriã affectam fororem, excusatur à periurio si illud præstare omittat, aduertens quod inde filius non fiet melior; nec pax domestica, sed potius perturbatio maior exorietur. Ratio autem cur in talibus casibus cesset obligatio, est, quod intentio vtenis iuramento comminatorio non sit iurandi absolute, sed subintellecta conditione: nisi cum petere contrarium magis expedire. Namq; iuramentũ, sicut non est vinculum iniquitatis: ita nec impeditiuum est boni melioris.

De iuramento iudiciali.

SECTIO POSTERIOR.

100. Iuramentum iudiciale dicitur, quod Iudicis, Superiorisve auctoritate exigitur, aut præstatur in iudicio: distinguiturque in liberum, & necessarium: illud est, quod in iudicio pars defert parti: voluntariumque ideo vocatur, quod vt plurimum recusari possit, nec ad illud præstandum obliget Iudex, coram quo, aut cuius consensu & approbatione exigitur in iudicio. Hoc vero est, quod in iudicio Iudex tenetur deferre: & is cui defertur, nequit ipsum absque iusta causa recusare: indeque dictum est necessarium: quod vnus ad ipsum exigendum, & alter ad ipsum præstandum necessitetur.

101. De quo agens Hostiensis in summa, tit. de assertorio iuramento. §. Quot sunt species: iudicat triplex esse (vnde intelligitur tres dari casus, in quibus Iudex tenetur deferre iuramentum, & is cui defertur, tenetur illud præstare) vnum dicitur probatorium: estq; illud, quod ad veritatem eliciendam Iudex deferre testis, & testis præstare tenetur. Alterum dicitur definitiuum: & est, quod propter inopiam probationum, deferendum est ad finiendam litem, iuxta legem vltimam. ff. De in litem iurando. Tertium vocatur purgatiuũ, & iuramentum calumniæ, tanquam institutum ad purgandam suspicionem calumniæ. Est enim illud quod iuxta cap. 1. & penult. De iuramento calumniæ, initio cuiusq; litis principales personæ, puta actor, & reus, tenentur præstare ad purgandum se de calumnia, seu ad fidem faciendam, quod in tota causa non agent calumniosi.

101. Quinq; sunt autem de quibus fidem facit is qui tale iuramentum præstat. 1. est, se credere, quod habeat iustam causam, 2. quod interrogatus non negabit id, quod verum esse credit. 3. quod non vtetur scienter falsa probatione. 4. quod dilationem non petet in fraudem. 5. quod nõ dedit nec promisit, nec dabit nec promittet pro ea lite, nisi personis ijs quibus dare lege permittitur. Eorum tria prima ad assertoriũ, & duo reliqua ad iuramentũ promissorium pertinent. Vtraq; his verbis explicata habet glossa ad citatum cap. 1. verbo Calumniæ iuramentum.

Illud iuretur, quod tibi sibi iusta videtur,
Et si quaeretur verum, non inficietur,
Nil promittetur, nec falsa probatio detur,
Vt tibi ardetur, dilatio nulla petatur.

103. Licet autem tale iuramentum regulariter debeat in exordio litis, seu statim post huius contestationem præstari, ex cap. 1. de iuramento calumniæ in 6. quia tamen ex eodem cap. ad

substantiam ordinis iudicialis, & processus validitatem, non pertinet vt tunc fiat: si fuerit tunc omissum, poterit exigi in quacunque parte litis; & merito, quia talis omisso inuitare potest ad delinquendum.

Quod Episcopi & ceteri de ordine clericali immunes sunt ab onere præstandi istiusmodi iuramentum, habetur ex cap. 1. De iuramento calumniæ. Et quod tale iuramentum præstari possit per procuratorem habetur ex eod. tit. cap. 1. §. Quamuis. Ac demum, quod siue actor siue reus recusans iurare de calumnia, statim cadat causa: habetur Extra, eod. tit. in fine.

Circa voluntarium autem iuramentum occurrit monendum: licet vt plurimum non debeat deferri, & recusari possit delatum: nonnunquam tamen deferri possit, & debeat admitti: vt quando actor semiplene tantum potest probare suam præsentionem: nempe cum probat tantum per collationem literarum missarum, aut per vnum tantum testem, aliave insufficienti ratione. Atq; tunc in tribus potissimũ casibus iuramentum deferretur eidem actori. Primus est, quando res petita modica est, & actor vir est honestus: quia cum rem semiprobauerit, nec talis ipse appareat qui velit peierare merito præsumitur certus esse de veritate. Secundus est, quando res petita, est valde magna, neq; actor ipse probare potest singula quæ perdidit; etenim loco probationis iuramentum deferretur. Tertius est, quando in reo magna apparet temeritas & improbitas in litigando. Nam tunc intelligitur ex circumstantijs, iuramentum cum opus fuerit, deferendum esse potius actori, quam illi: iuxta cap. finale De iureiur. in fine.

Reo vero tunc quoq; iuramentum deferretur in tribus casibus. Primus est, quando res de qua litigatur magna est; nec veritatem actor nouit, vel est persona suspecta: puta leuis, quæ præsumatur non iuratura verum. Secundus casus est, quando reus ipse tam bonæ famæ est, quæ actor: tunc enim consentaneum est in re modica iuramentum ipsi deferri ad defensionem sui potius, quam actori ad accusationem. Tertius est, quando actor deficit in probatione, itq; tantum habet præsumptionem aduersus reum. Nam ratio dicit non illi, sed huic deferendum esse iuramentum, quo se liberet ab illa suspitione, & ostendat suam innocentiam. Ad quod facit cap. Iuramentum §. finali De iureiurando. Pluribus de his agere iuris peritorum est, tanquam spectantibus ad forum externum. Addenda adhuc viderentur quæ pertinent ad iuramentum prout apponitur contractibus ad eorum confirmationem: sed commodius ea tradentur in sequenti lib. 25. cap. 4. sect. 4.

C A P. IX.

De adiuratione Dei.

S V M M A R I V M.

- 105 Quando contingat adiuratio, quodque ea fieri possit duobus modis.
- 106 Quæ quedam sit licita, & quedam illicita.
- 107 Quæ personæ adiurari possint, & de quibus, & cum quibus circumstantijs.
- 108 Propositiones aliquot quibus declaratur quando licita sit, vel illicita adiuratio.
- 109 Non licet adiurare demonem amice petendo, nec item vlla alia ratione societatem incundo cum ipso.
- 110 Nulla item ratione licet demonem adiurare vt opem nobis ferat.
- 111 Quando & quomodo licitum esse possit aliquid à demone petere, quodque ipsum exorcizare non sit licitum omnibus.
- 112 Qua ratione licitum sit adiurare creaturas irracionales.
- 113 Propter quid, & quomodo fieri debeat adiuratio, vt censeatur licita.
- 114 Quando illicita adiuratio peccatum sit mortale.
- 115 Casus in quibus ex parte modi illicita est mortaliter.

T R A C T A T I O N E de iuramento & periurio per modum cuiusdam appendicis adiungitur tractatio de adiuratione,

ob adiutorem quam hæc habet eam illis, nomine ipso adiurationis indicatam. Agunt autem de eadem adiuratione D. Thomas 2. 2. quæst. 90. & cum eo interpretes ipsius ibidem, & Sotus in lib. 8. De iust. & iure qu. D. Anton. 2. part. tit. 10. cap. 8. Summularij in verbo Adiuratio. Suarez in tract. 5. de religione li. 4. & Thom. Sanchez in opere Morali lib. 2. cap. 42.

105. Contingit vero adiuratio, quando quis personam aliquam ad aliquid præstandum conatur inducere per inuocationem seu interpositionem nominis Dei, aut alicuius rei sacre. Quod fieri potest duobus modis: uno per obsecrationem vel deprecationem: vt cum D. Paulus ad Rom. 12. dixit, Obsecro vos per misericordiam Dei, &c.] altero per coactionem & compulsionem: vt cum Caiphas Matth. 26. dixit Christo. Adiuro te per Deum viam, vt dicas si tu es Christus.] Inter quos modos duplex differentia cernitur. Altera, quod prior vsurpari possit erga omnes tam superiores quam inferiores, & æquales; & posterior tantum erga inferiores. Altera quod prior non habeat vim obligandi, & ideo non habeat certum effectum: posterior vero habeat, quia inferior tenetur Superiori adiuranti obedire, sicut & præcipienti.

Diuisio adiurationis.

SECTIO I.

106. **I**am quædam est adiuratio licita, & quædam illicita: licita censetur, quæ bonum habet obiectum; tam remotum, quod est persona quæ adiuratur: quam proximum, quod est id de quo illa adiuratur, simulque habet conditiones seu circumstantias debitas: quæ sunt 1. fieri cum reuerentia, 2. fieri bono fine, 3. non fieri nisi exposcente necessitate, vel magna utilitate. Illicita vero, quæ caret obiecto bono, siue proximo, siue remoto: vel aliqua circumstantia debita.

107. **A**uerte vero, quod latius Suarez tractat in citato lib. cap. 2. personam quæ adiuratur esse posse: primo Deum: non tamen adiuratione facta per modum imperij, sed per modum obsecrationis: quæ in nostris orationibus ipsum obsecramus, vt ob amorem & merita Christi, aut alicuius Sancti, nos exaudiat. Secundo, posse sanctos Angelos, aliosque Beatos: non tamen cum imperio, sed cum honore & reuerentia: præcædendo ipsos vt intercessores nostri sint apud Deum, ad obtinendum ab eo quod optamus. Tertio, posse homines adhuc viatores; nonnunquam deprecando, & nonnunquam imperando & quasi cogendo, iuxta post dicenda. Posse denique dæmonem, prout constat ex antiquissimo exorcismo- rum vsu in Ecclesia.

Illud autem de quo fit adiuratio, debet esse actio vel omis- sio de se bona: quia esset alioqui inductio ad malum; & per consequens mala. Debitæ vero circumstantiæ, quas adesse oportet, sunt: tum causa rationalis, tum finis honestus, tum decorum personarum; quod retineri censetur, si respectu earum debitus modus seruetur: vt fiet; respectu quidem eius quæ adiuratur, si id faciat secundum propositiones deinceps tradendas: respectu vero eius per quam fit adiuratio; seu quæ interponitur, vt auctoritatem, favorem, ac vim det inductio quæ alter inducatur ad agendam vel omittendam quod optatur: si talis interpositio, conditioni ipsius sit proportionata.

Propositiones quibus declaratur quando adiuratio fit vel non sit licita.

SECTIO II.

108. **P**rima est: licere cuius homini quemvis hominem adiurare deprecando. Hæc est D. Thomæ in cit. quæst. 90. art. 1. Et probatur: quia de se honestum est vt reuerentia diuinâ ad homines permouendos ad bonum.

Secunda est, Licere etiam Deum adiurare deprecando. Hanc ibidem D. Thomas probat per illud quod ante citatum est ex cap. 12. Epistolæ ad Rom. Cui accedit conclusio omnium orationum Ecclesiæ, in qua Deum obsecramus per Christum. Itemque vsus adiurandi per Abrahamum aliosque iustos, in veteri Testamento.

Tertia est, Adiurare compellendo ac cogendo, licere tantum Superioribus, & in ijs in quibus superiores sunt.

Nam id requirit auctoritatem præcipiendi: quam inique sibi vsurpat qui Superior non est. Sicque illicita fuisse, ex D. Thomæ loco cit. in solutione secundæ argumenti, censenda est antememorata adiuratio Christi per Caiphas: licita vero fuisse: tum illa qua Abrahamus adiurauit seruum Genesim capite 24. in initio, & Iacob filium suum Ioseph Genesim 47. in fine.

Quarta est, Non esse licitum ita Dæmones adiurare, vt velimus eos impellere ad opus alicuius faciendum honoris diuini causa. Ratio est: quia talis adiuratio esset vana: vt potest de eo quod moraliter est impossibile: cum Dæmones tanta voluntatis peruersitate obstinati sint: vt quicquid agunt, præsertim respectu hominum, quibus salutem inuident, proficiscatur ex odio, quo in Deum flagrant.

Quinta est, Licetum esse in Dei nomine Dæmones adiurare; non quidem rogando, aut amice petendo, sed imperando, obiurgando, ac tanquam hostes compellendo, arcendo, vt ne spiritualiter aut corporaliter hominibus noceant. Probat: quia data est Ecclesiæ potestas spiritualis à Christo adiurandi Dæmones; nõ ad obtinendum aliquid ab eo: sed ad eum expellendum ac fugandum, iuxta illud Marci vlt. Signa autem eos qui crederint hæc sequentur. In nomine meo Dæmonia eijcient; & illud Lucæ 10. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & omnem virtutem inimici.] Sicque Ecclesia ipsa suam potestatem interpretata est: exorcismos suos nõ aliter dirigens ad Dæmonem, quam imperando, obiurgando, vtgendo ad discessum. Ultra eam vero potestatem diuinitus concessam, non dari aliam tanquam naturalem, patet per illud in cap. 4. libri Iob. Non est potestas super terram quæ comparatur ei: qui factus est, vt nullum timeret.]

Sexta propositio est, Nulla ratione licitum esse adiurare Dæmones, in eundo cum illis societatem aut pactum. Hæc patet per illud prioris ad Corinth. cap. 10. Nolo vos socios fieri Dæmoniorum.] Et confirmatur: tum quia violatur in eo fides Deo data in baptismo, de abrenunciando Diabolo & operibus eius atque adeo de militando contra eundem tanquam Dei hostem: tum quia illud omne quod Dæmon spõte in nos confert, proficiscitur ex hostili in Deum, ac in nos animo. Igitur cum dæmone societatem vel pactum inire, est contra charitatem, quæ debemus ad Dei gloriam amare nos ipsos: cum inde hosti infelicitissimo demus commoditatem, nobis grauius nocendi; qui non nouit prodesse, nisi vt grauius noceat.

Septima est, Non licere (etiam citra pactum vllum, vel societatem) neque cogendo, neque deprecando adiurare Dæmonem vt opem nobis ferat in quocunque genere officij. Hæc est D. Thomæ in fine citatæ quæst. 90. habens quidem aliquam difficultatem, sed quæ illius veritatem minime labefactet, vt Greg. à Valent. 2. 2. disp. 6. quæst. 8. puncto 2. bene ostendit, tum solutione rationum contrariarum, tum confirmatione, tam sacre Scripturæ & Patrum auctoritate, quam validis rationibus; quarum vnam ne prolixiores simus, insinuatam ab Origen. homil. 16. in Numeros attigisse sufficere; quæ talis est. Postquam omnia alia ordinaria media tentata sunt: ad aliquid obtinendum; aut tunc secundum Deum expedit obtinere id quod desideratur, aut non expedit. Si expedit sine dubio Deus ipse paratus est per se, aut per sanctos Angelos nobis illud conferre: si confidenter, & pie, humiliterque id petamus iuxta ipsius expressam promissionem Matth. 6. Itaque si tunc Deo neglecto, ad Dæmones ipsius ac nostros hostes confugiamus, magnâ ignominia creatorem afficiemus, petendo id ab hoste, quod ipse multo melius & facilius potest & vult concedere: non quidem ministerio dæmonum, quorum tutela non commisit nos: sed sanctorum potius Angelorum quorum custodia traditi fuimus. Si vero non expedit id obtinere, sane repugnarem paternæ prouidentie eiusdem creatoris, tale quid opera dæmonum procurantes; quasi ij velint melius quam ille, & Angeli sancti, nobis esse consultum.

Auerte autem ex eodem Gregorio in responsione ad secundum argumentum secundi dubij: dæmone sponte occurrente, non esse illicitum adiurare ipsum, vt aliquid præstet (quando ad ipsum repellendum, arcendumque ab

homini-

hominibus id pertinet) pro maiore ignominia ipsius, & peculiari gloria Dei, aut hominum utilitate. Sic enim quidem Sancti leguntur compulsi Dæmones ad confringenda sua simulachra. Idem citatis D. Thoma ac D. Antonino Suarez habet in memorato capite 2. numero 9. bene monens quidquid in hoc genere factum est à Sanctis, non rogando sed imperando factum esse, ad Dæmonis expulsionem, cum ipsius confusione, & fructu fidelium, ac maiore Dei gloria.

Adverte etiam, quod idem Suarez habet in sequenti numero 10. licitam Dæmonis adiurationem solemnem, ac quæ fieri consuevit secundum formam ab Ecclesia institutam, præscriptamque, pertinere tantum ad Ecclesiæ ministros, specialiter ad id deputatos: per collationem scilicet ordinis exorcistatus: quæ ex Christi institutione confertur legitima potestas ad tale ministerium exercendum. Sine qua potestate, conari exterioribus adiurationibus dæmonem fugare (nisi id fiat speciali Spiritus sancti instinctu, ut olim in primitiua Ecclesia factum esse putandum est) temeritas est: quia tentatur id, quod nequit viribus naturalibus fieri: cum nulla detur potestas hominis in dæmonem, præter Ecclesiæ relictam à Christo, aut quam Deus alicui concesserit, extraordinario priuilegio. Quod sic accipe; ut tamen nihil obstet, quin fideles in fide fortes, priuatum possint ipsos tentati resistere; iuxta D. Petri monitum in 1. Epist. cap. 5. eique suam nequitiam exprobrando, imperare in virtute nominis & crucis Christi, ut recedat, cesseritque eos infestare.

112. Octaua propositio est, Non esse ita licitum adiurare creaturas irracionales, vt cum eis agi possit, ac si ea moueant se, & efficiant ex se, id quod est nobis aduersum: sed agi tanquam cum eis quæ ab alio mouentur ad id ipsum efficiendum. Hæc est D. Thomæ in eadem quæstio. 90. art. 3. quem cum Soto libr. 8. De iustitia & iure quæst. 3. art. 3. sequitur Suarez in eodem cap. in fine. Et confirmatur: quia cum tales res nec leuement, ad id quod à nobis auertere cupimus; nec percipiunt adiurationem, in vanum hæc vsurparetur: quod aduersatur huic secundo præcepto; sicut & iurare in vanum. Itaque proprie loquendo, non ipsæ, prout patet ex cap. sicur nos De consecr. dist. 4. sed ipsarum motor adiuratur: etiam si ad ipsas adiuratio aliquo modo dirigatur; eo quod in eis sit operatio nociua, quam conamur per adiurationem à nobis amoliri.

Cæterum vt à Deo mouentur, adiurandæ sunt deprecando ipsum, ne eis vtatur ad nostram perniciem; sed potius ad bonum nostrum. Sic enim ipsum precamur per Christum Dominum nostrum; vt auertat inclementiam aeris & nubium, ac nocumētum animalium: & in benedictione aquæ, ipsa ac sal exorcizantur, precando similiter ipsum, vt virtutē eis peculiarem tribuat ad aliquos effectus, nominatimque; ad fugandos dæmones. Vt vero eadem res mouentur à Dæmone, si ad hunc adiuratio directe dirigatur, fieri debet per imperium, vt ante dictum est, quo arceatur cum quadam auctoritate: ne per tales res noceat fidelibus. Sin dirigatur ad Deū, fieri debet suis ad eum precibus, vt opera Dæmonis dissoluat ac impediatur, imperetque; vt is à talibus rebus recedat, nec per eas nobis noceat.

Cauendum est autem, ne tali rerum nocentium adiurationi, superstitiosa ac vana aliqua admisceantur: vt, ex Soto loco cit. fit ab illis qui instituant accusatorem & patronum ac procuratorem: tanquam si licem cum locustis aut alijs eiusmodi habeant, quod est vanum; siue talis tractatio ad res ipsas irracionales dirigatur, cum nihil eorum præcipiant: siue dirigatur ad Dæmones à quibus illæ mouentur: quia nihil attiact eos vel defendere vel accusare, quos agere malignose, odium Dei & hominum quo flagrant, satis aperte ostendit.

113. Nona propositio est, Adiurationem perfectam, & quæ tanquam Dei cultus, propria est virtutis religionis, licite fieri posse tantum propter Deum: siue obsecrando, siue imperando fiat. Ratio est: quia sicut iuramentum, eiusdem virtutis proprium, debet cum inuocatione Dei, infallibilis veritatis, fieri, vt vim habeat veritatem reddendi certam: ita etiam adiuratio prædicta, vt efficax sit, interponi debet auctoritas Dei, qui solus illam habet summam & coniunctam cum potesta-

te quæ requiritur ad præbendam vim, & efficaciam petitioni, cui eam adiuratio admiscetur.

Fieri vero potest talis interpositio, tum expresse, vt ordinarie fit, cum petimus per ipsius misericordiam; & interdum, quando per semetipsum: vt petijt Daniel in cap. 9. in quietis, Ne moreris propter temptatum Deum meum] tum etiam implicite, vt quoties adiuratur Deus per creaturam aliquam, prout ea includit aliquam singularem participationem diuinæ bonitatis. De qua re late Suarez in tractat. 5. de Religionem libro 4. capite. 3. Nobis sufficere potest quod id satis pareat ex vsu sacræ Scripturæ, Exodi 32. cum Moyses orauit dicens, Recordare, Abraham Isaac & Isaac seruorum tuorum. Itemque ex vsu Ecclesiæ orantis per Christi opera in ipsius humanitate, aut per eam gesta: quæ de se sunt res creatæ: item per merita Sanctorum, & prærogatiuas ipsius concessas.

Postrema propositio est, Ad licitam admirationem requiri, vt fiat debito modo: ad quem pertinet maxime discretio, qua caueatur ne ipsa temere fiat data quacunque occasione, & absque vlla necessitate, vel utilitate. Quæ ratio ne in vanum ea fieret, contra hoc præceptum. Itemque obseruetur decorum personarum; neque is qui tantum est capax imperij, adiuretur præte: neque is qui tantum capax est precis, adiuretur imperio: aliter enim facere, est aperte contra rectum rationis dictamen.

Quando adiuratio illicita, peccatum sit mortale.

SECTIO III.

114. DE hac re Syluester agit in verbo Adiuratio, quæst. vltima, & post eum Suarez in memorato lib. 4. c. 4. Tenendum est autem, quod cum adiuratio illicita esse possit, vel ex parte materiæ, seu rei in quam dirigitur caditque adiuratio, vel ex parte eius propter quem, seu cuius interposita auctoritate, fit adiuratio, vel demum ex parte modi adiurandi. Ex parte quidem materiæ si hæc fit peccatum mortale, adiurationem esse illicitam mortaliter, transgressionem huius secundi præcepti in re graui. Nam per eiusmodi adiurationem nomen Deï assumitur in vanum, quod idem præceptum prohibet. Quod si materia sit tantum venialis, excusatio erit à mortali ex illius leuitate, sicut esse in iuramento promissorio docuimus in præced. cap. 7. sect. 3. Nec obstat quod in re etiam leuissima, inuocatio Dei in testem falsitatis, fit mortalis: quia nulla talis locum habet in adiuratione, in qua interponitur tantum Dei inuocatio, ex qua vim & efficaciam obtineant petitio, vel imperium cum quibus fit adiuratio. Quæ interpositio in materia veniali, irreligiosa est quidem & contra Dei reuerentiam: non tamen talis quæ amicitiam extinguat, excusante leuitate materiæ; vt passim solet in alijs peccatis. Ad quæ faciunt quæ Suarez habet in eodem cap. 4. numer. 7. & 8.

Ex parte vero eius propter quem fit adiuratio (loquimur de ea quæ spectant ad istud secundum præceptum, actus est religionis) ea mortaliter illicita censetur, quando fit propter alium quam verum Deum in se, aut in Sanctis suis. Ratio patet: quia est actus idololatriæ, Deo iaiuriosissimus: vt pote quo tribuitur alteri, quod proprium est illi, tanquam supremo omnium Domino vnico.

115. Ex parte denique modi, adiuratio illicita est mortaliter. Primo, quando superiores aut æquales adiurantur per modum coactionis: quia id fit vsurpando sibi in alterum potestatem contra iustitiam, in quo contra charitatem notabiliter læditur: nisi forte id fieret fiat ad explorandum illius animum; vel ipsum in re leui decipiendum per iocum: tunc enim ex leuitate materiæ censetur peccatum solummodo veniale: vt Suarez in citato numero 7. tangit. Secundo, cum dæmones adiurantur per modum deprecationis seu petitionis beneuolæ. Id enim est amicitiam iungere cum eis, seque disponere ad inuicendum foedus cum eis: quod notabiliter iniuriosum est Deo: ex quo tanquam Domino munificentissimo, ac Patre amantissimo toti pendere debemus. Et certe amicitia Dei repugnat, & ideo peccatum est mortale, amicitiam ac foedus inire cum hoste ipsius perpetuo, ac incorrigibili. Tertio, cum Dæmones per modum

coactionis adiurantur ut discatur aliquid ab eis, vel aliquid obsequij accipiatur. Ratio est: quod talis recursus ad Dæmonem (tanquam fornicatio quedam, qua Deo relicto, dæmoni ipsi adhæretur) maximopere diuinæ maiestati displiceat, & ab ea puniatur grauissime: prout satis indicant verba illa Numerorum 20. Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.] Exemplum habetur in libro 4. Reg. de Ochozia, qui ægrotrans misit ad consulendum Beelzebub Deum Accaron.

Si quæras quid sentiendum sit de ijs qui ab obsessis à Diabolo curiosa inquirunt: quæ nec ad Dei gloriam, nec ad proximorum utilitatem, & ædificationem faciunt. Respondendum est, prout Syluester insinuat in fine citatæ questionis vltimæ, non peccare mortaliter, si inquirant cogendo: dummodo non ea mente, ut aliquid obsequij inde consequantur: sed tantum ex curiositate, lenitateque animi, ut videatur quid Diabolus dicat. Ratio vero est, quia in eo non adheretur Dæmoni, deserto Deo; sed solum nomen huius irreuerenter assumitur in re leui, quod tantum est veniale, ut iam diximus in præcedentibus.

TRACTATUS II.

De laude Dei.

116.



Aus Dei est manifestatio excellentiæ ipsius: quæ fieri potest tum mente, & corde tantum, diciturque interior: tum verbo, seu voce, nunc, vel gestu, alioue signo externo tantum; & dicitur exterior: tum demum utroque modo & dicitur interior simul & exterior. Atque vnaquæque earum potest vsurpari tripliciter: primo per modum enunciantis, quando scilicet aliquid bonum affirmatur de Deo: vt Psalm. 47. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, &c.] vel malum negatur: vt Num. 23. Non est Deus quasi homo vt mentiatur.] Secundo, per modum inuitantis, & deprecantis vt Psalm. 100. Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine, psallam & intelligam in viam maculata: quando venies ad me.] Tertio, per modum admirantis, vt Psalm. 72. Quam bonus Israel Deus ijs qui recto sunt corde.]

Duo vero sunt quæ ad ipsam Dei laudem spectantia, peculiariter hic occurrunt à nobis consideranda, tanquam ea in quibus deficiendo, violatur secundum Decalogi præceptum in quo versatur: assumendo nomen Dei in vanum, hoc nomine: quod cultus verbis, aut æquipollentibus signis externis Deo exhibendus, exhibetur indebite. Illa autem sunt prædicatio verbi Dei, & recitatio horarum canonicarum: in quibus proinde immorabimur quantum sufficit ad iudicium de peccatis nobis propositum. Addeamus & spectantia ad blasphemiam, ipsi Dei laudi, ex diametro oppositam.

CAP. X.

De prædicatione verbi Dei, tanquam laude quadam, manifestatione ve excellentiæ ipsius publicâ.

SUMMARIUM.

- 117 Prædicationis verbi Dei dignitas maxima.
118 Prædicatio verbi Dei incumbit ex officio tam Papæ, quam cæteris Episcopis.
119 Quibus alijs idem ex officio incumbat.
120 Quibus licentiam prædicandi dare possit Episcopus, & quibus solus Papa.
121 Laico interdicitur est munus prædicandi, sic tamen vt in eo, vir capax sit dispensationis, non item femina.
122 Quatenus liberum sit Episcopo extra suam diocesim & Parocho extra suam Parochiam prædicare verbum Dei.
123 Statutum Concilij Tridentini de cæteris cobibendis, ne libere prædicent.
124 Dona naturalia in prædicatore verbi Dei requisita, non qui-

dem necessario: sed vt prædicatio gratior esse possit.

- 125 Duo alia requisita, arte & labore acquisita.
126 Alia præterea diuinitus infusa, quæ ex parte ipsius prædicatoris requiruntur.
127 Requisita in prædicatione ex parte materiæ.
128 Requisita ad solemnitatem prædicati: nis verbi Dei.
129 Quis vsus mundana scientia possit esse in prædicatione verbi Dei.
130 Peccata prædicantis sine debita auctoritate: aut in statu peccati mortalis, aut mendacia, vel iniuriam, & vana.
131 Alia prædicantis querendo seipsum non Deum: aut narrantis fabulas v. l. facetas: aut detrahentis Prælati Ecclesiæ aut Sacerdotibus, aut dissuadentis solutionem decimarum: aut denum non seruantis quæ tenetur ex decreto Concilij Tridentini.
132 Peccata quæ solent se committere, qui auditores sunt prædicationum verbi Dei.
133 Requisita ad audiendum fructuose verbi Dei prædicationem.

Quod verbi Dei summa sit dignitas, colligitur tum ex eo quod Christus Dominus ad illius exercitium expectarit ætatis suæ annum trigésimum; in quo ante illam inceptam Baptizatus est à Ioanne ex capite 3. D. Luca: tum ex eo, quod Apostoli alia munera committentes Discipulis alijs, munus prædicandi verbi Dei sibi referuarint ex Actis capit. sexto; tum demum ex eo, quod illa habeat præstantissimum obiectum nempe verbum Dei, quod sancti homines locuti sunt inspirati Spiritu sancto, 2. Petri cap. 1. in fine. Dicemus autem primo quibus ea competat. Secundo, quæ ad eam requirantur. Tertio, quæ peccata frequentius in ea contingant,

117.

De ijs quibus competit munus prædicandi verbum Dei.

SECTIO I.

EX officio prædicare competit principaliter Summo Pontifici argumento capit. In memoriam distinct. 19. & homiliarum quæ extant Summorum Pontificum, vt D. Leonis & D. Greg. Magni: itemque cæteris Episcopis: quorum istud esse munus præcipuum habet Concilium Trident. sess. 5. cap. 2. addens hæc verba: Statuit & decreuit omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos, teneri per seiplos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum IESU CHRISTI Euangelium. Quod quidem in antiqua Ecclesia fuisse diligenter seruatum, satis patet ex eo, quod scripta Sanctorum Patrum, quæ ad nos peruenierunt, maxima ex parte sint Episcoporum.

118.

Impedimentum autem prædicandi habentes, ex eodem Concilio ibidem consequenter, & ex Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. (quod refertur in cap. Inter cætera, De officio ordinarij) tenentur viros idoneos assumere, ad ipsum prædicationis officium salubriter exequendum: qui que id implere contempserit (addit vtrumque Concilium) districte subiaceat vitioni, tanquam fodiens scilicet foueam in quam cadat.

De Prælati inferioribus Episcopo, atque alijs habentibus curam animarum, idem habetur adhuc consequenter in Concilio Trident. nempe teneri per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis & festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate, pacifice salutaribus verbis: docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; annunciandoque eis cum breuitate & facilitate sermonis, vitia quæ eos declinare & virtutes quas sectari oporteat, vt pœnam æternam euadere & cœlestem gloriam consequi valeant. Id si quis præstare neglexerit, Episcopo committitur grauius puniendus. Legendus est textus eiusdem Concilij.

119.

Accum id ita sit, hoc ipso, quod alicui commissa est animarum cura, ipse ad prædicandum Dei verbum censetur missus, constitutusque iure ordinario: alias vero, nequaquam: vt patet ex decreto Concilij Lateranensis, quod refertur de hæreticis capit. Excommunicamus 1. §. Quia vero:

nisi id

nisi id faciat autoritate accepta ab Apostolica Sede, vel ab Episcopo Catholico loci. Sine qua autoritate ingerentem se tali muneri, peccare mortaliter satis constat ex eo, quod propterea dignus sit excommunicatione, qua ipsi ferendum esse statuitur in eodem cap. Vbi aduertit quod etiam si Episcopus esset quidem hæreticus, sed ab Ecclesia, non factus toleratus in officio suo, quam si Catholicus esset, concessio- nem potestatis prædicandi factam ab ipso, valere perinde ac alia per ipsum ex Episcopali officio gesta.

120. Potest autem eiusmodi licentia ab Episcopo dari, non modo Sacerdotibus simplicibus, sed etiam Diaconis, si inueniantur idonei, ex Sylu. in verbo Prædicatio quæst. 1. Et ratio esse potest, quod Diacono ex officio incumbat annunciare populo Euangelium quod intelligi potest non tantum de illius lectione, sed etiam de explicatione: quæ tamen in ipso requiritur licentia Episcopi, cum requiritur in simplici sacerdoti, iuxta ante memoratum decretum Concilij Laterani.

De licentia Papæ vero, Clericos alios etiam in minoribus tantum ordinibus constitutos prædicare posse verbum Dei, habetur ex vsu recepto in aliquibus religionibus: quibus cum sit à Sede Apostolica absolute & sine restrictione concessum, ut Prælati possint suos Religiosos mittere ad prædicandum, mittunt etiam Clericos in minoribus tantum ordinibus constitutos. Quævis sum à viris doctis ac timoratis, *vt par est existimare*, introductum, temerarium esset dam- nare.

121. Laico posse quoque à Sede Apostolica committi munus prædicandi, deduci potest ex cap. Mulier, dist. 23. in quo non quidem simpliciter, sed cum exceptione interdicitur laico munus prædicandi: femine autem interdicitur simpliciter. Et merito ob rationes quæ videri possunt apud D. Thom. 2. 2. quæstio. 177. art. 2. Ad quæ locum Caietanus bene notat, tale interdicitur non obitare quin Abbatissæ & Priorissæ liceat, immo incumbat, prædicare suis monialibus, easve adhortari ad regularum suarum obseruationem: atque ad alia quæ sunt pietatis Christianæ, ac religiosi instituti. Illud enim intelligitur de prædicatione quæ fit toti Ecclesie, id est, *vt Caiet. interpretatur*, populo ad prædicationes concurrenti communitur; seu Clericis simul, & laicis vtriusque sexus.

122. Cæterum Episcopi tanquam successores Apostolorum, qui iubente Domino in toto orbe terrarum dispersi, Euangelium prædicauerunt *ex cap. In nouo dist. 21.* censeri possunt sufficientem potestatem habere prædicandi in aliena diocesi: nisi resistant, qui in illa præsunt populo in spiritualibus. Parochi vero censeri quoque, possunt sufficientem habere potestatem prædicandi in aliena parochia intra eandem diocesim: tanquam missi ab Episcopo loci, quando ab eo acceperunt curam animarum: non vero prædicandi in aliena diocesi; tanquam ab Episcopo illius loci minime missi, per commissionem curæ animarum. Neque ratio proposita de Episcopis habet in eis, locum, ut satis intelligitur ex eodem cap. In nouo.

123. Quod attinet ad alios Sacerdotes, in Conc. Trid. sess. 5. cap. 2. De reformat. statuitur vt regulares cuiusque sint ordinis, nisi à suis Superioribus de vita & maioribus & scientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia: etiam in Ecclesijs suorum ordinum prædicare non possint. Cum qua licentia teneantur personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere antequam prædicare incipiant. In Ecclesijs vero quæ suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, teneantur etiam Episcopi licentiam habere; sine qua in talibus Ecclesijs nullo modo prædicare valeant. Iniungitur præterea Episcopis, vt neminem eorum, qui cum sint regulares, nihilominus extra claustra & obedientiam religionum suarum viuunt: neminemque Presbyterorum secularium, nisi sint ipsi noti, & moribus atque doctrina probati, permittant in sua ciuitate vel diocesi prædicare, quorumlibet priuilegiis prætextu, donec ab ipsismet Episcopis sancta Sedes Apostolica super ea re consultatur. Itemque prohibeant quæstuarios siue per se, siue per alium vlllo modo prædicare.

De requisitis ad verbi Dei prædicationem.

SECTIO II.

124. Ex parte prædicatoris præter antedictam potestatem, ad verbi Dei prædicationem requiruntur dona tum naturalia, tum arte & labore acquisita, tum etiam gratuita, diuinitusque concessa. Ac circa naturalia notandum est; ea non requiri tanquam necessaria; cum sit comperitum experientia prædicatores plenos diuino Spiritu, quamuis nullis aut valde exiguis donis naturalibus præditos, magnum hominum numerum conuertisse: & contra cumulatos eiusmodi donis, sed vacuos diuino Spiritu, vix aliquos. Requiritur ergo tantum vt externum quoddam ornamentum ipsius prædicationis, eo quod illam reddant gratiorem: sicut ornatus vestium gratiorem reddit personam. Inter talia vero dona, præcipua sunt; vox clara & sonora, firma latera, tum ad sustinendum prædicandi laborem tum ad vocem expromendam; maturitas iudicij, perspicacitas ingenij, felicitas memoria, indulgentia conformandi vultu, conuenienter qualitati rerum quæ dicuntur: perspicuitas sermonis, & facilitas in dicendo, ac docendo. Forma denique corporis nec nimis pulchra nec nimis turpis.

125. Circa dona labore & arte quaesita, notandum est, duo præcipue requiri in prædicatore Euangelico: vnum est experientia circa tractationem animarum: nempe vt expertus didicerit quibus modis peccator moueatur ad penitentiam, peccatorumve detestationem: quibus iustus inflammetur ad maiorem perfectionem ac Dei amorem: quibus remedijs instructus esse debeat homo aduersus tentationes: & alia quæ possunt esse adiumenta lucrandi Christo animas. Alterum est sufficiens scientia, præsertim sacrarum scripturarum, comparanda tam earundem, quam Doctorem Catholicorum lectione diligenti. De cæteris legi potest Ludouici Granatenfis Rhetorica.

126. Circa dona gratuita seu diuinitus insula, notandum est, ea imprimis prædicatori Euangelico necessaria esse ad fructificandū. Sunt autem 1. charitas magna in Deum, & proximum; generans tum zelum diuini honoris, atque desiderium vt totus mundus vni Deo seruiat, nec vllus eum offendant: tum compassionem de proximo, qua idem zelus temperetur admixtione affectus paterni: per quem illius, in peccato existentis, reconciliatio cum Deo, emendatioque potius queratur, quam punitio & vindicta. Secundo, frequens tractatio cum Deo, à quo scientiam illam qua possit animas iuuare, prædicator expectare debet potissimum, cum fungatur tali munere, tanquam Dei legatus ad homines (iuxta illud posterioris ad Corinth. cap. 5. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliumini Deo) si quidem legatus omnis debet particulariter de ijs quæ ad legationem suam pertinent instrui ab eo à quo mittitur. Hinc docet experientia ad notitiam viarum, seu modorum quibus possimus peccatorem lucrari Christo, orationem plus valere, quam studium. Tertio, humilitas, qua fugiatur inanis gloria; sæpissime faciens, ne ex prædicatione sequatur fructus in populo: siue quia ita Deus permittit, qui superbis resistit: siue quia prædicator suam non Dei gloriam querens, dum non loquitur ex vera charitate, efficitur velut æsonans, & cymbalum tinniens: aures scilicet auditorum obtundens, aut solum exterius pascens. Quarto, modestia in vtroque homine: vt non facile prorumpat in iram, indignationem, contumelias, iocos, scurrilitates maledictiones, &c. Quinto, vt frugalis sit in victu & vestitu atque adeo sic vitam instituat, vt neminem offendant: sitque, *exemplo D. Ioannis Baptistæ*, lucerna tam ardens, quam lucens. Cuius rei gratia vitare debet hominum frequentiam, & nimias, *feminarum præsertim*, familiaritates; quæ vix esse possunt sine alicuius offensione: vitare item colloquia illa quæ communiter generant malum odorem. Debet quoque corpus castigare, seculariaque desideria mortificare in se: ad imitationem Apostoli dicentis in priori ad Corinth. cap. 9. Castigo corpus meum & in seruitutem redigo ne cum alijs prædicauerim ipse reprobos efficiar. Nam sic merebitur sibi à Deo tribui adiumenta, quæ nec natura, nec ars, aut labor suppeditare ei valebunt.

127.

Ex parte porro materiae, in praedicatione requiritur, ut ea sit verbi Dei: quo nomine significatur sacra scriptura, tam veteris quam noui Testamenti a Sanctis interpretata: in qua sufficienter continentur ea quae possunt ad praedicationem assumi. Infitur enim praedicator vel ad docendum aliquid nostrae fieri mysterium, vel ad populum arguendum ac increpandum de aliquo vitio: vel ad exhortandum ad aliquam virtutem, instruendumque ad eiusdem usum. Ad quae quidem tria, sacra scriptura sufficientissima est, iuxta illud posterioris ad Timoth. cap. 3. Omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.

128.

Aduerte autem his non obstantibus, posse aliquid praedicationi apponi ex mandata sapientia, iuxta cap. Relatu. n. distinct. 37. Quod tamen accipi debet cum duplici limitatione. Prior est, ut non nisi pauca sumantur, iuxta illud quod in cap. Cum multa, distinct. 86. reprehenditur quidam Episcopus, eo quod grammaticam semper tractaret, id est, *interprete glossa, ad verbum Grammaticam*, in praedicatione referret fabulas gentilitium, interpretando illas moraliter. Posterior limitatio est, ne aliquid ex humanis scientiis assumatur ad quoddam sacrae scripturae complementum, sed solum ad ostendendum illud quod sacra scriptura docet, sic esse consentaneum lumini rationis naturalis, ut ad gentilibus fuerit cognitum.

129.

Ex parte demum solemnitatis seruandae in ea de qua agimus verbi Dei praedicatione, requiritur, ut sermo sit publicus: sicut censetur esse cum sit in loco publico, nullumque impedimentum ponitur quin accedere possint quicumque volunt: ut quando non clauduntur fores Ecclesiae. Secundo, requiritur ut sit sermo generalis, seu pertinens ad cuiusvis status & conditionis homines. Vnde intelligitur a numero praedicationum excludi sermones, qui habentur ad moniales aut ad religiosos in capitulo: itemque eos qui habentur in sodalitijs, seu congregationibus particularibus: etiam si habeantur a Clericis: quia non sunt sermones publici nec generales. Tertio, requiritur ut praedicator dum praedicat locum habeat distinctum a ceteris, eumque eminentiorem. Quarto, ut inuocet auxilium B. Virginis, *prout consuevit*, dicendo salutationem anglicam: siue statim initio, siue aliquanto post. Quinto, ut proponatur thema seu pars aliqua Euangelij, de quo habenda est praedicatione ipsa. Adde conuenire ut praedicatione tanquam actio dignissima, & ad Dei gloriam conducens maxime, ut fiat in templo tanquam loco dignissimo ad Dei cultum consecrato.

De peccatis quae frequentius contingunt circa praedicationem verbi Dei.

SECTIO III.

130.

Horum alia sunt praedicatoris, & alia auditorum. Atque praedicatoris frequentiora, sex refert Caiet. in verbo Praedicatorum peccata. Primum est, cum quis praedicat sine debita autoritate, siue ordinaria, siue delegata. Quod esse mortale idem author colligit ex cap. Excommunicamus 1. De haeret. §. Quia vero: ubi sub pena excommunicationis prohibetur, ne quis sine Sedis Apostolicae aut Episcopi loci autoritate, munus praedicatoris sibi assumat. De qua re iam diximus in sect. 1.

Secundum est: cum quis praedicat sciens se esse in statu peccati mortalis, nisi de eo conteratur. Existimat tamen ibidem Caiet. in eo committi tantum veniale, exceptis duobus casibus. Prior est, quando in eo statu perinde praedicaret indigne, ac si declamaret: aut ipse esset peccator notorius, vel scandalosae vitae: tunc enim magnam iniuriam facit officio praedicationis, quod sanctissimum est. Quo nomine censeri potest reprehendi a Deo per illud quod in Psal. 49. habetur. Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Posterior est, quando per contemptum muneris praedicationis, seu nihil ipse faciendo, praedicaret quis in statu peccati mortalis: quia in eo etiam magna fit iniuria officio praedicatoris. Postea autem is sententia mutata (quod attingit in

Enchiridio Nauarr. capit. 25. numero 141.) docuit absolute istiusmodi peccatum esse mortale: in eoque illi Nauarr. ibidem assentitur. Quamquam vero, extra duos illos casus memoratos mortale esse, vix possit ostendi certa ratione: duorum tamen illorum doctissimum virorum autoritas, magni certe facienda, sufficere potest homini timorato ad solite cauendum peccandi in re tanti momenti periculum.

Tertium peccatum est: Cum quis praedicat mendacia: quod Caiet. ait esse mortale grauissimum, quia euacuat vniuersam Ecclesiae autoritatem, Christi que fidem. Id autem procedit siue mendacium dicatur contra doctrinam fidei aut morum: siue circa gesta Sanctorum. aut miracula aut reliquias: siue circa Prophetias aut quascunq; alias res spectantes ad instructionem fidelium. Vnus tamen casus est, in quo mentiri in concione non est plus quam veniale: nimirum quando conuincitur illi admisceret aliqua impertinentia, & circa ea mentiretur.

Quartum peccatum est: quando quis inutilia & vana praedicat: tractans scilicet speculatiuas quaestiones, aut leges ciuiles enucleans; narrans Romanorum & aliorum gentilitium gesta, aut in alijs idem generis sumens concionem. Addit autem Caiet. tale peccatum esse grauissimum, si quis in tali re excedat. An autem sit mortale non exprimit, nec facile est statueret, nisi valde magnus in eo committeretur excessus: ut cum tota concio, aut certe maxima pars illius commoveretur in talibus, sine interpretatione & applicatione ad mores Christianos. Etenim id potius est adulterare verbum Dei, quam illud sincere praedicare. Quod indignissimum esse, satis indicat Apostolus in posteriori ad Corinth. cap. 2. sub finem, & in capit. 6. sub initium ubi is solite se purgat a tali peccato, tanquam indignissimo verbi Dei praedicatoris.

Quintum peccatum est, quando praedicator non Deum, sed seipsum quaerit: Quod dupliciter potissimum contingit: vno modo cum ad praedicandum mouetur affectu lucri: altero cum mouetur affectu propriae laudis & gloriae: Ex Caietano autem peccatum est mortale, cum praedicatoris affectus talia respiciat tanquam finem vltimum; aut is procedit vsque ad simoniam committendam. Extra quos casus veniale est de se: in quo, ex eodem Caiet. consideranda est affectus quantitas; secundumque eam est de illius grauitate iudicandum.

Sextum peccatum est, cum praedicator narrat fabulas gentilitium & faetaeas. Quod ex se veniale est, *vt addit Caiet. & approbat Nauarr. in Enchir. cap. 25. num. 142.* nisi tale quid, nimis multum fiat; ita nimirum ut tota concio vel maior pars illius consumatur in risu: quia tunc periculum magnum esset de mortali.

Addit ibidem Nauarr. septimum peccatum, quando Religiosus Praelatis Ecclesiae & Sacerdotibus, concionando detrahit praesertim ut laicis placeat ex Clemen. 1. §. Quibus autem, De privilegijs. Quod ex glossa ibidem, verbo *Detrahaunt*, intelligendum est de ijs qui detrahaunt nominatim, aut aequiuociter: seu talibus verbis ut intelligatur de quibus loquatur. Pro quo peccato imposita est illis excommunicatio reseruata Papae per Concil. Lateranense sub Leone decimo sess. prima. Quarenti vero an idem sentiendum sit de concionatoribus saecularibus: idem Nauarr. tangit respondendum esse, quod sit idem quoad culpam: quia vtrique naturae iure, talis detrahitio est pariter prohibita: non item quoad penam excommunicationis: quoniam solis Religiosis ea imponitur ab Ecclesia.

Octauum peccatum est, quod ibidem habet Nauarr. quando praedicator Religiosus disuadent populo solutionem decimarum. Quod peccatum ab Ecclesia punitur excommunicatione ipso facto incurrenda; per Clemen. 1. §. De poenis §. Illos. De eodem autem quoad praedicatorum saeculares, iudicandum est perinde, ac de praeced. peccato.

Vltimum peccatum consistit in omissione eorum quae ex definitione Concilij Trid. sess. 5. cap. 2. seruari debent ab illis quibus praedicator verbi diuini incumbit, habitum est in praeced. sect. 1. Illudque Nauarr. in sequenti numer. 134. pro mortali habet: & merito, quia tale statutum datum est in re graui, cum comminatione excommunicationis aliarumque poenarum.

Quod

137 Quod attinet ad peccata auditorum, seu quæ solent committere ij qui concionem audiunt: Primum consistit in omissione, quæ quis omittit audire concionem, quando commode potest ipse; ea indiget, ut maxime solent rudes, ignorantibus mysteria nostræ fidei. Cuiusmodi necessitas facit frequentem, ut peccatum mortale committant non audiendo cum contra charitatem omittant in graui necessitate, subuenire animæ suæ.

Secundum peccatum est, cum quis adit, & audit concionem, vel ex vanitate, vel ex curiositate, ut nolet defectus concionatoris, vel ob alium peiorem finem, verbi gratia, ut mulieres aspiciat, vel ut concionatorem irrideat. Hoc peccatum quantum sit, indicatur ex illius fine.

Tertium peccatum est, quando quis dum concio fit, non attendit, sed voluntarie distrahitur: præsertim cum concionator reprehendit aliquod vitium, a quo non vult se emendare: aut hortatur ad aliquod bonum, cui non vult vacare. Huc spectant confabulationes, risus, & cætera, quibus non solum sibi ipsi quis obest non attendendo, sed etiam aliis, qui impediuntur ab audiendo. De huius vero peccati quantitate vt iudicetur, ponderandæ sunt facti circumstantiæ.

Vltimum peccatum est contemnere, nec dare operam, vt fructus aliquis ex concione referatur: qui enim ita adest concioni, vt nihil fructus inde profusus referat, cum saltem perdat tempus, non vacat culpa saltem veniali.

138 Cæterum ad audiendam fructuose verbi Dei prædicationem, quædam præcedere eam, quædam comitari, & quædam subsequi oportet. Igitur antequam ad eam accedatur, confert vacasse alicui exercitio spii. ituali, per quod anima disponatur ad excipiendâ cum dilatactione cordis, diuini verbi fluenta: nempe orationi vacasse, aut confessionem fecisse, vel Eucharistiam sumpsisse. Confert item excitasse quasi famem ac sitim diuini verbi, tanquam cibi & potus ad animæ refectiorem accommodatissimi. Itemque concepsisse propositum emendandi vitam, corrigendo se de suis defectibus, & studendo proficere in virtutibus; ad quæ iquandus est concionum auditiõ.

Dum vero concio ipsa auditur, procuranda est reuerentia, non tantum interior recognoscendo in prædicatore loquentem Deum: sed etiam exterior cum debita corporis cõpositione, habèdo oculos demissos nec vagantes circumspiciendo. Procuranda est secunda deuotio, quæ concio auditur, cum pio in Deum affectu: non autem ea ratione, quæ ad oblectationem, aliquid prophanum audiremus. Procuranda est quoque attentio curandum vt ne distrahatur voluntarie, garramus, &c. Curandum est item vt quæ dicta sunt in concione applicemus nobis in particulari: præsertim si inueniantur ad nos pertinere ratione nostri status, aut alias nobis necessaria videantur: memores nos non interesse tanquam iudices sed tanquam discipulos.

Denique post auditam concionem oportet apud se coram Deo ruminare quæ audiuerimus, præsertim ea quæ aduertimus esse nobis valde necessaria, tanquam pertinentia ad salutem nostram, & eadem sedulo notare: atq; si occasio detur, illa referre aliis, tanquam audita in concione. Id quod conferet nobis ad illa ipsa memoria inculcanda. Et demum oportet petere à Deo vires implendi ea quæ audiuerimus, ac cum primum offertur commoditas, sed ad illa implenda applicare.

CAPVT XI.

De recitatione horarum canonicarum, tanquam Dei laude prescripta ab Ecclesia, & peculiariter de eiusdem prescripti obligatione.

S V M M A R I V M.

- 134 Tractantes de horis canonicis: & que de earum recitatione, conuenienter nostro instituto, nos tractare oporteat.
- 135 Qui obligentur ad eam: & primo de iis qui obligantur ratione sacri ordinis.
- 136 Eiusmodi obligatio Diaconis & Subdiaconis imposita est tantum per receptam, rationabiliterq; prescriptam in Ecclesia consuetudinem.

137 De Religiosis professis, qui ad recitationem horarum canonicarum tenentur.

138 Ad quid teneantur Conuersi & Nouitii in religionibus addicti choro.

139 Vnde sit Religiosorum professorum obligatio recitandi horas canonicas.

140 Communis a de re sententia, quod sit ex generali Ecclesie consuetudine.

141 Tria orollaria inde illata.

142 Omisso recitationis horarum canonicarum, peccatum est suo gener. mortale.

143 Que earumdem horarum pars censetur ita notabilis, vt illius omisso sufficiat ad peccatum mortale.

144 Refutantur aliquot aliorum dicta.

145 Quid videatur tenendum.

146 Non modo recitatio horarum canonicarum, sed etiam modus recitandi est in præcepto: & quis.



ORÆ canonice vocantur ex præces, quæ ex præscripto Ecclesiasticorum canonum, certis horis in Ecclesia recitantur. De illis autem in iure canonico agitur dist. 91. & 92. itemq; in titulo de celebratione Missarum. De iisdem post Summularios in verbo Hora: ac Sotum in lib. 10. de iust. & iure. & Nauar. in Enchir. cap. 25. n. 96. & aliquot seqq. ac lastissime in tract. de oratione, tractatur à pluribus recentioribus in. et quos in nostris sunt Gregor. à Valent. 2.2. dist. 6. quæst. 2. puncto 10. Ioan. Azorius in 1. part. Instit. Moral. lib. 10. Leonard. Lessius De iust. & iur. lib. 2. cap. 37. & nouissime Franciscus Suarez de religione tract. 4. lib. 4. Tantum autem immorabimur in iis quæ faciunt ad iudicium de peccatis nobis propositum: vt sunt primo, obligatio ad talem recitationem, secundo, conditiones requiritæ, vt ea censetur debite mandata executioni: & tertio, causæ ob quas contingit exensatio ab eadem. Atque de obligatione dicemus in hoc cap. dicturi de reliquis in duobus sequentibus.

De obligatione recitandi horas canonicas, ac primo, initiatorum sacri ordinibus.

SECTIO I.

135 EX communi Doctorum consensu teste Nauarro in memoratu tractatu de oratione cap. 7. num. 1. tria tantum genera hominum tenentur ad recitationem horarum canonicarum, communi Ecclesia siue præcepto siue consuetudine: nempe Clerici initiati maioribus ordinibus, Religiosi professi religionem in qua sunt addicti choro, & beneficiarij.

De primis, qui sunt Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, notat Nauar. in sequenti num. 2. & plenius tractat Suarez in citato lib. 4. cap. 16. non datur in iure canonico textus expressus, per quem eiusmodi obligatio confirmetur, quoad diaconos & subdiacono. Tres enim canones citari solent pro tali obligatione, ex quibus nihil de ea quoad diaconos & subdiaconos certo colligitur. Primus est, canon Presbyter, De celebratione Missarum: vbi dicitur: Presbyter mane matutinali officio expleto, pensum seruitutis sue, videlicet primam, tertiam, sextam, nonam, vespertinamque perfoluat. Quibus verbis nihil exprimitur de Diacono & Subdiacono: sed solum de Presbytero. Cui quatenus per eundem canonem censenda sit imposita obligatio recitandi horas canonicas, explicat Suarez in eod. cap. 16. num. 9. Secundus est, canon Si quis Presbyter, dist. 92. in quo fit quidem mentio diaconi & subdiaconi, non tamen de obligatis ad recitationem horarum canonicarum ratione suscepti ordinis: sed vt deputatis alicui Ecclesia: seu vt habentibus beneficia in aliqua Ecclesia. Nam illic pariter fit mentio aliorum clericorum, quos constat non omnes ratione susceptionis minorum ordinum obligari ad eam recitationem. De quo pluribus Suarez tractat quidem in cit. cap. 16. num. 10. & nonnullis sequentibus; sed nobis sufficit id satis constare ex recepta Ecclesie consuetudine.

Tertius est, canon Dolentes, De celebratione Missarum: in quo Prælati & minoribus Clericis præcipitur in virtute sanctæ obedientiæ, vt diuinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiosè celebrent, pariter & deuote.

Sed quia nomine Clericorum minorum, non minus intelligi possunt initiati minoribus ordinibus, quam ceteri, prout inferiores sunt Prælatis (cum quibus tanquam maioribus ibi comparantur) non est censendum tale præceptum esse de recitandis horis canonicis: alioqui enim quilibet Clerici ad eam recitationem tenerentur, cuius *conuarius patet ex recepta consuetudine*: sed tantum esse de modo recitandi, impositum iis qui aliunde tenentur recitare: vt Prælatis, & ex eis qui sub sunt ipsi; tum Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi, ratione ordinis; tum Clerici reliqui si beneficium Ecclesiasticum habeant.

136. Quæ cum ita sint, tenendum est quod Suarez in memorato num. 9. tenet cum Nauarro & Azorio, sequiturque Leonardus Lessius in citata dubit. 9. Diaconi & Subdiaconi obligationem recitandi horas canonicas ratione facti ordinis, prouenire ex antiqua & generali Ecclesiæ consuetudine; quæ cum sit rationabilis & legitime præscripta, vim legis habeat iuxta cap. finale De consuetudine in fine. Rationabilis autem ex eo est, quod Clerici per maiorum ordinum susceptionem acquirant in Ecclesiæ statu, à quo resilire nequeunt: qui status cum ad cultum Dei laudesque ipsius celebrandas institutus sit, nec ratione contentaneum fuerit vt in talibus laudibus ferrentur in incertum: merito consuetudo obtinuit, vt eis determinarentur contentæ horis canonicis. Legitime vero præscriptam esse talem consuetudinem negari non potest: cum non modo annis, sed & seculis multis, atque adeo ab Apostolorum temporibus tanquam pia, sanctaque in Ecclesiâ vigeat: vt bene familiariterque ostensum aduersus hæreticos huius temporis: videri potest apud Leonardum Lessium in præced. dubit. 8. in quo nos hæreticæ, necessarium non est ad nostrum institutum.

Ex obligatione Religiosorum professorum.

SECTIO II.

137. **E**X vi religiosa professionis, non sequi obligationem dicendi horas canonicas, patet ex eo, quod professio ipsa religiosa ordinarie obliget tantum ad tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, seruanda secundum regulam: fierique possit vt de recitatione horarum canonicarum nihil cõtineatur in regula: vt patet ex iis religionibus quæ non sunt deputatæ ad chorum, sed institutæ præcipue ad corporalia misericordiæ opera exercenda in hospitalibus: vel ad militiam aduersus infideles, vel ad aliquas actiones spirituales, vt ad contemperationem rerum diuinarum, & bonarum literarum studium, pro institutione rudium ad Dei gloriam. Patet item ex eo quod in religionibus ad chorum deputatis, qui laici seu conuerſi dicuntur, etiam si professionem solemnem faciant, vereque sint Religiosi, non teneantur ad ipsam recitationem horarum canonicarum, prout omnes fateri habet Suarez in seq. cap. 17. num. 2.

138. Addens contra Paludanum, & quosdam alios, quos ipse refert: tales neque ex iure communi, neque ex vniuersali consuetudine Ecclesiæ, teneri ad recitandum aliquid loco illarum: sed solum ex regulæ præscripto, seu quia regula suæ religionis iniungit: quam esse communem sententiam, aliquot in eam citatis, idem habet.

Quod autem idem Paludanus contra communem aliorum sententiam sentit non tantum professos, sed etiam nouitios earundem religionum choro addictarum, teneri sicut professos ad recitationem de qua agimus, Suarez ipse in eodem num. adhuc reficit: eo quod non sint religiosi reuera: sed tantum in via ad professionem, per quæ Religiosi fiant reuera: sufficitque vt voluntarie se subiciant ordini, & sub disciplina religiosa vitam agant, sequendo directionem Superiorum suorum.

139. Porro difficultas est, vnde sit obligatio prædictæ religionum professorum, si non sequatur, vt diximus, ex vi professionis. Quam Suarez tractans in cit. cap. 17. duas refert aliorum sententias: vnam nonnullorum, qui eam esse dixerunt ex iure illo diuino naturali, quo Religiosi per suam professionem dicantur ad Dei cultum. Alteram aliorum, qui putant esse naturali legi iustitiæ, in ordine ad populum Christianam, cuius elemosynis aut aliis donationibus aluntur. Priorem autem reicit, quia cum multis aliis modis, quam recitatione horarum canonicarum, possit Deo cultus exhiberi: ex eo solo cap. nequit recte inferri, obligationem illo-

rum determinate esse potius ad memoratam recitationem, quam ad alium alterius modi cultum Dei: præsertim cum Religiosus se per professionem mancipans cultui Dei, non imponat sibi necessitatem determinate ad aliquas actiones cultus diuini, nisi ad eas quæ expresse vouet aut quas regula, vel Prælatus districte præscriperit.

Posteriorem vero reicit: tum quia Religiosus alimenta non suppeditantur à populo propter hanc determinate, vel aliam actionem vitæ religiosæ: sed simpliciter vt viuant in talis perfectionis statu ad Dei gloriam. Adde nec suppeditantur in stipendio recitationis horarum canonicarum: sic nimirum, vt Religiosi censendi sint ex quasi contractu ad illam obligari obligatione iustitiæ. Etenim ea suppeditantur aut per modum elemosynæ aut absolute donationis: cui interdum quidem adduntur aliquæ conditiones, seu pacta aliquod agendi: sed non solent esse recitandi horas canonicas, nisi forte in choro nonnumquam, ad populi consolationem, & adificationem. Quod genus pacti, cum nec sit commune omnibus religionibus additis choris; nec attingat eos qui iusta de causa à choro abesse compelluntur, ea nõ potest transferri ratio ad æquata obligationis, per quæ doctores adstruant generaliter Religiosos professos choro mancipatos, teneri ad recitationem horarum canonicarum.

140. Communis autem sententia, in quam multos Suarez ipse citat in eodem cap. 17. num. 9. est; propositam Religiosorum obligationem fundari in vniuersali consuetudine. De qua licet nonnulli dubitarint, quos idem commemorat, tot tamen eam testantur, vt temerarium sit ipsum negare: præsertim cum is de illa sensus sit & consensus virorum bonorum; vt Monachos vel Moniales contrauenientes damnet de peccato; non minus quam Diaconos & Subdiaconos, quos ante diximus obligari tantum ex consuetudine præscripta. Quia nimirum vtraque æquiparatur præcepto Presbyteris & beneficiariis imposito recitandi horas canonicas; vt ostendit vsus bonorum, existimantium ad debitum in suo (perinde ac in horum) statu implendum, pertinere eiusmodi recitationem tanquam eam, quam esse de numero talium debitorum, constat ex generali consuetudine, valde consentanea suæ professioni.

Ex qua sententia inferre licet primo: non esse ququam ex Religiosis ad chorum deputatis, facile excusandum à priuata recitatione horarum canonicarum; quando non recitant eas cum cæteris in choro: quia in eo aperitur ianua ad querendas occasiones quibus absint à choro: atque adeo omittere omnino recitationem ipsam: ad quam generali Ecclesiæ præscripto obligantur sub mortali, prout in frequenti sectione docebitur.

141. Licet secundo inferre, non esse magis liberum Prælatis pro arbitrio cum suis subditis dispensare in tali obligatione, quam in aliis obligationibus communium præceptorum Ecclesiæ: ita vt attendere debeant si quid sit ipsis cõcessum priuilegio Sedis Apostolicæ, vel si talis necessitas adsit, quæ faciat ipsis potestatem dispensandi. Quam necessitatem de bere esse nõ leuem, intelligitur ex eo, quod nõ is quidem quem necessitas compellit agricultura vacare, liberetur à tali sua obligatione; prout constat ex cap. 1. De celebratione Missarum. Vnde mihi videtur parum tuta dispensatio, quam ratione studiorum nonnulli Superiores dans suis Religiosis professis: quando quidem recitatio horarum canonicarum non est talis, neque tantus studiorum obex, vt experientia constat, quin fructum non penitentium eas recitans possit reportare ex ipsis studiis, si eis sedulo incubuerit.

Tertio inferre licet: in speculatione quidem satis clarum esse, sed in praxi difficultate non carere, quod Greg. à Valen. in sup. cit. puncto 10. §. Qui remaneant recitare horas canonicas, sub finem, habet, religionem quæ talem consuetudinem nõquam receperit, ad illius observationem minime obligari. Nisi enim talem non receptionem constat à Sede Apostolica approbatam esse, non derogabit eidem consuetudini: quæ cum iuxta prædicta, vim habeat iuris communis, solus Papæ est, tanquam summi Principis, dispensatione sua obligationem illius tollere. Quod ipsum fecisse, si ostendi nequeat, rationabile non est præsumere, quod id fecerit: præsertim cum ius canonicum tali præsumpto priuilegio, fatis aperte resistat: dum in cap. Dolentes, De celebratione

Missæ

Missarum, tam minoribus, quam maioribus Clericis districte præcipitur in virtute sanctæ obedientiæ, vt diuinum officium studiose celebrent, pariter & deuote quantum Deus dederit. Resistit item ratio: cui consentaneum non est pium religionis institutorem voluisse, vel propria auctoritate, vel interposita auctoritate Summi Pontificis, cõtrauenire communi Ecclesiæ cõsuetudini in re graui, & maxime pertinenti ad munus suæ religionis, tanquam choro deputatæ. Quæ doctrina si cui tanquam durior, non probetur, non habeo vnde illi satisfaciam: nisi dicendo amanti nihil esse difficile: parq; esse existimare de Religioso, quod Christi amore ardeat, nec ita langueat in Dei obsequio, vt durum sit ei in horis canonicis recitandis, se sequi horam quotidie ponere.

Obligatio quæ supra est beneficiatorum, longiore tractationem requirit, quæ commodius instituetur cum in sequenti lib. 30. tractatu de sacramento ordinis, subiicietur tractatus De Clericis, in quo eorumdem obligationes erunt persequenda.

De peccato quod committitur non implendo obligationem recitandi horas canonicas.

SECTIO III.

142. Conuenit inter Doctores tale peccatum mortale esse ex suo genere, tanquam commissum contra præceptum datum de actu religionis virtutis præstantissimæ, at inentisq; ad Dei cultum, atque conferentis ad Ecclesiæ vilitatem, nõ fecus ac dicere vel audire Missam diebus festis: iuxta præceptum quod exponitur in seq. libro. Adde quod ex cap. Clericus victum, distinct. 91. tale peccatum sit dignum excommunicatione: quæ imponitur tantum ob mortale ex cap. Nemo Episcoporum, 11. quæst. 3. Vbi aduerte obiter nihil referre in hac re ex quo titulo trium memoratorum (*sacri inquam ordinis, professionis religiose, aut beneficii Ecclesiastici*) proueniat obligatio recitandi horas canonicas. Nam ex quocumque proueniat, similiter est sub mortali. Sic tamen vt si quis ex pluribus talibus titulis obligetur, grauius peccet illius transgressione, quam ille qui paucioribus. Etenim cum tituli ipsi urgeant obligationem, aggravant consequenter illius violationem: sicque initiatus sacris ordinibus, & beneficiatus omittendo horarum canonicarum recitationem, peccat grauius quam simplex Clericus beneficiatus; & Sacerdos religionem professus, quam simplex Sacerdos secularis: similiter habens plura beneficia, quam habens tantum vnum.

Conuenit quoq; inter Doctores, omittendo notabilem partem horarum canonicarum vnius diei, nisi ignorancia aut alia iusta causa excuset, iuxta post dicenda in 13. cap. mortale committi. Quod probatur à pari de Missa, quam non modo totam, sed etiam partem ipsius notabilem omittere voluntarie, peccatum censetur mortale: eo quod officia diuina notabili ex parte relinquere imperfecta, magnam habeat turpitudinem; adeoque irreuerentiam diuinæ maiestatis non modicam, argumento cap. Illud, & cap. Nihil, 7. quæst. 1.

143. Dissentiunt autem ipsi Doctores in definiendo, quæ horarum canonicarum pars censeri debeat ita notabilis, vt illius omisso ad mortale sufficiat. Namque Nauar. in tract. de oratione cap. 10. num. 44. iudicat, tunc partem censendam talem, quando ad quauerit tertiam partem vnius ex minoribus horis; hoc est, vel primæ, vel tertiæ, vel sextæ, vel nonæ: cuius tertiæ partis exemplum assignat, vnius talis horæ initium vsque ad finem fere primi Psalmi. Imo aliquid minus posse ad eam sufficere ipse significat in Enchir. cap. 25. num. 98. his verbis, Dixi partem notabilem; quia omittere paruum, puta vnam dictionem, aut partem versus, etiam sine voluntate rependi, non est plusquam veniale: modo ne ob contemptum aut cum notabili scandalo omittatur. Hæc ille, Syluester vero in verbo Hora, quæst. 12. sub finem, videtur existimare vnius horæ omissionem requiri ad committendum in hac re peccatum mortale. Videri præterea potest, iuxta Rosellam in verbo Horæ canonicæ, num. 3. sub finem; totius officij vnius diei omissionem requiri, ad constitutum in hac re peccatum mortale. Nec defuit qui putaret talem omissionem non esse peccatum mortale, nisi ea fieret ex contemptu, vel ex fastidio rerum diuinarum, vel ex

consuetudine. Sic enim tenuisse Richardum quendam Anglicum refert Angelus in verbo Hora, quæst. 10. nec ipse omnino improbat, licet censetur esse tutius tenere cum aliis, quod omisso diuini officij ex sola negligentia, sufficiat ad peccatum mortale.

Ceterum illud quod Nauar. insinuat, videtur nimis rigidum: quando quidem ex D. Thoma 2.2. quæst. 147. art. 3. ad 2. transgressio præcepti Ecclesiastici, quod per modum communis statuti proponitur, non est mortalis, nisi fiat ex contemptu, quo nolit quis eidem statuto subiici: aut nisi illa ipsa transgressio: a fiat, vt finis præcepti contra quod ea fit, impediatur ac veluti repudietur. Iam vero quod quis vnum aut alterum versum, aut etiam, aliquanto plures omittat ex negligentia, non est eo ipso censendus, vel habere contemptui præceptum recitandi horas canonicas, vel illud ipsum fraudare sine suo reddendi Deo debitas laudes pro populo. Accedit quod scopus legis Ecclesiasticæ sit animas suauimodo ad Christum ducere; non autem illaqueare eas nimia præceptorum austeritate.

144. Ex reliquis autem insinuat, illud solum quod positum est secundo loco videri potest habere aliquod probabilitatis. Nam quod quarto modo retulimus, ex dictis aperte constat falsum esse. Illud vero quod proposuimus tertio loco, nempe totius vnius diei, omissionem horarum ad mortale requiri, ex eo reicitur; quod omnes septem horæ quotidie recitari, nominatim præcipiuntur in cap. 1. De celebratione Missarum; atque tale præceptum sit sub mortali, iuxta cap. Dolente, eodem titulo. Vnde sequitur omissionem cuiusq; earum sufficere ad peccatum mortale. Quam esse omnium sententiam Suarez dicens in tract. de relig. lib. 4. cap. 25. num. 15. addit rationem, quod talis omisso sit notabilis deformitas, & mutilatio officij diuini, contingens in tali parte quæ sufficeret ad mortale, si sola sub eo reatu præciperetur: quales sunt sine dubio singulæ eadem horæ; quæ simul quidem, & tanquam partes eiusdem totius præcipiuntur; sed perinde ac si scilicet vnaquæque præciperetur. Quinimo ei quod secundo loco positum est, ad mortale requiri vnius integræ horæ omissionem, obstat quod vna datur, quæ complectitur Matutinum & Laudes, vt licet deducere ex cap. 1. De celebratione Missarum, non sit rationi consentaneum illud, quod inde consequens est: mortale esse, restiam v.g. omittere: non autem omittere laudes, vel vnum ex tribus matutini nocturnis; cum non minor diminutio diuini officij, mutilatioque fiat his omissionibus quam illa.

145. In re autem adeo incerta, libenter amplector doctrinam quam Suarez habet in seq. num. 16. post Syluestrum & Rosellam locis ante memoratis, & Niuarrum citantem alios in tract. de orat. cap. 7. nu. 6. Nimirum præceptum de recitandis quotidie horis canonicis vnum esse, habens pro obiecto totum quoddam ex istis horis septem canonicis integratum. Pro quo facit, quod pars officij diuini omisso, possit eodem die dici, ad vitandam præcepti transgressionem: non item sequenti die. Causa enim est, quod diuersorum dierum horæ non coalescant in vnum numero obiectum eiusdem præcepti, sed ad numero diuersum spectent. Coalescunt autem horæ vnius diei vnde fit, vt transgressio præcepti, cui illa obiciuntur, sit vnum tantummodo peccatum: habens nihilominus latitudinem, secundum illius obiecti sui latitudinem; adeo vt quis peccet eo grauius, quo plures eiusdem obiecti partes omiserit recitare.

Atque peccet mortaliter; nisi ventum sit ad partem, cuius paritas excuset à mortali grauitate. In quo diiudicando non est tam pensandum quanta sit officij diuini pars quæ omittitur, tertianæ, an quartæ, vel alia: quam an tanta sit illius siue quantitas, siue etiam dignitas: vt eius omisso de se, officio diuino illius diei adferat deformitatem notabilem, prudentis æstimatione, circumstantiis in spectis ac ponderatis. Et licet pars ea nequeat æstimari parua, quæ quantitatem æquat vnius horæ minimæ ex canonicis: quid tamen ea minus possit ipsi diuino officio, deformitatem notabilem adferre, per rectæ rationis dictamen conicere licet. Atque ita Suarez in fine illius num. 16. vult partem æqualem dimidio talis horæ, posse materiam esse peccati mortalis. In quo cum vt eruditum & diligentem, sicut in plerisque aliis, libens sequor.

Porro

146.

Porro Ecclesiasticum præceptum est, non tantum de recitandis horis canonicis, sed etiam de modo eas recitandi, in cap. Dolentes, De celebratione Missarum, in quo distincte præcipitur in virtute obedientiæ, ut diuinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quantum Deus dederit, studiose celebretur pariter & deuo e. Aduerbia enim, studiose & deuote, modum declarant, ut de e patet. Ac prout ibidem glossa tangit: studiose, pertinet ad officium oris, quo debent horæ canonicæ pronuciari uoce articulata (ex Clemen. 1. De celebratione Missarum & ex Extrauag. prima, De uita & honestate Clericorum) id est, ita ut recitans seipsum intelligat, & alter cum quo recitat, intelligatur ab illo: atque vicissim ipse illum recitantem intelligat. Qua de causa iuxta Nauarrum in Enchir. cap. 2. num. 99. peccat contra tale præceptum, qui cum balbutientibus, aut uersus notabiliter anticipantibus dicunt horas, nisi animum habeant eadem repetendi. Et ratio est, quod non intelligant id quod ab illis dicitur. Deuote uero, pertinet ad officium cordis, seu interioris dispositionis animæ, quæ sit attenda diuino officio, habeatque mentem præsentem ad id quod lingua foris sonat.

CAP. XII.

De requisitis ad debitam recitationem horarum canonicarum.

SUMMARIUM.

- 147 De difficultate, An interior attentio in recitatione horarum canonicarum præcipiatur ab Ecclesia.
- 148 Rationes cur pars affirmans uideatur tenenda.
- 149 Obligatio iterandi recitationem horarum canonicarum, si ea fuerit sine interiore attentione.
- 150 Quod non teneatur qui ad iterationem horarum canonicarum, si eas recitauit animo orandi, & cum debita deuotione, etiam si non recitauerit animo satisfaciendi suo debito: dummodo uoluntate mutata uelit eam recitationem factam esse ad satisfaciendum eidem debito.
- 151 Attentio necessaria in recitatione horarum canonicarum que fit.
- 152 Triplex distinguitur.
- 153 Attentio ad sensum uerborum non est quidem necessaria: procuranda tamen est ab eo, qui est illius capax, & ab aliis supplenda per pietam meditationem.
- 154 Duo requisita ad attentionem in recitatione horarum canonicarum necessaria, ut satisfiat principio imponenti illam.
- 155 Quando euagatio animi in recitandis horis canonicis sit peccatum mortale.
- 156 Obligatio recitandi horas canonicas, est sub peccato mortali, quod unum committitur illarum omnium omissione, & quantum.
- 157 Peccatum eius qui proponit non recitare, aut recitat dormitans.
- 158 De recitatione que fit alternatim, documentum cum explanatione aliquot dubiorum.
- 159 Explicatio dubij, An ut horas canonicas sic & alias preces obligatorias liceat recitare alternatim.
- 160 De his qui balbutiendo, & synopando horas canonicas recitant, de que is qui intra ipsam recitationem funguntur officio auocante ab illa.
- 161 De recitatione parui officij B. Virginis, officij defunctorum, psalmorum gradualium, & penitentialium.
- 162 Continuatio requisita ad debitam recitationem horarum canonicarum: & iuxta de causa fieri possit illius interruptio, sine obligatione ad iterationem.
- 163 Is qui officium interruptum cum proposito repetendi, quando teneatur repetere.
- 164 De eo, quod distincte horæ canonicæ non debeant immediate continuari: & an laudes ab officio nocturno, & huius partes possint diuisim recitari.
- 165 Decades Rosarij B. Virginis possunt ad modum horarum canonicarum diuisim recitari.
- 166 Ordo requisitus ad debitam recitationem horarum canonicarum, & quatenus peccetur non seruando eum.
- 167 Difficultas de eodem ordine respectu Missæ.

- 168 De Breuiario ex quo recitanda sunt horæ canonicæ ut satisfiat præcepto.
- 169 Ex quo debeant Religiosi recitare, & ex quo beneficiarij: & quid de eis qui beneficia habent in diuersis diocesis, uel sunt extra locum in quo habent beneficium.
- 170 An satisfiat præcepto, recitando quidem ex alieno Breuiario, sed approbato: quidque in eare dispensatio Papa operetur.
- 171 Quid possit in eadem re Episcopus: ac de peccato quod committitur mutatione Breuiarij in recitandis horis canonicis.
- 172 De peccato quod committitur dicendo officium unius diei pro officio alterius diei, quatenus sit uel non sit mortale.
- 173 De potestate uendi nouo Breuiario Romano, facta per Bullam Pii V. eidem Breuiario præfixam.
- 174 Ad satisfaciendum præcepto Ecclesie, debent horæ canonicæ uoce præferri: ita ut recitans audiatur, si non ab alijs, saltem à seipso, & ab alio cum quo recitat.
- 175 An satisfiat qui presens dum cantatur in choro, ipse recitat summissa uoce.
- 176 Recitatio publica horarum canonicarum fieri debet in Ecclesia, nec licet additis choro, abesse ab ea, sine iusta causa.
- 177 Quatenus peccet per talem absentiam, & priuentur distributionibus.
- 178 De loco requisito ad recitationem factam priuatim.
- 179 De tempore requisito ad debitam recitationem horarum canonicarum: atque quale peccatum committatur non seruando illud: & de iusta causa excusante ab eo.
- 180 De eo quod non satisfiat præcepto Ecclesie recitando horas canonicas pridie aut postridie illius diei quo sunt recitandæ, de que conseruetur quam in eadem recitatione sequi licet respectu temporis.

SEPTEM requiruntur ad debitam recitationem horarum canonicarum: attentio, integritas, continuatio, ordo, qualitas, locus, & tempus accommodatum: de quibus sigillatim dicendum.

De attentione requisita.

SECTIO I.

DE hac D. Thomas & ipsius interpretes 2. 2. quæst. 83. art. 13. Sotus in lib. 10. De iust. & iur. quæst. 5. art. 5. Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 105. 106. 107. & late in tract. de oratione, cap. 13. ac passim recentiores: & inter eos ex nostris Greg. à Valent. 2. 2. disput. 6. quæst. 2. puncto 10. §. Circa quartum, Azor in 1. par. Infit. Moral. lib. 10. cap. 12. Lessius, De iustit. & iure lib. 2. cap. 37. dubit. 11. & plenius Suarez in tract. 4. De relig. tum lib. 3. cap. 4. & 5. tum lib. 4. cap. 26. ad illiusque intelligentiam faciunt dicta à nobis in lib. 4. cap. 10. se & 5.

Verfatur autem in controuersia, An per præceptum deuote celebrandi officium diuinum, in antememorato cap. Dolentes datum, obligatio imponatur tam ad attentionem interiorem, quam ad exteriorem, habendam in recitatione horarum canonicarum. Aliqui enim existimant ad solum exteriorem habendam, obligationem imponi: adeo ut non peccet quis mortaliter, nec teneatur recitata repetere, si integre pronunciet omnia, neque exterius occupet se rebus iis, cum quibus interna attentio nequit consistere: quantumcumque interius sponte distrahatur, diuageturque mente.

Alij uero putant imponi tam interiorem, quam exteriorem attentionem: & ideo si quis recitet, se sponte interius occupando alienis cogitationibus, est exterius omnia pronunciet, ipsum & mortaliter peccare transgressione memorati præcepti, & rigorosi, & dati in re graui: & teneri repetere, tanquam eum qui non satisfecit obligationi sibi impositæ. Vtroque referunt locis citatis Azor quæst. 6. Lessius num. 63. & 64. & Suarez cap. 26. num. 2. & 3. posteriorumque sententiam sequuntur.

Et merito: quia deuotio est actus internus, requirens internam attentionem ad diuina. Quare Ecclesia præcipiendo officium diuini celebrari deuote, non iniungit solum deuotionem externam, postquam in eo ut quis gerat se exterius in mo-

dum

dum orantis, sine interna: cum sine hac, illa non sit deuotio, sed deuotionis simulatio; & per consequens non solam exteriorum attentionem, sed simul cum ea interiorem adiungit. Accedit quod Ecclesia deuotam recitationem horarum canonicarum præcipiat tanquam actum orationis, qua per suos legatos ac ministros colloquatur cum Deo. Quapropter requirit (*multo magis quam colloquium cum terreno Principe*) vt fiat reuerenter & attente, quo exaudiatur. Adde & tanquam actum laudis Deo debita, quam deest gratam ei esse: qualis non est exterius tantum sonans sine interiore deuotione & attentione: vt patet ex querimonia, cuius meminit Dominus noster, Matth. 15. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Vnde Apostolus ad Ephes. cap. 5. monet cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Ad quæ verba D. Hieronymus ait: Audiant hi, quibus in Ecclesia est psallendi officium, Deo non voce sed corde cantandum, &c. Quod refertur in cap. Cantantes, dist. 9. 2. vbi glossa habet hos versus commendatos à Nauar. in citato cap. 13. num. 1.

*Non vox, sed votum, non musica cordula, sed cor
Non clamans, sed amans cantat in aure Dei.*

Ecclesia igitur censenda est, in recitatione horarum canonicarum cum exteriori deuotione & attentione interiori præcipere: quia hæc illi necessaria est (virtualis scilicet) vt censetur actus virtutis religionis, atque idoneus ad hominis Christiani finem supernaturalem quaerendum. Quoniam autem districte & sub obedientia præcipit, obligationem imponit sub mortali. Quod quidem peccatum Azor bene notat in eod. cap. 12. quæst. 5. tantum esse vnum, sicut tantum est vnum præceptum, quo ipsa recitatio horarum canonicarum præcipitur. Cui cum superaddatur iniunctio, vt illa fiat studiose & deuote, atq. adeo cum interiore attentione, modus est præcepti, non autem nouum præceptum: ita vt ipsum quidem violari possit duobus modis contingere nimirum in omitendo horas canonicas, & indebite recitando eas: ipsam tamen violationem non esse duplex peccatum: vt nec violationem præcepti de confessione; quæ potest contingere cum omitendo eam, tum faciundo eam non seruatis necessariis circumstantiis.

De obligatione ad iterationem earundem horarum, constat quidem inter sententia propolice auctores, eam contingere, si quis illud recitet animo tantum capiendæ recreationis in eo legendo, vel intelligendi gratia, aut memorie mandandi ea quæ cõtinet: vt etiam alium docendi id ipsum officium: non autem animo satisfaciendi debito suo. Nonnulli sunt tamen, vt Medina in Cod. De oratione quæst. 16. qui putant, eum qui recitat animo orandi ac satisfaciendi suo recitandi debito, etiam si sponte distractus fuerit, atque adeo mortaliter peccauerit, non teneri repetere, eo quod substantiam præcepti præsterit: perinde ac ille qui debitum reddidit ex aliquo prauo affectu, satisfacit obligationi, qua ex iustitia tenetur reddere, nec requiritur vt denuo restituat. Quam opinionem Azor in citata quæst. 6. & Lessius in memorato cap. 37. num. 68. volunt non carere probabilitate. Sed contraria, cum Azor probabiliorem esse addit, tenenda est cum cæteris: supposito quod diximus præceptum de recitandis horis canonicis esse tantummodo vnum: quod tamen transgredi contingat, tam recitando sine attentione, quam non recitando: vnde sequitur vt hoc, sic & illo modo, ipsum non impleri: & per consequens ad satisfaciendum ei, iterationem requiri. Videri potest Suarez in citato cap. 26. à num. 25.

De eo vero qui recitauerit cum debita attentione animo que orandi, sed sine animo satisfaciendi debito suo, quia proponit denuo recitare ad satisfaciendum: dubitatio est, an teneatur recitationem iterare. De qua allatis in vtramque partem authoribus & rationibus disputat Suarez in eodem cap. 26. à num. 7. ad 13. Et quamuis pars affirmans tutior sit bonosque auctores habeat: nimirum Medinam, Ledesinam, & Nauar. quibus Azor assentitur in sequenti quæst. 8. In rigore tamen negans, vt in eodem Suarez bene ostendit, potest teneri, sicut tenuerunt ab ipso relati Aragon, Greg. à Valent. & Vasquez. Ratio est, quia ille qui horas canonicas recitare vult, debitoque modo recitat, etiam si non habeat voluntatem recitandi

ex obligatione, neque ad præceptum implendum; sed solum pro arbitrio, & cum proposito iterum recitandi ad satisfaciendum suæ obligationi: nihilominus re ipsa facit totum ad quod est præceptum. Illud enim non est aliud, quam vt horæ ipsæ canonicæ semel in die recitentur. Quare ex vi præcepti nihil amplius tenetur, quam ad efficiendum vt talis recitatio prout impletia est præcepti, non maneat inuoluntaria (cum id ex natura rei, sit contra obedientiæ virtutem) sed illa prior nolitio retractetur per contrariam voluntatem: qua impletio præcepti, voluntaria reddatur: non quidem effectiue, quia nullus effectus præcedit suam causam: sed obiectiue seu tanquam obiectum affectus obediendi; qui requiritur de iure nature ad vitandum peccatum, quod committitur (etiam si externa præcepti executio plene interueniat) per defectum interioris affectus obediendi: nisi inconsideratio forte excuset: prout idem Suarez declarat pluribus. An beneficiarius recians horas sine attentione, perinde tenetur ad restitutionem fructuum, ac omitens recitare: dicitur suo loco in sequenti lib. 30. tractat. 3. cap. 4. sub finem.

Documenta de eadem attentione.

SECTIO II.

Spes tantia ad exteriorum attentionem in choro, videnda sunt apud Nauar. in tract. de orat. cap. 16. vbi de illius impedimentis 80. conclusiones habet; & cap. 17. vbi de eiusdem adiumentis habet 50. De interna attentione, aliquot documenta pro præxi subiiciemus.

Primum est, in memorato cap. Dolentes non præcipi attentionem actualem; id est, vt recitans attendat actu ad ea quæ recitat. Nam quamuis id vile sit & procurandum; ob humanæ mentis tamè fragilitatem, quæ tantopere obnoxia est euagationibus, ipsum est moraliter impossibile. Sufficere ergo potest virtualis attentio: siue vt recitans proponat se velle attendere, neque postea, *quantumcumque distrahatur*, contrarium propositum habeat: prout censetur habere actuali quidem, is qui non vult attendere: virtuale vero is qui aduertit se euagari, cogitando res à sua oratione alienas, nec nititur mentem reuocare ad attentionem debitam.

Secundum est, talem attentionem esse triplicem ex D. Thoma 2. 2. quæst. 83. art. 13. vnam ad verba, ne in eis erretur; siue male, siue vnum pro alio pronunciando, siue aliqua omitendo. Alteram ad sensus verborum, quam habere non possunt, qui sunt ignari idiomatis, in quo pronunciandum est. Et tertiam ad finem orationis, seu ad personas ad quas illa dirigitur: nimirum ad vnam, aut omnes sanctissimæ Trinitatis personas, aut ad angelos, vel alios Sanctos: aut etiã ad rem pro qua assequenda oratio funditur; nempe ad aternam beatitudinẽ & ad gratiam, virtutemque; necessarias ad eam consequendam. Cuiusmodi attentionem, vt & primam, omnes recitantes habere possunt, & debent vt satisfaciant præcepto, de quo nobis est sermo: cum non sit dubium, quin, prout ante habitum est, ipsum detur de recitatione horarum canonicarum, vt de actu quodam præstantissimæ virtutis, puta religionis. Esse autem actum virtutis, nulli actui contingit, nisi fiat cum deliberatione, & sine aliquo debito (alioqui enim non humanus, sed potius bestialis censeretur) neque deliberatio est sine attentione, seu quærentia ad id quod agitur, & ad finem in quem dirigitur.

Secundam autem attentionem habere, non est necesse, vt argumento est, quod plerique idiotamatis ignari adstringantur præcepto recitandi horas canonicas; quod nequirent alioqui implere: vt patet de morialibus. *Et quod dolendum est*, de non paucis viris. Adde nec eam necessariam esse omnino ad pietatem orationis, ad quam sufficere potest, vt quis eam offerat Deo, secundum sensum illorum verborum, quo eam in Ecclesia Catholica intelligunt pij doctique viri: prout habet Greg. à Valent. 2. 2. disput. 6. quæst. 2. puncto 10. §. Circa quartum. Quæ cum ita sint, relinquatur ad satisfaciendum præcepto Ecclesie in hac re, sufficere vt quis sancta verba, præscripta ab Ecclesia, recitet animo orandi, laudandi; Deum; ea reuerenter dirigendo ad ipsum, atque intendendo singula accipere in eo sensu quo Ecclesia accipit; & petere eadem quæ ipsa in illis petit; ac illum iis laudibus celebrare quibus ipsa celebrat.

Tertium

Tertium documentum est. Procurandum nihilominus esse, nec negligendam secundum ipsam attentionem: quia quamuis non sit in præcepto sicut alia duæ, & absque ea, si cætera non desint, oratio meritoria & satisfactoria esse possit: requiritur tamen ad spirituales mentis refectionem; iuxta illud prioris ad Corinth. 14. Si orem lingua, spiritus meus orationis autem mea sine fructu est. Aduerte autem eum qui ob ignorantiam idiomatis non potest tali refectione gaudere accomodando perceptionem sensus verborum ad pios in Deum resque diuinas affectus: posse alia ratione: nempe ut interea dum sensum ipsum verborum non assequitur, aliquid pium de humanitate vel diuinitate Christi meditetur. Nam ut ad citatum D. Thom. ar. 2. docet Caiet. licitum est dum sacra verba pronuntiantur, meditari aliquid pium, cum non sit necesse ad verba attendere, nisi quantum sufficit, ut in illis non erratur.

Aduerte tamen cauendum esse excessum, quo tanta sit attentio ad alia, ut nulla habeatur ad verba: quia censeretur indiscreta, tanquam tollens eam quæ est necessaria ad orationem vocalem; quandoquidem externa prolatio verborum sine vlla attentione interiore ad ea, nullam potest rationem habere ascensus mentis ad Deum, necessarii ad orationem: & per consequens nec sufficere potest ad impletionem præcepti dati de aliqua oratione: quale est illud de quo agimus. Hanc doctrinam tract. 4. de religione lib. 4. cap. 26. num. 23. Suarez approbat, pro eaque faciunt quæ idem tractat in præced. lib. 3. cap. 4.

154.

Quartum documentum est: ut prima & secunda attentio censetur haberi sufficienter ad implendum præceptum de quo agimus, requiri minimum duo, ut notat Sotus lib. 10. de iust. & iure, quæst. 5. art. 5. concl. 7. vnum est; ut orandi initio quisque attendat quid agere aggrediatur: prout, ex Nauarro in Enchir. cap. 25. num. 105. ceteri potest attendere is etiam, qui breuiarium petit vel accipit animo satisfaciendi huic obligationi: aut eundi ob id ad Ecclesiam: ita ut interrogatus, quare tale faciat responderetur vere, sed id facere ad satisfaciendum obligationi recitandi horas canonicas. Alterum est, ut talem attentionem non interrumpat inter orandum: nihilve consulto faciat, per quod animum suum à priori attentione distrahi deprehendat. Nam que ille qui aduertens, se res à preceptione alienas cogitare, non nititur animum reuocare ad attentionem, peccat mortaliter, neque satisficit proposito præcepto; prout facile est ducere ex dictis præcedenti sectione: sed (quæ est communis sententia teste Nauarro in seq. num. 106.) transgreditur illud; quia etiam si non habeat actuale propositum non attendendi, sicut ille qui expresse non vult attendere: habet tamen virtuale, sicut ille qui occupat se in rebus exterioribus, quæ non patiuntur secum interiorem attentionem ad deuote recitandum necessariam. Exemplum talis, idem Nauarro. consequ. num. 107. ponit de scribente aut legente aliena ab iis quæ recitat: quem ait peccare mortaliter, nisi cum excuset aut inaduertentia, seu quod non aduertat illud quod facit, esse contrarium attentioni necessariæ ad recitationem: aut paruitas, seu quod parum sit quod interea recitatur: aut necessitas aliqua vel vrbantitas, ut si respondendum sit alicui, vel subscribendum epistolæ, aut aliquid simile faciendum à recitante cum aliis: qui proponat postea supplere illud quod socij interea recitant. Adde, quod à Caiet. traditum approbat Sotus loco cit. etiam si quis aliena à sua recitatione voluntarie cogitet, ipsum quousque se inde à preceptione distrahi aduertat, semper reputari inaduertentem diuagari: atque adeo excusari ab omissione præcepti dati de attentione habenda in recitatione horarum canonicarum.

155.

Postremum documentum est: Euagationem mentis culpabilem, cum qua horæ canonicæ recitantur sine attentione, rationem culpæ mortalis accipere ex eo suo effectu: non modo cum fuerit deliberata, directæque volita: sed etiam cum volita indirecte: ut censetur, tum quando quis sufficienter aduertit se euagari nec attendere ad diuinam orationem: sed per casualitatem & supinam negligentiam de eo non curat, permittitque se euagari: tum quando quis etiam si non velit esse distractus, tamen voluntarie occupat se in actionibus, siue interioribus, siue exterioribus quæ in ipso impediunt, nec secum patiuntur attentionem necessariam ad diuina: ut si agi-

tet animo aliquam difficilem quæstionem philosophicam; vel occupet se in aliqua exteriori actione, magnam attentionem mentis requirentem: aut quamuis non magnam requirat, ut induere se vestibus suis, aut lectum suum sternere vel cubiculum verrere: tamen se nouit ita comparatum, experientiaque didicit: quod in illis occupatus orans, deficiat in attentione ad orationem necessariam.

Qua tamen in re non oportet nimis scrupulosum esse: quia, ut Suarez habet in eod. cap. 26. num. 24. ad veritatem & substantiam orationis diuinæ, minima attentio mentis sufficit; cum sufficiat, tum ad habendam intentionem orandi, tum ad hoc vt oratio sit actus humanus, seu proueniens à libera voluntate. Quare consequenter sufficit ad impletionem præcepti Ecclesiastici de oratione ea, quæ sit recitatione horarum canonicarum: præsertim cum Ecclesia non præcipiat attentionem interiorem, secundum alium modum, quam eum qui necessarius est ad exteriorem recitationem horarum canonicarum, vt ea sit actus virtutis religionis, ac debitus Dei cultus.

De integritate requisita.

S V E T O III.

DE hac occurrunt aliquot documenta notanda, quæ Nauarro persequitur in tract. de orat. c. 10. & post ipsum Azor. in 1. parte Moral. Instit. lib. 10. cap. 7.

Primum est, mortaliter peccare, non modo eum qui omnes horas canonicas vnus dici omiserit, sed etiam eum, qui vnâ ex illis; imo & qui vnus notabilem partem. De hoc iam egimus in præced. cap. ipsumque esse communi consensu receptum Azor notat loco cit. quæst. 3.

156.

Secundum est. Omissione omnium septem horarum canonicarum in vno die, committi tantum vnum peccatum mortale. Ifud est Nauarro. in præced. cap. 7. num. 6. pro eo plures alios citantis: & communem sententiam esse, Azor quoque notat in sequenti quæst. 4. Probatur autem ex definitione horarum canonicarum, quæ idem Nauarro, ibidem numero primo habet ex Turretremata: quod sint oratio publica, sub certo numero psalmodum, lectionum, & aliorum huiusmodi, à sanctis Patribus ad laudem Dei ordinata, & per septem congruentes horas distributa. Si enim horæ canonicæ sint vna oratio, vt hæc definitio ostendit; illarum omissio erit vnus orationis omissio, & ideo vnum peccatum: quod tamen sit æqualis culpæ cum septem omissionibus, quibus singulæ horæ, singulis diebus hebdomadæ essent omisæ.

Vbi aduerte cum iisdem authoribus ibidem, non esse in hac re voluntatem omittendi confundendam cum omissione. Nam hæc existente vna, illa potest esse multiplex: dum sæpius intermissa reuocatur; vel sæpius interrupta renouatur: sicutque vt Nauarro. habet in seq. num. 7. Ille qui vno die vel hebdomada, vel mense, vel anno, horas suas canonicas omisit recitare, non censetur integre vel sufficienter, dicendo eas se omisisse vno die, aut vna hebdomada, aut vno mense vel anno, si deliberatam voluntatem omittendi haberit pluries in die vel hebdomada, &c. Non enim declarat plene suorum peccatorum numerum: utpote non declaratis quantum potuit vicibus, quibus cum peccato mortali proposuit non recitare.

157.

Tertium documentum est, Proponentem omittere horas canonicas vnuerfas aut notabilem earum partem, peccare mortaliter: de eoque & pœnitere & confiteri debere suo tempore; quantumcumque postea mutato proposito, eas debite recitet. Ifud est Nauarro. in eodem cap. 7. num. 9. Pro quo facit, quod, vt idem num. 10. & 11. notat, communiter recepta sententia sit, actum interiorem cæteris paribus, æque bonum esse vel malum sine exteriori, ac cum illo; hoc est, spectatum per se; & vt exterior natus est ex eo proficisci, perinde ac spectatum, prout ex illo idem exterior proficiscitur de facto, bonum esse vel malum. Ratio est: quia actus interior secundum se, eius est speciei in genere moris, cuius est exterior ab ipso proficiscens, vnde pariter & æque bonus est vel malus ac ille. Adde quod obligatio sit confitendi omne peccatum mortiferum, etiam tantummodo internum ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 5. can. 7.

Quartum

157.

Quartum documentum est, Peccare cum qui ex obligatione horas canonicas dormitans ita recitat, ut nesciat an erret necne, & an dicat vel audiat quod dicitur. Neque à mortali excusabitur, nisi animum habeat supplendi postea tales defectus, & intra eandem diem suppleat: aut nisi illi sint in parua quantitate. Istud est Nauar. in sequenti cap. 9. num. 5. Probatur vero, quia sopitus sensibus, ut fit in somno, non habetur rationis usus sufficiens ad actionem moraliter bonam, qualem esse oportet horarum canonicarum recitationem, quæ est actus religionis inter virtutes morales nobilissimæ: imo qui ex speciali Ecclesiæ præcepto, debet perfici cum attentione, adeoque cum particulari aduertentia rationis, ad id quod recitatur. Quamquam tamen, ut idem Nauar. ibidem num. 9. qui sic resistit somno obrepenti inter recitationem, ut pronunciet suas horas cum tanta attentione, ut saltem videat se non amittere verba, aut versiculos psalmi; aliorumve quæ dicere debet, excusatur à peccato, tanquam non succumbens tentationi. Quia tamen res non vacat periculo succumbendi; merito addit idem Nauar. quod ei qui se videt valde somno grauari, securius sit subsistere & aliquantisper obdormire; ac deinde conceptum officium resumere, quam cum tam periculosa tentatione pugnare. Maiore ratione dixit in præcedenti num. 7. periculosum esse, quod quis ex itinere fatigatus, lecto decubat cum proposito recitandi in eo memoriter completorium; quia si obdormiat cum omissione partis notabilis, mortaliter peccat; si scibat aut scire debebat, quod attempta sua complexione & consuetudine, talibus temporibus obdormire, nec ex perigisci solitus sit. Ratio est, quia talis omisso voluntaria est sufficienter ad tale peccatum. Id quod in aliis casibus pariter locum habet, cum sub obligatione peccati mortalis recitandum est aliquid, & ille cui talis obligatio incumbit, cum periculo probabili partem notabilem omittingit ob irrepentem somnum, vel petit lectum quasi ibi recitaturus, vel se constituit in situ accommodato ad somnum, sedendo vel iacendo, nihil curans de obdormitione. Nam somnus tunc obrepens, & solutionem debiti pensis impediens, non excusatur à mortali peccato: quia est impedimentum voluntarium.

158.

Quintum documentum est, Integram censeri eam horarum canonicarum recitationem, quæ fit cum socio alternatim: ita ut præcepto de ea dato satisfiat qui siue in choro, siue extra chorum eas recitat dicendo vnum dimidium psalmorum per eam alternationem, & audiendo alterum dimidium: itemque audiendo orationes, capitula, lectiones, antiphonas, responsoria, & alia quæ secundum consuetudinem chori, vel eorum, qui simul recitant, dicere non solet nisi vnus vel duo. Hoc communi consensu receptum esse notat Azor. in 1. part. Moral. Instit. cap. 7. quæst. 5. idque ob communem consuetudinem: cuius vim & sufficientiam ad propositum documentum stabilendum, Nauar. in eod. tract. De oratione cap. 10. num. 17. ex eo ostendit: quod ipsa sit generalis à toto Christiano orbe recepta; atque in rebus incertis, interpretis omnium certissimus sit consuetudo: argumento cap. Cum dilectus, De consuetudine. Quod verum est, ut in aliis rebus, sic & in Ecclesiasticis, ex cap. Ecclesiasticarum distinct. 11.

Explicatio aliquot dubiorum.

Primum est, An obligationi suæ satisfiat, qui priuatim recitat cum socio nullam talem obligationem habente. Ad quod affirmatiue respondendum est, ut respondeat Azor in seq. quæst. 6. tenetque Suarez in tract. 4. De religione libro 4. cap. 25. num. 2. tum quia id potest fieri in choro iuxta cap. 1. De celebr. Missarum; tum quia consuetudo sic habet: tum etiam quia cum tali recitans, perinde ac cum alio, potest recitare, partim dicendo, partim audiendo omnia. Quod aduerte procedere quantumcumque socius ille recitet sine interna attentione, dummodo sic pronunciet ut omnia ab altero intelligantur. Rationem reddit ibidem Suarez: quia talis attentio non iniungitur ab Ecclesia, sed liberam ei relinquit, sicut ipsam recitationem: neque ex vi cooperationis attendere obligatur: quia ille hunc subleuat in recitando, nec ad aliud tenetur, quam ad ita dicendum ut obligatus cum quo dicit, censeri potest suam obligatio-

nem implere, partim dicendo, partim audiendo attente, quæ ille recitat.

Aduerte vero obiter ex eodem in sequenti num. 3. alternationem versus retinendam esse non minus cum plures, quam cum duo tantum simul recitant: quia consuetudo Ecclesiæ talis est in choro: cuius modum recitandi imitari in priuata recitatione valde laudabile est: cum instituat ad supplendum vices recitationis faciendæ in ipso choro. Non licet igitur in dicendis psalmis cum plures duobus simul recitant, versus sigillatim iuxta numerum personarum dicere, ita ut vnus dicat solus vnum versus, alter alterum, tertius tertium, &c. cæteris audientibus, sed oportet ut vnus ex vna parte, & duo ex alia vel bini & bini, &c. recitent. Omninoque, ut notat Suarez in eodem cap. 25. num. 2. in recitatione extra chororum danda est opera, ut is alternationis modus teneatur in priuata recitatione, quia seruetur in choro: namque is est ritus quam approbat Ecclesia.

Secundum dubium est, An si recitet quis cum pluribus, teneatur attendere ad verba omnium. Respondet Azor in seq. quæst. 7. satis esse, ut ad verba, quæ à pluribus pronunciantur, perinde attendat, ac si ab vno dicerentur.

Tertium est, An quando cum socio horæ canonicæ recitantur, sufficiat audire orationes, capitula, responsoria, & lectiones quæ ab alio dicuntur. Ad hoc idem quoque in quæst. 8. respondet affirmatiue, & post eum Suarez, in eod. cap. 25. num. 4. & 5. & ante illum Sylu. in verbo Hora, quæst. 7. Cuius responsionis ratio hæc est, quia in recitatione horarum canonicarum id quod vnus dicit, reputatur dici ab omnibus, quando ex rationabili causa fuerit ita consuetum; maxime si sciente Ecclesia nec reprobante.

Quartum dubium est, An licita sit prædicta alternatio dicentis & audientis, in recitatione aliarum precum dicendarum ex obligatione, v.g. psalmorum penitentialium dicendorum ex voto, vel ex impositione Confessarij, aut officij defunctorum ex libera promissione, vel ex impositione Confessarij, vel ex fundatione, & sic de cæteris. Ad quod ex Palud. in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 2. conclus. 2. Nauar. in eodem tract. cap. 10. num. 19. affirmatiue respondet. Nec immerito: quia non apparet ratio, cur in his potius quam in horis canonicis id videri debeat illicitum. Locum autem id etiam habet cum plures sunt, quorum singuli tenentur ad integram recitationem, ut cum festum singuli vouerunt recitare psalmos penitenciales; vel singulis talis recitatio est in penitentiam imposita à Confessario, & sic de cæteris: excepta obligatione dicendi Missam, quia plures obligati ad singulas Missas dicendas non satisfaciunt, si vnus eam dicat, & alij ministrando ei, ac respondendo audiant. Rationem reddit Paludan. quia hic nec per se nec per alium faciunt id, ad quod tenentur (nempe ad dicendam Missam) sicut faciunt ij qui cum alio preces prædictas recitant. Nam censentur dicere vnam partem per se, & alteram per alium quem audiunt, receptum ecclesiæ morem obseruantes.

Quintum dubium est, An pari ratione licitum sit coronam aut rosarium, quod vocant Beatæ Virginis, recitare alternatim cum alio ad satisfaciendum obligationi, qua quis ex voto, vel ex mandato Confessarij, aut Superioris adstringitur quinques aut sexies recitare Dominicam orationem, & quinquages, aut sexages salutacionem Angelicam. De hoc late disputat Nauar. in eodem cap. 10. num. 20. & aliquot sequentibus, ac tandem concludit licitum esse. Id quod Azor approbat in cit. cap. 7. quæst. 10. quia inquit tuta conscientia possumus huiusmodi pensum interpretari reddendum esse eo more, quo horarum canonicarum officium exoluitur.

Reliqua documenta.

Sextum documentum est, quod Nauar. in eod. cap. 10. num. 9. tradit: inquiring, non satisfacere præcepto recitandi horas, eos, qui dum cantant aut recitant, omittunt tantam partem versus, deglutendo, corrumpendo & syncopando verba, syllabas, vel literas, quanta sufficit ut ex omissis & corruptis fiat notabilis pars horæ. Qui enim id agunt, omittunt partem notabilem horarum, nec recitant integras: & per consequens nec implent præceptum de recitandis datum. Adde quod in ea re (sicut & in recitando sine attentione

& deuotione) specialiter contraveniant prohibitioni Ecclesie in cap. Dolentes, De celebratione Missarum, & in Clement. 1. cod. tit. & in Concil. Basiliensi sess. 21. §. Qualiter horarum canonicarum sint dicendæ extra chorum: cuius verba sunt. Quoscumque beneficiarios, seu in sacris constitutos, cum ad horas canonicas teneantur, admonet hæc Sancta Synodus; ut si orationes suas Deo acceptas fore cupiant, non in gutture vel interdentes, seu deglutendo & syncopando dictiones vel verba: sed reuerenter verbis distinctis, siue soli, siue sociati cum aliis, officium diurnum nocturnumque persoluant. Aduerte tamen ex Azorio in seq. quæst. 11. istud procedere, cum quis diuinum officium persolvens verba mutila & decurtata profert scienter: nõ autem cum id facit vitio lingue, vel consuetudine quadam ingenua, seu quodammodo in naturam verba; neq; in ea (vt ipse addit) quantumcunq; non nihil peccatum sit, obligatio est repetendi taliter dictas preces horarias: quoniam seruatum fuit illud, quod erat de precepti substantia; sicut nec repetendus fuit baptismus ab ignaro lingæ Latinæ, datus sub hac forma. Ego te baptizo in nomine patris, & filii, & spiritui sancti, ex cap. Retulerunt, De consecrat. dist. 4.

Septimum documentum est; Illos qui inter horarum canonicarum recitatione ex officio vel Superioris iussu occupantur in pulsanis organis, ac ponendis libris, aut thurificandis altaribus (vnde fit vt aliquam partem diuini officij nec proferant, nec audiant) satisfacere obligationi recitandi, quantumcunq; talem partem non dicant per seipsos. Ratio eĩtquam habet Arago. 2. 2. quæst. 83. art. 12. sub finem: quod cum illi ad celebratam diuini officij occupantur in eare, totus chorus suppleat pro ipsis: ita vt satis dicere existimentur; dum ministrant dicentibus.

161. Vltimum documentum est: Eos qui vtuntur breuiario Romano ed. to à Pio V. non peccare peccato omissionis partis notabilis diuini officij, si non recitent quot die officium, quod vocant paruum Beate Virginis: nec diebus in eorum breuiario notatis, officium defunctorum, psalmos penitenciales, & psalmos graduales. Cæteros autem tali omissione peccare, quando breuiarium, aut regula secundum quam recitant, generaliter præcipit omnibus taliter recitari. Priorem huius documentum partem habet Azor in memorato lib. 10. cap. 7. quæst. vltim. & in seq. cap. 16. quæst. 3. & 4. ex bulla eiusdem Pij V. præfixa ipsi breuiario Romano: per quam et si idem Pontifex voluerit retineri vltimum receptum in aliquibus Ecclesiis, officium paruum B. Virginis recitandi in choro: tamen liberum reliquit recitantibus extra chorum; tam hoc quam alia memorata omittere: sicque liberauit ab obligatione recitandi. De quo Suarez tract. 4. De religione lib. 4. cap. 13. num. 13.

Posteriorem vero partem habet Nauar. de oratione cap. 10. num. 4. & probat. Quoniam ea ratione tales preces constituntur pars horarum canonicarum, de quarum citatione datur præceptum. Secus esset vero, vt ille addit, si præciperetur duntaxat tales preces recitari in tali vel tali particulari Ecclesia, vel à talibus canonicis, aut talibus Clericis; quia tunc obligarentur tantum illi, qui essent de ea Ecclesia, vel de eorū clericorum collegio. Quos non excusari, dicentes officium suum extra chorum, intelligitur ex eo quod ipse Nauar. ibidem subiungit ex D. Thom. Scholasticum beneficiarium obligari in scholis, recitare officium defunctorum, quod in sua Ecclesia toties vel toties; his, vel illis diebus ordinari debet: non autem illud quod dicitur extraordinarie ad preces alicuius, vel ad sepeliendum defunctum. Videri potest Suarez in prius memorato cap. 25. à num. 7. ad 12.

De continuatione requisita.

SECTIO IV.

162. AD debitam recitationem horarum canonicarum non requiritur talis continuatio, quæ nullam admittat interruptionem. Ea enim licite interrumpi potest aliquibus dictis, aut factis interpositis ob iustam interuenientem causam, & accedente voluntate continuandi, ac perficendi quod relictum fuerit, statim ac iustum impedimentum, cessauerit. Tunc autem maxime iusta causa interuenire censetur, inquit Azor in eodem lib. 10. cap. 8. quæst. 3. cum opus est concio-

nem vel audire vel habere, aut rem diuinam facere, aut Superioris iussu officium aliquod exequi, aut quodcumq; virtutis opus perficere, aut quid aliud ad salutem, aliæque bona siue nostra siue proximi necessarium; dummodo tamen nequeat in aliud tempus differri. Quod addo, quia indignum est loquentem cum Principe benigne audiente, ceptum sermonem interrompere non modo sine causa, sed nec cum causa, quæ patiatur dilationem in aliud tempus. Pienius & accommodate ad quorundam vltim, de his Nauar. loco cit. num. 70. De oratione cap. 16. à num. 64. ad finem vsque; qui legendus est, quoniam multa habet, quæ referre nimis longum esset; ideoq; contenti erimus aliquot documenta tradere, quibus comprehendamus in communi quæ spectant ad continuationem de qua agimus.

Primum est diuinum officium inceptum, & iusta de causa ininterruptum continuari postea posse, nec esse opus repetere quod iam dictum fuerit. Flo. habetur ex Medina in Cod. de orat. quæst. 16. sub finem, & ex Nauar. loco cit. num. 70. & 71. Id quod Azor non modo approbat loco cit. quæst. vlt. sed etiam in præced. quæst. 6. locum habere vult, quantumcunq; interruptio fiat sine iusta & legitima causa: vt fit per risum, iocos, aut sermones alioquin otiosos & vanos: quia licet peccetur, tam per talia verba vel facta illicita, quam per interruptionem diuini officij sine iusta causa; tamen in tali casu perinde ac in præcedenti, seruantur illa quæ pertinent ad substantiam præcepti de recitatione horarum canonicarum. Nam vt Nauar. habet in sequenti nu. 75. interpositio ex eo solo, quod sit mala, neminem obligat ad recitationem horarum iterandam ab initio. Vnde si interruptio fiat absque animo habendi recitata pro non recitatis, sufficit sequentia proficere ad satisfaciendum obligationi recitandi: quia interpositio alterius actus impertinentis, nõ annihilat actum intentum, nec facit adeo discontinuum, vt impediatur præcedentia cum sequentibus constituere quiddam moraliter vnum: nisi forte tam magna tamque impertinens esset interpositio, vt incepta alicuius horarum canonicarum recitatio, merito conferretur adeo discontinua, vt finita potius esse quam interrupta, deberet prudentis arbitrio estimari.

Neque in tali casu (quod Nauar. addit) satisfieri obligationi continuandi, nec interrumpendi diuina officia, impositæ per septimum Concilium Toletanum his verbis, relatis in cap. Nihil, 7. quæst. 1. Nullus absque præuente patetis molestia minister, vel Sacerdos eum ceperit, imperfecta officia, præsumat omnino relinquere. Si quis autem temerarie hoc præsumperit, excommunicationis sententiam sustinebit. Vbi aduerte ex eodem Nauar. in præced. num. 63. non esse liberum ceptam orationem interrompere, quantumcumque liberum fuerit eam incipere; sed peccare eos, qui sine causa omittunt illam etiam cuius initium non fuit obligatorium. Ratio est: quia si vituperabile est sermonem cum terreno principe isochoratum, sine causa abrumperet nec continuare ipso aures præbente: multo magis erit vituperabile sic inire colloquium cum Deo Rege Regum, vt sine tantæ maiestatis respectu, pro sola animi libidine, nullaq; urgente causa iustitiam interrupto, ad alia nos ipso vidente applicemus. Aduerte igitur eiusmodi interruptionem fieri: tum loquendo tum audiendo, tum etiam agendo aliena à recitatione: quæ si prophana sint, nec valde vtilia, augent culpam; & specialiter reprehenduntur in cap. Dolentes, De celebratione Missarum: sique sint turpia vel indecètia, à mortali excusari nequeunt, propter notabilem in Deum irreuerentiam. Quod si pia fuerint vel alias honesta & necessaria, ac breuia, excusatio poterit esse omnino à peccato, prout declarat Suarez in præced. cap. 24. in fine.

163. Secundum documentum est. Eum qui horas canonicas ceptas interrumpit animo & voluntate non continuandi reliquum quod superest, sed repetendi id quod iam recitauit, non satisfacere præcepto de recitandis illis, si tantummodo continuet quæ restant, nec repetat præcedentia iam recitata. Illud est Nauar. ibidem nu. 73. Debet autem sic intelligi ex Azorio in cit. cap. 8. quæst. 7. vt locum habeat, quando ab initio interruptionis recitans habuit voluntatem recitandi: non autem quando habuit aliquanto post: quia tunc sicut ei liberum est assumere nouam illam voluntatem repetendi;

ita etiam est liberum eandem relinquere, & sequi interruptionis initio habitam, vt *supponitur*, continuandi omnium absque iam recitatorum repetitione. Hanc suam doctrinam Azor illustrat exemplo audientis Missæ sacrum in die festo; qui si ab initio habeat in animo audire aliud, vt præcepto Ecclesiæ satisfaciatur, debet illud audire: prout docetur in seq. lib. 19. num. 23. Quod si non habuerit eum animum cum audiret; sed postea eo audito conceperit voluntatem adhuc aliud audiendi, potest ab ea recedere & ratum habere, facrum à se auditum, esse ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico de ipso audiendo.

164. Tertium documentum est. Quamuis horæ canonicæ sint tantum vna oratio, vt habitum est in præced. sectione, documento 2. eas tamen non esse absque interruptione continuandas, quemadmodum constat ex communi Ecclesiæ consuetudine: quod etiam nomen ipsum indicat; ex eo enim dicuntur horæ canonicæ, quod sint preces certis diei horis diuersis deputatæ per sacros canones; ex eodem Nauar. in præced. cap. 3. num. 26. De quibus horis postea in particulari, cum dicitur de tempore ad earum recitationem requisito. Hic tantum monendum est, prædictarum precum partes distinguere in nocturnum officium diuinum, & in diurnum: hocque rursus in matutinas laudes, primam, tertiam, sextam, nonam, vesperas, & completorium; atque vt addit Nauar. nu. 27. de nocturno intelligitur illud Plal. 118. Media nocte surgebam ad confitendum tibi, de cæteris vero, illud aliud. Septies in die laudem dixi tibi.

De quibus non est quidem dubium, quin à se inuicem diuidi possint, sed an pariter possint laudes matutinae, ab officio nocturno, & partes huius, à se inuicem quando ipsum fuerit triplex, vt in *sestus duplicibus* & *semituplicibus*, aliqua dubitatio est. Tenendum autem videtur cum Nauar. in memorato cap. 3. num. 28. & 64. laudes posse diuidi ab officio nocturno, sicut fit in die natiuitatis Domini, dum illis interponitur prima Missa: quia sunt pars ab illo distincta, perinde ac sex reliquæ horæ: vt argumento est, quod initio earum Deus in adiutorium meum intende, perinde repetatur ac in initio cæterarum: perindeque hymnum proprium habeant. Vnde colligit Nauar. in tali diuisione, quando finitur nocturnum, dicendum esse Pater noster, & cum postea incipiuntur laudes, idem iterum dicendum esse: cum Aue Maria: quia id seruatur in cæteris horis, quæ seorsim ab aliis recitantur: idemque effectus omnium merito videtur, cum par sit ratio. Quamquam vsus ita inualuit vt eum officio nocturno laudes ita coniungantur, vt pro vna hora canonica habeantur, omissoque Pater & Aue continentur: quod quidem non fit in aliis horis quando coniunguntur: sed pro earum initio, dicitur Pater & Aue Maria, excepto completorio, in quo dicitur tantum Pater noster, & hoc non statim initio, sed post lectionem breuem. Adde, quod Azor in ante cit. cap. 8. quæst. 4. approbat ex Nauar. in cit. num. 64. tria nocturna officia posse à se inuicem diuidi iusta de causa. Pro argumento Azor ipse adfert quarundam Ecclesiarum consuetudinem, qua pro defunctis vnum tantum nocturnum officium recitatur cum laudibus. Addere etiam potuit consuetudinem recitandi partium officium B. Virginis, qua vno die vnum: alio aliud nocturnum recitatur. Quidquid autem idem Azor contradicat, consentaneum videtur, quod Nauar. ibid. monet, quando fit ea nocturnorum diuisio, dicendum esse Pater noster, cum prius finitur: & Pater noster, cum Aue Maria, cum posterioribus inchoatur, quia consentaneum est in ea re id sequi, quod videmus seruari in aliis similibus.

165. Quartum documentum est. Illud de horis canonicis vnius diei proxime dictum, quod quamuis sint vna oratio, possint tamen secundum primarias suas partes, distinctis horis recitari: pari ratione dici posse de corona Beatæ Virginis, continente quinque primarias partes, quarum qualibet constat vno Pater noster, & decem Aue Maria, nempe cum fuerit aliquo die recitanda siue ex voto, siue ex impositione Confessorij: siue ex aliqua regula, cui nos adstrinxerimus: id rationabili aliqua de causa ita fieri posse, vt vna eiusmodi pars vna hora: & alia, aliis diuersis horis recitentur intra eandem diem. De quo tractat Nauar. in eodem tractatu, cap. 10. à nu. 37. vsque ad finem: inter cætera adferens has rationes num. 40. tum quod negari non possit, quin corona per partes,

eodem die dicta diuersis horis, sit eodem die dicta: & consequenter satisfactum sit obligationi dicendi eod. die: tum quia quinque decades corona, licet per se singulae sunt indiuisibiles, secundum illud vnum Pater noster, & decem Aue Maria, quibus vnaquæque constat: comparatæ tamen alia cum aliis, diuisibiles censeri possunt, sicut censentur horæ canonicæ. Tum demum sicut facultas dicendi horas canonicas diuersis horis præbet occasionem eas dicendi commodius, & cum frequentiore, continuationeque memoria diuinarum: ita & facultas dicendi præfatas decades diuersis horis, magnam præbet occasionem frequentius habendi memoriam Beatæ Virginis, & aliquid pium cogitandi. Quæ in contrarium facere videntur Nauar. ipse refert & soluit, cuiusque sententiam approbat Azor in seq. quæst. 8.

De ordine requisito.

SECTIO V.

166. Quadruplex potest esse istiusmodi ordo: vnus officij cum officio diuersorum dierum, alter diuersarum horarum eiusdem diei, tertius diuersarum partium eiusdem horæ, & quartum recitationis ipsarum horarum cum Missæ celebratione.

Quod attinet ad primum: tenendum est quod habet Suarez in memorato lib. 4. cap. 24. num. 3. quod cum rectus ordo postulet, & recepta Ecclesiæ consuetudo ita ferat, vt non inchoetur officium diei sequentis antequam complectum sit officium diei præcedentis, talem ordinem voluntarie inuertere sine iusta causa non carere culpa; quæ tamen de se non sit plusquam venialis: quia non derogat substantiæ orationis, quam horæ canonicæ constituunt, nec illam minuit: vnde fit, vt non contineat grauem deformitatem.

Quod attinet ad 2. Quis ordo requiratur ad debitam recitationem horarum canonicarum, communis vsus satis ostendit, quo nocturnum officium diurno præmittitur: & matutinae laudes, prima; prima, tertia; tertia, sexta; sexta, nona; vesperinis precibus, & hæc completorium. Quomodo autem peccet, vel excusetur à peccato qui talem ordinem inuertit, declaratur his propositionibus.

Prima est. Talem non peccare mortaliter, dummodo absit contemptus, etiamsi absque iusta causa inuertat per incuriam & negligentiam. Hanc tenet Nauar. De oratione cap. 3. num. 67. cum D. Anton. Angel. & Syluestro: qui postremus in verbo Hora, quæst. 9. dicto 4. rationem tangit: quod talis ordo non fit de substantia præcepti, quod datum est de recitatione horarum canonicarum: cuius non pars, sed solum modus est talis ordo.

Secunda est. Eundem peccare venialiter, sine obligatione tamen iterandi horam iam recitatam. Hanc quoque habet ibidem cum iisdem Nauar. & in seq. cap. 21. num. 30. Et probatur: quia alienum est à ratione in diuino officio non seruare modum procedendi ab Ecclesia approbatum & visitatum: etsi recitatio, vt iam sufficienter facta, iteranda non sit de necessitate.

Tertia est. Excusari à peccato enim qui ordinem prædictum inuertit ex naturali obliuione: seu quia recitaturus horam posteriorem, vt tertiam, nullo modo aduertit se nondum recitasse priorem, vt primam. Ratio est: quia talis obliuio cum rationem habeat ignorantia inuincibilis, excusat omnino à peccato.

Quarta propositio est. Illam qui, etiam scienter, inuertit eum ordinem, excusari similiter à peccato, si iusta de causa id faciat. Ita quoque tenent memorati auctores. Et ratio est: quia vbi adest iusta causa, rationabiliter præsumitur excusatio de mente & voluntate Superioris præcipientis. Exemplum talis causæ Nauar. loco cit. ponit: si veniam ad chorum dum canitur tertia, necdum dixerim primam: tunc enim possum psallere cum cæteris, & postea dicere primam, vel aliam horam omisissam. Imo etiam extra chorum ex Azorio in cit. lib. 10. cap. 10. quæst. 1. si post incæptam horam tertiam recorder me non recitasse primam, possum sine peccato illam prosequi animo & voluntate hanc postea recitandi. Idem iudicium esse quoque vult, si quis nondum recitata prima, rogetur aut inuitetur à socio, amico, vel familiari, vt tertiam recitet: ille vero debiti obsequij gratia, concedat illi

quod postulat. Cæterum siue cum iusta, siue absq; iusta causa fiat talis inuersio, necessarium est suppleri intra eandem diem quod omissum fuerit: per tradita à Nauar. in eod. tract. cap. 10. num. 48. & aliquot seqq.

Quod attinet ad tertium, hoc est, ad ordinem eiusdem horæ, tenendum est quod Suarez habet in citato cap. 24. num. 5. cum graui peccato veniali, illum inuerti voluntarie siue iusta causa: vt si quis immutet ordinem psalmodum inter se, vel cum lectionibus, capitulis, hymnis, &c. Ratio est, quia tale quid nequit habere prætextum honestæ excusationis; videturque speciem quandam contemptus continere, cum inde corrumpatur ipsarum horarum quasi pulchritudo, & artificium, consistens in ordinata partium compositione inter se. Iusta causa autem interueniens potest à tali peccato excusare: qualis censetur obliuio alicuius partis, quam sufficit postea suppleri: nec necesse est obseruationem ordinis, iam recitata repetere: itemque occupatio grauis. Sic enim ex eodem auctore, si quis non habens librum ad dicendas lectiones, occurratque grauis occupatio quæ non patietur dicere totum officium matutinum, nisi dicat tunc quæ potest, vt hymnos, psalmos & cætera quæ habet in diurnali, potest talia dicere, & postea breuiario habito cætera suppleri.

167.

Quod attinet ad quartum difficultas est, An ordo qui requiritur ad recitationem debitam horarum canonicarum, sit non solum earum inter se, sed etiam cum Missæ celebratione: ita vt aliquarum recitatio hanc præcedere oporteat. Nam vt meminit Nauar. in cit. cap. 3. num. 68. post D. Anton. 3. part. tit. 13. cap. 4. §. 4. & Angelum in verbo Missa, num. 42. Hostiensis sensit peccatum mortale esse, Missam celebrare ante officij nocturni matutarumque laudem, & prima recitationem: quod iidem auctores pluresque alij, de quibus Suarez in seq. num. 6. concedunt quidem de celebratione ante recitatum officium nocturnum & laudes matutinas, nisi iusta causa excuset: vt scandalum vel nimia retardatio populi, aliæ similes: eamque communem esse sententiam Nauar. habet in seq. cap. 21. num. 30. & cum eo Azor in cit. cap. 10. quæst. 4. Sed de celebratione ante recitatum primam, etiam factam sine iusta causa, D. Anton. ait non esse peccatum plusq; veniale. Angelus vero negat illicitam esse, quando prima esset iterum dicenda in choro. Nauarrus autem sentit de rigore iuris, nullum in eo committi peccatum: licet dicat se in praxi non audere id sequi, vel consulere alteri: eo quod talis recitatio sit dispositio valde germana, ad Missam deuotius & reuerentius celebrandam.

Quod vero Sotus docet in lib. 10. de iust. & iure, quæst. 5. art. 4. Missam celebrare ante recitatum officium nocturnum & laudes, non esse peccatum plusquam veniale, Nauarrus ipse in eodem num. 30. refutat: quia id agere est contrarietate communi & peruersa consuetudine Ecclesiæ: ac etiam tacito iudicio eiusdem præcepto. Dum enim statuit vt matutine preces dicantur de nocte vel mane: Missa vero de die, tacite ordinauit, vt recitatio diuini officij matutini, esset præparatio ad Missæ celebrationem. Attamen plurimi recentiores in eo assentiunt Soto, quos Suarez loco citato commemorat. Inter quos Arag. 2. 2. quæst. 83. art. 12. dub. 5. ait id esse intrepide tenendum. Et Suarez ipse quamuis fateatur melius esse aliquatenus priorem sententiam tenere in praxi: nimirum cauendo sollicite ne absq; iusta causa coniungat vel nos in eo desicere, cum peccato saltem veniali non leui: vel alios nos cõsultentes, occasionem accipere liberius negligendi tam sanctam præparationem ad Missæ celebrationem, in aliquod detrimentum suum spiritale, atque aliorum forte scandalum. Quamuis inquam hoc ille fateatur, existimat tamen ipsam Soti sententiam esse simpliciter securam, & in rigore veram: quia prædicta consuetudo non fuit introducta intuitu ordinis de quo agimus: seu ad inducendam illius obligationem, ex qua recitatio matutini, fieret dispositio requisita ad Missæ celebrationem: sicut nec consuetudo celebrandi Missam ante meridiem, non item Vesperas, censetur introducta intuitu ordinis inter harum recitationem, & ipsam Missæ celebrationem.

Itaque licet dicatur congruenter Ecclesiæ consuetudini, quod matutinum debeat præcedere celebrationem Missæ, & vesperarum recitatio eandem sequi: quia tamen illa non

est per se introducta ad eiusmodi ordinem statuendum, is per ipsam non est alter in præcepto, quam quia ipsa est fundamentum, quo posito ratio dicitur talem ordinem regulariter seruandum esse: non tamen sub mortali. Cæterum quidquid sit in speculatione, censuerim, cum in praxi res sit valde periculosa, nisi necessitas aperta urgeat non esse vitandum ea libertate: quia de mortali aut de veniali valde graui habenda est suspensa propter virorum timoratorum communem sensum: quo exhorrescent Missam dicere non recitato matutino. Accedit quod Pius Quintus in breui, quod habetur in principio Missalis, in virtute obedientiæ præcipiat Missam dici, iuxta ritum Missalis: & in principio rituum seruandorum in Missa, dicatur graui confessione, & saltem matutino cum laudibus absoluto, orationialiquantum vacet.]

De qualitate requisita.

SECTIO VI.

AD hanc qualitatem duo pertinent. Alterum est, vt Breuiariam ex quo horæ canonicæ recitantur, sit approbatum ab Ecclesiâ: quale est solum Romanum nouum iussu Pij V. editum; & alia quæ ante illud 200. annis, per statutum aut consuetudinem introducta fuerunt cum approbatione Sedis Apostolicæ. Quod constat ex Bulla eiusdem Pontificis, eidem Breuiario præfixa: per quam sic abrogantur cætera omnia Breuiaria, vt horas canonicas ex eis recitantes statuunt non satisfacere præcepto Ecclesiastico. Alterum est, modus recitandi: pro quorum plena intelligentia aliquot dubia occurrunt explicanda.

PRIMUM DVBIUM.

An quicumque tenetur horas canonicas recitare, satisfaciatur, recitando illas ex quouis alio Breuiario, quam approbato à ducentis annis, in suo Episcopatu.

Hoc tractat Nauar. de oratione cap. 19. num. 211. & aliquot sequentibus; tresque de eodem varias opiniones refert Azor, in prima parte Moral. instit. lib. 10. cap. 11. quæst. 1. Quid autem videatur in praxi tenendum propositionibus his explicatur.

Prima est, Formulam Breuiarij, hoc est, speciem & quantitatem precum ad quas tenentur Beneficij aut Religiosi choro addicti, aut initiati maioribus ordinibus, variam esse posse apud varios; quantumuis omnium sit communis obligatio. Hæc est Soti in 10. De iustitia & iure, quæst. 5. art. 4. concl. 1. Quam probat, quia iure quidem diuino ac naturali tales tenentur ad aliquas peculiare preces: sed quænam eæ sint, determinatum non est eodem iure: sed iuris tan. um humano: quod pro varietate locorum & temporum variatur, in istius rei determinatione, sicut passim folet quoq; in aliis determinationibus. Pro quo facit cap. In die, De consecrat. dist. 5.

Secunda propositio est, Clericum non satisfacere obligationi suæ, recitando horas ex Breuiario, quod in alio Episcopatu approbatum sit quidem: sed non in suo. Hanc Azor ibidem tenet cum Nauar. tam loco cit. quam in seq. cap. 21. num. 23. & cum Soto in memorata concl. 1. Confirmat: utq; maxime per cap. De his, dist. 12. quo præcipitur, vt vniuersusq; prouincie ciues, rectoresque Ecclesiarum vnum eundemq; in psallendo teneant modum quem in Metropolitana sede cognouerint institutum: nec aliqua diuersitate ordinis, vel officij à Metropolitana sede patiantur se disiungi. Ad idem facit canon Placuit, eadem distinct. & canon Conuenit. De consecrat. dist. 5. At ex alio quam sui Episcopatus Breuiario approbato, horas canonicas recitans, non conformat se talium canonum præscripto. Accedit quod in Clem. 2. De celebratione Missarum, dispensetur cum Clericis Cardinalium, & Episcoporum familiaribus, vt possint se conformare illis in modo recitandi horas canonicas: quæ dispensatio necessaria non fuisset, si iidem familiares possent præcepto Ecclesiæ satisfacere, recitatione alterius Breuiarij, quam sui Episcopatus.

De hacre Nauar. in cit. cap. 19. num. 215. præmittens in præced. num. 214. contra directorium iuris (quod in verbo Hora sequuntur Angelus num. 12. s. 1. quæst. 1. Tabien. quæst. 10. & ante eos D. Anton. 3. parte tit. 13. cap. 4. §. 2.) propositionem

hanc

hanc procedere etiam quoad Clericum secularem ordinatum ad titulum sui patrimonij: quia quamvis non habeat beneficium, subditus est tamen Episcopo sui domicilij, illiusque synodalibus legibus parere tenetur in iis, quæ ad omnes æque pertinent: sicut recitatio officij diuini, æque pertinet ad habentes beneficium Ecclesiasticum, & ad non habentes. Cum Nauarro sentit Sotus loco citat. tunc est ea sententia: quam Suarez de religione tract. 4. lib. 4. cap. 23. numero quarto approbat; quia licet talis non tenetur choro assistere; tamen tanquam pars Cleri sui Episcopatus, tenetur se ei conformare; ad idque potest ab Episcopo suo cogi, vt ad aliquid spectans ad rectum Ecclesiæ propriæ ordinem, ab omnibus æqualiter custodiendum, ex memorato cap. Conuenit, etiam in recitatione priuata, quandoquidem ea subrogatur publicæ, quæ fit in choro.

169. Tertia propositio est, Religiosum, vt satisficiat obligationi quæ ei ex sua professione incumbit recitandi horas canonicas; debere sequi eam Breuiarij formulam, qua Sedis Apostolicæ approbatione vitur ordo regularis, cuius institutum professus est. Hanc Azor in supra citata quæstion. 1. probat ex eo, quod, iure canonico, Religiosi compellantur sui instituti & ordinis recitandi formulam tenere & seruare, vt intelligitur ex cap. De his, & cap. Placuit, distinct. 12. Eandem quoque ex directorio iuris tangunt locis citatis Angelus, & Tabienfis: itemque Syluester, nisi quod addat id procedere de bene esse. Aduerte autem ex Nauarro in fine eiusdem cap. 19. Religiosum cuius regula nihil de modo recitandi præcipit, sequi debere regulam Episcopi cui subest, aut si exemptus sit, sequi vsum Romanum.

Quarta propositio est, quam ex eodem directorio iidem auctores habent, ordinatum & intitulatum ad certam Ecclesiam, teneri dicere officium ibi consuetum: atque adeo secundum Episcopi sui specialem regulam si aliqua detur: alioqui secundum regulam Metropolitanam, ex Nauarro loco cit. Probatur vero propositio, quia non retineretur alioqui formulæ vnitas, quam in diuini officij recitatione seruandam, commendant sacri canones, vt patet ex antedictis. Aduerte vero obiter ex Syluester in cit. quæst. 1. dicto 6. Monachum præfectum Ecclesiæ seculari, debere sequi consuetudinem Ecclesiæ ad quam transit, si ad eam transferatur in perpetuum. Non item, si tantum ad tempus; sed debet officium suum monachale retinere.

Quinta propositio est, quam iidem adhuc tangunt ex doctrina D. Thomæ quodlibeto 1. art. 13. Habentem legitime beneficia in duabus Ecclesiis, debere vti formula quam tenet & seruat ea Ecclesia in qua habet beneficium dignius; *verbi gratia decanatum*, quantumvis pinguis habeat in altera, sed minus dignum vt simplicem canonicatum. Si vero habeat paria dignitate in vtraque Ecclesia, *verbi gratia duos simplices canonicatus*, vti debet formula quam seruat Ecclesia dignior. Sin autem Ecclesiæ sint pares dignitate, liberum erit ei vti qua maluerit formula, quæ in alterutra Ecclesia seruat, si in neutra resideat legitime; nimirum per dispensationem; aut quia neutrum beneficium residentiam requirit. Hanc propositionem quadripartitam D. Thomas non aliter probat, quam quod in tali re maior dignitas spiritalis præponderet minori, quidquid fit de emolumento temporalis: ratioque postulet vt nos conformemus potius iis cum quibus conuersamur quam cum aliis. Et si autem Azor in memorato cap. II. quæst. 2. eam dicat communiter receptam: nihilominus Suarez in citato cap. 23. num. 6. probabilius censet beneficiarium posse recitare horas canonicas secundum formulam receptam in diocesi in qua residet, non obstante quod diuersa sit ab vstitata in loco sui beneficij; quia valde expedit imitari honestos mores eorum inter quos viuimus, & firmum domicilium habemus: alibi habentes tantum quasi domicilium ad aliud quod tempus: pro quo non est necessarium assumere aliud Breuiarium: cum huius frequens mutatio merito vituperetur.

SECUNDVM DVBIUM.

An recitans horas canonicas ex Breuiario alieno quidem, sed approbato consuetudine ducentorum annorum, peccet mortaliter perinde, ac si recitaret ex reprobo, vel recitationem omitteret omnino.

170. Pro parte negante facit Syluester in verbo Hora, quæst. 12. cum quibusdam aliis apud Nauarro. De oratione cap. 19. num. 211. Pro affirmatiua autem plures ab eodem Nauarro citati in sequenti num. 214. Videntur autem cum eodem in reliqua parte eiusdem capituli propositiones hæ tenenda.

Prima est, Non esse peccatum, ne quidem veniale, quandoque vno vel altero die, aliqua de causa, quæ docto & bono viro iusta videatur, officium recitare ex Breuiario approbato quidem, alio tamen à nostro ordinario, cuius regulam sequi tenemur. Hæc patet ex eo, quod iusta causa excuset ab obseruatione præcepti humani: etiam si pro dispensatione recurrendum sit ad Superiorem, cum fieri potest. In exemplum autem iustæ causæ Nauarro num. 217. adfert necessitatem repentinam studendi, concionandi, prælegendi, iuuandi in recitando infirmum, vno vel altero die, aut Prælatum, aut amicum defessum.

Secunda propositio est, Cum dispensatione Papæ quemlibet possit licite sumere Breuiarium quod ei libuerit, dummodo talis dispensatio detur iusta de causa. Hæc quoad priorem partem patet: quia Superiori autoritatem habet dispensandi in sua lege. Quoad posteriorem vero; quia, vt Nauarro in præced. num. 204. argumentatur: licet is qui sine iusta causa per Superiorem dispensatus est, non peccet transgressione legis, *qui ei relaxata est*, si contraueniat: peccat tamen contra naturæ legem præscribentem quod debeamus conformare nos in bonum, cum iis quibuscum viuimus: quodque turpis sit pars, quæ non conuenit suo toti. Tale autem peccatum mortale erit aut veniale, pro qualitate inde sequuti magni aut parui scandali: quod ea de causa datur cæteris, prout Nauarro ipse ibidem notat.

171. Aduerte autem ex eodem in præcedenti cap. II. num. 24. & aliquot sequentibus: olim quidem Episcopus iusta de causa potuisse dispensare cum subdito suo, vt secundum formam alterius Episcopatus horas canonicas recitaret, eo quod potuit propriam Episcopatus formulam recitandi immutare, & persequens in ea dispensare, sicut & iuxta cap. 1. De consecrat. distinct. 3. instituire nouas festiuitates, ad quas sequitur ordinatio noui officij. Sed post editum à Pio V. Breuiarium, & promulgatum cum Bulla eidem præfixa, per quam Pontifex, pro summa sua autoritate, talem immutationem vetuit, & præcepit vt omnes Clerici in toto orbe Christiano, secundum formulam in eo Breuiario positam, horas canonicas recitarent, exceptis iis qui per Breuiaria ante ducentos annos composita & approbata recitabant; prædicta Episcoporum potestas suspensa est, propter abusus, quorum fit mentio in eadem Bulla: ita vt Clerici quoad formam Breuiarij seruandam in recitatione horarum canonicarum, iam non tenentur vt antea, lege speciali sui Episcopi, vel Archiepiscopi; sed vniuersali Summi Pontificis, quam infirmior tollere non potest nec limitare, ex Clemen. Ne Romani, De elect. Eandem obseruationem tangit Azor in 1. part. Moral. Inst. lib. 10. cap. 13. quæst. 11. De qua etiam Suarez in fine citati cap. 23. vbi bene monet in tali præcepto, sicut & in aliis Ecclesiasticis, Episcopum dispensare posse iusta de causa in vno aut altero casu occurrente: non autem eocedere dispensationem permanentem. Pro quo videnda sunt antedicta à nobis de dispensatione lib. 13. num. 190. & aliquot sequent. ac lib. 16. num. 18.

Tertia propositio est, Peccare eum qui sine dispensatione sufficienti frequenter mutat modum recitandi horas canonicas: nempe recitando aliquot diebus ex vno Breuiario, & aliquot aliis, ex alio pro suo arbitrio: ita vt viris doctis & piis, id nimium esse possit videri; quisquis sit ita recitans, siue beneficiarius, siue alius. Huius rationem tangit Nauarro in cap. 19. in fine num. 217. quod etiam si liberum ei esset vtrumque eligere, vt v. g. nouum Romanum, & Bisuntinum: non posset tamen tot mutationes iuste facere.

Quarta propositio est, Interdum ex alieno Breuiario re-

citare sine iusta causa, peccatum quidem est, sed non mortale: dummodo citra contemptum legis, tamque raro fiat, ut viro prudenti & docto non videatur notabilis audacia. Hanc Nauar. ibidem ex eo probat: quod eiusmodi mutatio tam rara, non videatur ita notabiliter contrariè menti institutoris Breuiarij, ut ad culpam mortalem, ea censenda sit peruenire.

Quinta propositio est, Beneficium aut Religiosum, aut sacro ordine initiatum sine beneficio, qui omittit omnino, aut multo tempore mutat suum Breuiarium, & regulas sui Episcopatus, vel ordinis sine dispensatione, peccare mortaliter. Hanc idem habet: & probat in sequenti num. 218. quia illud plane est contra præceptum positum, quo iubetur quisque secundum suam regulam recitare. Cuius præcepti ante meminimus in explicatione primi dubij. Ipsum autem sub mortali obligare, Nauar. in præced. num. 215. ex eo probat, quod Concil. Tolet. relatum in cap. De his, distinct. 12. iubeat contrauentientem tali præcepto, suspendi à communione sex mensibus, & culpam lachrymis ablucere: quæ amarè peni penitentia, indicia sunt culpæ mortalis, & non solummodo venialis.

TERTIUM DVBIUM.

An ex suo Breuiario recitare cum mutatione officij vnus diei in officium alterius diei, v. g. recitando de Sancto, cum recitari debeat de feria, vel contra: an inquam sit peccatum.

172.

AD hoc respondendum esse affirmatiue, ex eo patet: quod & tunc videtur vniformitas in recitatione horarum canonicarum, ex præcepto Ecclesiæ retinenda, per cap. penultimum & vltimum, dist. 12. cap. Conuenit. De consecr. distinct. 5. Sed difficultas est non modica an ipsum sit mortale; quam Suarez tractat in eodem cap. 23. à num. 11. ad 16. allatis in vtramque partem auctoribus, & rationibus. Pro solutione autem videtur dicendum: posse peccatum mortale committi mutando officium vnus diei in officium alterius. Quia præceptum de recitandis horis canonicis obligat sub mortali per antedicta. Ipsumque sic in genere datur de septè horis canonicis, ut etiam detur in particulari, seu in indiuiduo, de iisdem vnoquoque die recitandis: quæ cum ex Ecclesiæ institutione sint variæ, pro varietate dierum: merito vnas dicens non censetur dicere alias. Quare nec satisfacere præcepto de talibus determinatis tali die dicendis: si non eas, sed alias recitet. Confirmatur: quia alioqui dicere has potius quam alias tali die, solum esset consilij, tanquam quid melius: & non modo mortale, sed nec veniale esset facere in eo mutationem ex mera voluntate, ac sine vlla iusta causa, quod nemo dixerit. Aperteque in contrarium est, quod Pius V. in Bulla Romano Breuiario præfixa iubet officium diuinum dici secundum formam ab ipso præscriptam. Ad quam formam pertinet distributio eisdem officij per dies festos aliaque tempora. Ei autem distributioni repugnat mutatio officij vnus diei in officium alterius diei. Ergo repugnat dicto præcepto: nec relicta est arbitrio recitantis.

Verumtamen non adeo frequens est in ea mutatione tanta culpæ grauitas. Etenim semper à mortali ea excusatur ex paruitate materiæ: seu quantitatis, qua officium recitatum, minus est recitando: nisi ea enormem adferat læsionem officio diuino quod relinquitur; prudenti expendendam ex circumstantiis eiusdem mutationis; ut si sit valde frequens aut valde ridicula, prout censetur ea qua solertissimum officium proprium in die natiuitatis Domini, mutaretur in feriale simplicissimum; aut lugubre Dominicæ palmarum, cum hilare resurrectionis Domini. Quod si sit magna inæqualitas inter officia, quia scilicet illud relinquitur, multo longius est altero in quod mutatur: ut cum officium dominicæ, mutatur in officium vnus martyris, quod longe breuius est: non est excusatio; quia hoc supplet illud cum defectu notabili, atque adeo rationem habente defectus integritatis: qui quado est notabilis in officio diuino, constituit peccatum mortale, iuxta habitam in præced. sect. 3.

Excusatur item à mortali eadem mutatio, ex inaduertentia, quæ quamuis sit aliquo modo culpabilis, potest tamen à tanta grauitate culpæ excusare ipsam diuini officij mutatio-

nem, ut non deliberatam plene. Imo & excusare à recitatione omisso, ex communi sententia teste Azorio in cit. lib. 10. c. 10. q. 2. nisi, prout addit Suarez, ipsum sit notabiliter maius non omisso: quia tunc facienda esset aliqua cõpensatio, dicendo aliquid ex officio omisso diuersum ab eo quod iam dictum est. Excusatur denique, ex iusta causa: qualis est quod non habeam nunc Breuiarium ex quo dicam officium de Sancto, & ideo dico de feria, quia non possum recitationem donec habeam commoditatem Breuiarij, differre; quoniam tunc erit mihi vacandum studio necessario, vel alicui operi pietatis.

QUARTUM DVBIUM.

An liberum sit in qui proprium Breuiarium habent approbatum, vti extra chorum nouo Breuiario Romano.

DE hoc interrogatus Nauar. non nihil incertus fuisse videtur in lib. 3. suorum consil. tit. De celebratione Missarum consil. 11. 16. & 19. Distingendum autem videtur. Nam si recitans extra chorum addictus sit choro in quo canuntur horæ canonicæ ex Breuiario approbato ducentis annis ante prædicti noui introductionem, non est probabile ei licere sine dispensatione Episcopi, ipso nouo vti. Ratio est, quia talis mutatio permittitur quidem à Pio V. fieri, etiam in choro; sed tantum de voluntate seu cõsensu Episcopi & Capituli. Cumque priuata recitatio horarum canonicarum subrogetur in locum publicæ, qua fit in choro, debet esse ei conformis: ut patet per antedicta in explicatione dubij primi. Et confirmatur: quia deformitas inter eos qui sunt eiusdem vacationis & familie, reprehensibilis est: ex cap. In noua actione 16. quæst. 7. & ex Clem. 1. de electione: magna que est indecentia illa, qua inter tales: vnus ex vno, alius ex alio Breuiario recitat. Quamquam si nullum periculum inde imminet dissolutionis, aut imminutionis charitatis, censeri potest, prout Lessius docet, De inst. & iure, lib. 2. c. 37. n. 75. illius Breuiarij vsus permissus hoc nomine, quod valde laudabile sit cõformare se Ecclesiæ Romanæ, tanquam matri omnium aliarum Ecclesiarum. De grauitate prædicti peccati iudicandum erit ex qualitate & quantitate scandali, & aliorum incommodorum sequentium ex tali deformitate, quæ de se non videtur tanta, ut ad mortale sufficiat, prout notat Suarez in citato cap. 23. num. 9. in fine.

Iam si quis liber sit à choro, nec vlli regulæ subdit, qua certam formam seruare teneatur per statutum in Sede Apostolica approbatum, non videtur negandum quin ei liceat, etiam sine dispensatione, uti prædicto nouo Breuiario: ita ut Ecclesiæ præcepto satisfaciat recitando ex eo horas canonicas, prout Nauar. in citato consilio 16. ex eo probat: quod Pius V. in sua Bulla præcipiat omnes tam regulares, quam seculares uti eodem officio nouo, exceptis iis qui vtuntur antiquo ante ducentos annos recepto. Quæ exceptio non præcipit, ut antiquum eiusmodi officium ij seruet, qui illud antea tenuerint: sed indicat quod si nolint, non teneantur seruare nouum, ne quidem in choro: nisi ipsum sit in eo introductum consensu Prælati & Capituli. Nihil est igitur, cur ad seruandum nouum Breuiarium extra chorum, prædictis necessaria sit dispensatio Episcopi: cum Papa sufficientem ad id faciat potestatem, non requirentem Episcopi consensum. Nam nominatim de choro expressam mentionem faciendo, non obscure indicat se respectu tantum illius exceptionem addidisse, impedimentum adferentem recitandi horas canonicas ex ipso nouo Breuiario: ad quod tollendum esset opus autoritate Episcopi, & Capituli.

Porro quin omnes ij quorum breuiarium non præcise sit ducentis annis ipsum Romanum nouum, possint ex eo horas canonicas priuatim recitare sine dispensatione dubium non est. De qua re videndus est Suarez in sequenti num. 10. Admonens non obstare, quod per negligentiam Prælatorum recitatur in choro ante vltimum breuiarium: qua cum ipsum sit, ut supponimus, de numero eorum quæ abrogantur à Papa, prauus est talis vsus; vt pote retentus contra expressam Superioris voluntatem. Vnde fit, vt nequeat obligationem inducere ad illum inuitandum: nec posse Prælaturam præcipere illius imitationem: cum obstat præceptum Papæ, de quo idem author pluribus in præced.

cap. 11.

QVIN.

QVINTVM DVBIVM.

An ad satisfaciendum Ecclesie præcepto, necessarium sit horas canonicas clara voce recitare.

174. PRO huius explicatione sit prima propositio. Non satisfieri præcepto Ecclesie recitando horas canonicas sola mente; sed requiri ut etiam voce recitentur. Hanc habet Medina in Cod. De oratione quæstio. 7. in initio. Et probat: quia cum Ecclesia non obliget immediate ad actum mentis, præceptum ipsius non impletur solo interiori mentis actu. Deinde quia ex D. Thomæ 2. 2. quæst. 83. art. 12. Oratio publica, id est, quæ per ministros Ecclesie in persona totius populi Deo offertur, ut ab ipso populo exaudiri possit, debet voce proferrî. Recitatio vero horarum canonicarum, oratio est huius generis, ut satis constat. Accedit quod in Concilio Basiliensi sess. 21. sit iustum, ut horæ canonicæ non inter dentes, nec in gutture, nec syncopate, sed integre pronuntientur.

Secunda propositio est, Eum qui non tantum priuatim, sed etiam solus dicit horas canonicas, satisfacere præcepto Ecclesie, si eas taliter recitet, ut vere dici queat, ore voceque preces fundere: siue possit ab alio audiri siue non possit. Hanc contra Medinam loco cit. tenet Nauarr. in tractatu de oratione cap. 20. num. 14. Et probat, tum quia ex ipso etiam Ecclesie præscripto, in Missa, & in ipsâ horis canonicis quædam secreto dicenda sunt. Tum quia communis usus virorum piorum & doctorum est, ut in templo vel in cubiculo, vel faciendo iter cum alijs (ne eis molesti sint, vel impedimento, & ad fugiendam hypocritis speciem, lumen missæ voce ex urbanitate & ciuilitate horas suas recitent. Tum demum quia ut Caietan. notat ad citatum D. Thomæ artic. 12. oratio publica de præcepto quidem debet vocalis esse: sed tamen clara & alta, solummodo ex decencia; quæ plerumque cessat ratione personarum quæ inde offenderent vel impedirentur. Neque obstat quod in eodem loco D. Thomæ dicat orationem publicam debere fieri alta voce, ut innotescat populo pro quo profertur. Nam id intelligendum est de oratione quæ non solum est publica, sed etiam publice dicenda est, ut audiat populus: quod non est semper necessarium in recitatione horarum canonicarum, sicut est in celebratione missæ. Ille enim plerumque à solo, & nemine conficere recitari possunt: hæc autem, non; nisi duobus assistentibus ex capite. Hoc quoque, De consecr. distinct. 1. (aut saltem vno, prout consuetudo iam obinuit) celebrari potest, & ideo clara semper & intelligibile voce, dicenda est.

Tertia propositio est, Vocem eius qui solus & priuatim recitat horas canonicas, non debere esse ita summisam, ut non audiat seipsum. Hæc est contra Azorium in 1. part. Moral. instit. libr. 10. cap. 11. quæst. 4. eamque tenent non modo Caiet. & Medina quos ipse refert: sed etiam loco cit. Nauarr. quem quasi sibi consentientem idem Azor assertit, satis aperte; verba enim ipsius sunt. Cum eas pronunciat ad se tantum mouendû, & mente & corpore Deo seruendum, sufficit quod formet, verba illaque audiat & intelligat. Quibus verbis insinuat quoque rationem nostræ propositionis: nempe quod iuxta Diui Thomæ doctrinam loco cit. horæ canonicæ proferrî debeant voce, ut habeamus signum externum quo mens nostra eleuetur in Deum. Signum autem non operatur nisi ingerendo sensui speciem sui; & vocalis recitatio horarum canonicarum non audita, nullam sui speciem sensui ingerit.

Quarta propositio est, Recitantem cum socio debere ab eo audiri. Hæc patet ex præcedenti, quia si recitans audire debet seipsum, multo magis socium cum quo recitat:

quia non suppleret alioqui audiendo,
quod omittit non recitando.

**

**

VLTIMVM DVBIVM.

An ad chorum & cantum deputati satisfaciant Ecclesie præcepto, si tantum choro presentes adsint, & in eo summissa voce Ecclesiasticum officium persoluant: nec cantant cum alijs, sed tantum eos qui cantant in choro auscultent.

175. AD hoc Azor in seq. quæst. 5. citato Nau. respondet negatiuè iuxta cap. Si quis presbiter dist. 92. & Concil. Basiliense sess. 21. & Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. de reform. ubi hæc de habentibus in Ecclesijs cathedralibus aut collegiatis dignitatem, canonicam; um, præbendam, aut portionem ita dicitur. Omnes vero diuina perse, & non per substitutos, cõpellantur obire officia: & Episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti assistere & inseruire, atque in choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis, Dei nomen reuerenter distincte deuoteque; laudare. Idem tamen author in seq. qu. 6. eos excusari existimat, quando contrarium fuerit consuetudine receptum: dum modo diuinum officium nullum detrimentum inde accipiat: ut cum non canentes suppleant suum defectum per capellanos. Qua de re latius differit Suarez in lib. 4. 12. vt & de cæteris quæ peculiariter attinet ad recitationem faciendam in choro, ab initio eiusdem libri vsque; ad cap. 16. quem possunt consulere Prælati: quibus incumbit onus prouidendi, ut omnia in choro fiant debite.

De loco requisito ad recitationem horarum canonicarum.

SECTIO VI.

DE hoc Nauar. plenius cæteris agit, in tract. De oratione cap. 5. in quo persequitur etiam modos notatu dignos, quibus contra loci sacri reuerentiam peccatur. Cum eodem vero propositiones hæc tenendæ videntur.

176. Prima est, horas canonicas publice dicendas, debere in Ecclesia dici. Hanc quoque; habet Sotus in 10. de iust. & iure quæst. 5. art. 4. in fine. Et probat tum ex Clemen. prima de celebrat. Missarum §. Ne igitur ubi horæ canonicæ in Ecclesijs psallantur: tum ex eo quod templum in hoc extracta, destinataque; sint, ut ibi horæ canonicæ celebrentur.

Secunda est, Canonicos & cæteros beneficiarios ad recitationem horarum canonicarum in choro adstrictos debere ibi eas recitare: nec à peccato excusari, si eas domi recitent; nisi iustam habeant causam absentia suæ à choro. Hæc sequitur ex præcedenti. Difficultas est autem, An peccatum quod in eo committitur sit mortale. Esse enim censuerunt Innocentius & Hostiensis teste Sylu. in verbo Hora, quæst. 2. dicto 4. Quam sententiam Sotus loco cit. improbat tanquam nimis rigidam. Nauarrus vero communiter receptam dicens in eod. cap. 5. num. 14. eam confirmat ex cap. finali dist. 92. in quo deponi à Clero iubetur Presbyter aut Diaconus, vel quilibet Clericus Ecclesie deputatus, qui ad quotidianum psallendi officium, matutinis vel vespertinis horis ad Ecclesiam non conuenit. Depositi enim, pœna est grauis, non imponenda nisi ob graue seu mortale peccatum. Verum tamen in Soti sententiam inclinans, censet cum Syluest. & Caietan. limitandum esse rigorem eiusmodi, ut locum habeat tantummodo, cum per contemptum, aut contra Prælati particulare præceptum fieret talis absentia: aut ob eam officium diuinum non diceretur in Ecclesia, aut saltem nõ diceretur cum debita solemnitate, eo quod presentia ipsius esset ad eam necessaria.

177. Extra eos casus vero, peccatum non esse plusquam veniale, licet graue, & interdum nullum: cum scilicet iusta datur causa absentia ab Ecclesia. Porro tradita propositio procedit iuxta eundem Nauarrum ibidem, non tantum quoad beneficiarios Ecclesiarum collegiarum, sed etiam quoad beneficiarios Ecclesiarum non collegiarum, quando tenentur conuenire, & simul dicere matutinum aut vespertas, vel Missam canere vel omnes aut aliquas horas recitare quia verbum, non conuenierint, vsurpatum in cit. cap. finali, no minus de talibus absentibus, quam de alijs verificatur.

Procedit quoque eadem propositio, ut quoad pœnam peccati, sic etiam quoad pœnam priuationis distributionum,

quæ sunt ipsi, qui sunt præfentes: quia cessante causa cessare debet effectus nondum productus. Vnde, *vt idem Nauarr. in sequenti numer. 20. habet*, quando aliquot dies in aliqua Ecclesia cõceduntur, vt quis nihil quotidianarum distributionum perdendo, possit abesse ab horis, & alijs diuinis officijs: id intelligendum est, cum abfuerit ex iusta & rationabili causa: non autem pro solo libito, & iniusta irrationabilique de causa. Quod probat per illam commendabilem Paludani determinationem. Quod statutum aut consuetudo, vt is, qui tali vel tali officio, vel horæ præfens fuerit, distributiones lucrificat, etiam si protinus egrediatur, & discedat: de eo intelligi debeat qui egreditur vt procuret negotia Ecclesiæ, vel agat opera aliqua sancta: non autem de eo qui egreditur vt otietur, fabuletur, aut ludat. Quodq; statutum contrarium, *nempe vt lucrificat easdem distributiones, etiam si egrediatur ex quadam causa vana nec iusta; nõ excuset coram Deo, nec in conscientia; etiam si in foro exteriori non detrahatur ei sua portio.*

Procedit denique, *ex eodem Nauarr. in seq. numer. 21. eadem propositio; quantumcunq; secundum statutum propriæ Ecclesiæ, tales causæ reputentur pro iustis, si reuera iustæ nõ sint; vt prætextus eundi ad necessaria naturæ, vel rescandi barbam vel capillos, vel excipiendi aduentantem hospitem, vel interessendi alicui actui scholastico.* Ratio est quam tangit Sotus loco cit. quod fingens absentie suæ causam, cū Ecclesiam, cuius alimentis sustentatur, defraudet seruitio quod ei debet, iniustitiam committat.

178.

Tertia propositio est. Communi iure, Clericos cum priuatim horas canonicas recitant, satisfacere Ecclesiæ præcepto, recitando vbi cunq; voluerint; dummodo locus debitam attentionem non impediat, aut cum religione, quæ diuino officio debetur, non pugnet, nec præbeat alijs offensionem. Hanc probat recepta consuetudo, qua viri etiam timorata conscientia & docti, non reformidant vbi libet officium suum dicere, nisi videant adesse periculum offensionis aliorum, aut impedimentum attente ac deuote recitandi: quale contingere potest in via, platea alijve locis publicis & prophanis, quibus sunt frequentes hominũ conuentus, clamores & strepitus forenses & prophani. Quod autem Sotus loco cit. ait recitantes extra Ecclesiam debere habere oratorium aliquod in sua domo ad id deputatum; Nauarr. De oratione cap. 21. numer. 32. ait posse quidem procedere de decencia & honestate, non autem de præcepto: quia quod nullo iure præcipitur, nõ est pro præcepto habendum: sicut nec superstitiosa adinuentione præsumendum, quod sanctorum Patrum documento sancitum non est; ex cap. Consuluit 2. quæst. 4. Illud autem nullo iure est præceptum; imo contrarium potius est plurium consuetudine receptum.

Intellige autem nullo iure communi, quia fieri interdum potest vt speciali iure, id est, particulari statuto vel consuetudine aliquorum, vel autoritate Confessarij vel voluntate fundatoris, præceptũ sit horas ipsas recitari certo loco, sicut & Missam dici, aut officium defunctorum; vel aliquem hymnum, aut responsum cantari pro viuus aut defunctis. Cui præcepto contrahentur, nec satisfacit, vt manifestum est, dicendo in alio loco: prout ex Baldi & aliorum determinatione Nauarr. tradit in præced. cap. 5. num. Indeq; infert in sequenti numer. 12. respondendum esse negatiue ad quæstionem, quæ quæritur. Vtrum Clericus studens satisfaciat suæ conscientia; in Academia in qua studet celebrando Missas, quas ratione officij aut beneficij sui obligatus est dicere in certa Ecclesia, Eremitorio, vel altari suæ patriæ. Similiter & ad eam qua quæritur, Vtrum Capitulum quod obligatur dicere responsoria Sanctorum, aut defunctorũ ante altare maius, aut in corpore Ecclesiæ, aut in tali vel tali parte claustrĩ, aut in capitulo, satisfaciat dicendo illa alibi sine iusta causa vel autoritate legitima. In exemplum autem iustæ causæ adferri possunt, scandalum, species hypocrisis, impedimentum deuotionis, aut ceremonia superflua.

Quarta propositio est. Cæteris paribus melius esse priuatim recitare horas canonicas in locis sacris, quam alibi. Hanc habet Nauarr. in eodem cap. 5. numero 4. congruenter cap. Parsimonia distin. 4. 1. & cap. Docet, De immunitate Eccles. in 6. additis rationibus D. Thomæ 2. 2. quæst. 84. art. 3. ad 2.

Tum quod ratione consecrationis loci Deus specialiter inueniet ad melius orandum. Tum quod talis locus propter mysteria & sanctitatis signa quæ in eo continentur, ad orationem excitet, iuxta illud ex Isaiã vsurpatum à Domino nostro Luca 19. Domus mea domus orationis vocabitur. Tum demum, quod per concursum plurium ibi orantiũ, oratio nostra facilius exaudiatur, dicente Domino Matth. 18. Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.]

De corporis situ, qui est modus quidem loci, superest monendum, cum recitatio fit secreto, habendam esse in eo rationem deuotionis & reuerentia diuinæ ex vna parte: & propriæ necessitatis ex altera. Cum autem sit coram alijs, seruandus est qui sit illis ædificatio, nec præbeat scandalum: atq; præstandum si quid super eo præscriptum sit in regulis, vt est de stando cum certũ quid recitatur, & de dicendo nonnulla flexis genibus & similibus. Quæ Suarez in memorato lib. 4. cap. 27. num. 2. ait non esse imposita sub rigore præcepti, secluso contemptu & scandalo.

De tempore requisito.

SECTIO VLTIMA.

DE hoc post Nauarr. in eodem tractatu de oratione cap. tertio differunt Azor in 1. parte Morla. In sit. lib. 10. capite 9. & Suar. de relig. tract. 4. lib. 4. cap. 27. à num. 3. Quæ videntur scitu necessaria de eo pro quotidiana praxi trademus aliquot propositionibus.

Prima est. Iure quidem communi singularum horarum recitationem certum determinatumque tempus requirere: attamen in vsu seruandum esse illud in quo cæcidi debent ex aliqua particulari constitutione vel consuetudine, vel ordinatione siue foundationis, siue ordinis, vel loci ad quem pertinet obligatus ad recitationem. Prior pars, *pro cuius pleniore declaratione videri possunt: qua Nauarrus habet loco citato numero 27. & aliquot sequentibus, patet ex capite 1. De celebra. Missarum, & ex Clement. 1. eod. titul. Posterior vero, quam idem habet ibidem numero 39. ex Palud. D. Anton. & Syu. probatur: quia talis determinatio, cum sit tantum iuris humani, potest per iustam constitutionem, aut consuetudinem legitime præscriptam mutari. Vnde infert ipse Nauarr. quod vbi iusta ordinatione matutinum in Ecclesia dicitur media nocte, dicentes hora quarta post mediam noctem non satisfacere suo muneris. Neque contra, si constitutum sit vt dicantur horæ quartæ matutina, satisfacere dicentes media nocte. Infert etiam, quod etiam si iuxta ius commune tenemur in Quadragesima dicere nonam hora tertia post meridiem, & post nonam vespere ante cenam, nunc tamen necessarium non esse id facere: quia in hoc consuetudo eidem iuri derogauit.*

Secunda propositio est. Statis, debitisq; temporibus recitandas esse horas singulas canonicas: non modo cum publice in Ecclesia canuntur, sed etiam cum priuatim dicuntur: siue quis solus per se, siue cum socio dicat. Hanc Nauarr. numero 45. ait esse communem sententiam canonistarum, intelligentium ante citata iura de ea quoq; recitatione, quæ sit priuatim. Nec immerito: quia in hanc pariter cadit ratio talis iussionis. Etenim horæ canonicæ, statis temporibus recitari iubentur, non tam ad consulendum commoditati recitantium, quam ad augendum cultum diuinum, & ad efficiendum frequentiore ac diuturniore, ad Deum per orationem, mentis nostræ eleuationem cum pio erga eum affectu. Hinc consequens est, quod Nauarr. infert Ecclesiasticos illos errare qui totũ officium simul, ad vespere vsq; mane recitant; integrum diem interea in otio consumpturi, nec studio, aut alteri honesto negotio vel occupationi vacaturi: aut qui iter agentes dicto modo recitant, qui recitare possent debitis horis: nempe, *vt idem inquit numero 48. sub crepusculum dicendo officium matutinum, primam vero post vnam horam: deinde tertiam post duas horas: sub meridiem autem sextam & post secundam pomeridianam, nonam: ac vespere, prope horam quartam, & demum completorium sub noctis crepusculum. Quæ distinctio accommodata est rememoratiõni mysteriorũ passionis Domini nostri: cuius*

gratia

gratiâ illam institutam esse indicant versus relati in glossâ ad cap. 1. de celebrat. Missarum.

Hæc sunt septem propter quæ psallimus horis:

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,

Prima replet spiritus, causam dat tertia mortis,

Sexta cruci necit, latuâ eius nona bipertit,

Vespera deponit, tumulo completa reponit.

Inferi alia Nauar. quæ apud ipsam videri poterunt.

Tercia propositio est. Præuenire tempus debitum recitandi horas canonicas, vel illud differre, et si peccatum est, nõ est tamen de se plusquam veniale: nec coniunctam habet obligationem horas dictas iterandi: vt nec inuersio ordinis ipsarum. Hanc esse communiter receptam, notat Sylu. in verbo hora quæst. 9. dicto 6. in fine: pro qua aliquot authores citat Suarez in eod. lib. 4. cap. 27. n. 3. Et Nauar. in eodem cap. 3. num. 59. bonam rationem illius tangit: nempe quod tempus non sit de substantia præcepti recitandi horas canonicas. Nam in cap. Dolentes de celebra. Missarum præcipitur quidem, vt obligati ad horas canonicas, dicant officiũ tam nocturnum quam diurnum: non tamen vt nocturnum de nocte, & diurnum de die dicatur; nec certas horas determinat. Accedit, quod alioqui sicut de præcepto tenemur omnes horas canonicas singulis diebus dicere, teneremur pariter certis debitis horis dicere: atq; adeo sicut communiter nullo de causa possumus horas vnius diei deferre in alium, ita nec possemus differre easdem, de vna hora in aliam. At contrarium communi consuetudine seruatur; congruenter cap. Presbyter, dist. 91. & cap. 1. de celebrat. Missarum: ponderato verbo, *uxta possibilitatem*, quod vtrobiq; habetur. Hinc in eodem n. 59. Nauar. cum D. Anton. Sylu. & Caietan. assentitur assentibus, quod dicere primam ac etiam matutinas horas post meridiem: imo & post decimam aut vndecimam à meridie, non esse peccatum mortale: dummodo omnes tales diei horæ canonicæ ante mediam noctem finiatur.

Quarta propositio est. Possit sine peccato iusta de causa, vt priuatum, sic & in Ecclesia publice recitari horas canonicas anticipata aut postposita hora canendi. Hanc Nauar. in præced. n. 55. probat; tum per memorata iura: tum per communem consuetudinem, quã ob processionem solemnem, aut insignem aliquam concionem, aut Principis aduentum, aliaue similes causas, *que maiores esse debent, cum hora ipsa diei debent publice quãcum priuatum, vt id in b. ne docet in seq. n. 72. & 73.* præueniuntur, aut differuntur horæ debite dicendi: officium diuinum, aut ipsius partem. Accedit ratio D. Thomæ in quod. 5. art. vlt. quod melius sit reddere Deo vtrumque: nimirum & debitas laudes, & alia officia honesta, quam vt vnum per aliud impediat.

Monet tamen Nauar. num. 56. talem anticipationem aut postpositionem fieri debere Superioris autoritate: Episcopi scilicet, vel Vicarii ipsius, aut capitali vel Decani in Cathedrali Ecclesia, & in alijs Ecclesijs, autoritate Abbatis, Præpositi, Prioris vel alterius Prælati, seu præfati caru. Imo & autoritate Papæ, si per modum statuti perpetui tale quid constituendum esset, vt idem Nauar. in cit. nu. 73. probat per cap. Quod super his, De maiori parte & obediencia, & per Clemen. Ne Romani, De electione. Adde eum eodem in prædicto n. 56. quod etsi consequens videatur ex allata propositione, non peccare scholasticos, prout Maior sensit, qui toto tempore ante prandium studijs vacant, & post prandium horas canonicas recitant: quia tempus illud est aptius studijs, & hoc non est incipium ad orationem: consultius tamen esse, tum ad orandum cum maiori deuotione & consolatione; tum ad tempus studij augendum per euitationem vanorum colloquiorum, aliarumq; occasionum illud male perdendi: matutinũ prima parte noctis recitare vsq; ad laudes: & primo mane has, cum prima; postea tertiam, & sextam audiendo Missam: & statim à prandio dicere nonam, & ante vespertinum studium recitare vespertas: ac post illud cõpletorium. In confirmationem Nauar. ipse adfert propriam experientiam; qua viri tantæ pietatis & eruditionis non est paruipendenda.

Quod vero contra allatam propositionem obijci potest de Eremita, cui præuenienti debitum tempus in recitatione diuini officij acerbè, postponenti vero marcidè vix ab Angelo adferbantur: & de Episcopo qui post obitum, reuela-

uit se purgatorij pœnas perpeti, e, quod consueuisset dum versaretur in aula Principis, pensum diuini officij non persoluere debito tempore: Azor ex eo soluit in 1. par. Moral. Infit. li. 10. cap. 9. qu. 3. quod neuter videatur causam iustâ anticipationis, aut dilationis habuisse, cum ille non detineretur alijs occupationibus, & iste plus quã applicaret se negotijs non necessarijs.

Quinta propositio est. Non satisfieri præcepto Ecclesiæ, si preces horaræ quæ ad certum tempus pertinet, pridie aut postridie recitentur. Hanc esse ab omnibus receptam notat Suarez in cit. cap. 27. nu. 4. Probatur vero, quia tales preces imponuntur ab Ecclesia tanquam onus diei, id est, tanquam pensum vnoquoq; die persoluum ad cultum & honorẽ, quem Deo & suis Sanctis eodem die deferendum exhibendumq; censet. Vnde sicut ieiunium pro certo die impositũ, non sufficit pridie aut postridie seruare ad satisfaciendum tali obligationi: ita nec preces horarias certo die persoluidas, sufficit alio die dicere ad satisfaciendum Ecclesiæ præcepto, de illis recitandis dato.

Ceterum ad iudicandum quid ad talem satisfactionem requiratur, atq; sufficiat, spectanda est consuetudo: quæ est legis tum optima interpret, tum etiã abrogatrix. Sic cum Ecclesiasticũ officium diei celebrioris, cõstet primis & secundis Vesperis: illæ ob receptã consuetudinem sunt dicendæ pridie eiusdẽ diei: ita vt præcepto nõ satisfaciatur, qui illas recitare distulerit post mediã noctem. Secundo, quamuis dies Ecclesiasticus cõputetur ab vna media nocte ad alteram proximẽ sequentem: vnius tamen diei officium nocturnum cum laudibus potest ratione consuetudinis recitari vespere præcedentis diei: nempe post quartã pomeridianam; idq; tam æstate quam hyeme. Ita determinant congruenter vsui communi Azor in cit. cap. 9. qu. 5. & Suarez in seq. n. 14. expendentẽ D. Thomæ de hac re sententiam in quodlib. 5. qu. vlt. vbi docet licere matutinum diei sequentis dicere de sero diei antecedentis: seu post dictas in hoc Vesperas & cõpletorium. Nihilominus damnans eos qui eiusmodi licentia vtuntur propter lasciuia: vt scilicet quietius somnolentiæ & voluptati vacent: non autem ob necessitatem literarum & honestarum occupationum. Obijcienti autem diem incipere à media nocte, D. ipse Thomas occurrit, id verum esse, quantum ad cõtractus & alia id genus: non item quantum ad Ecclesiasticũ officium, & solemnitatũ celebratas; quoniam ea ratione incipit à Vesperis. Quod responsum Nauar. in cit. cap. 3. n. 70. approbanst nquam consentaneum cap. 1. & 2. De ferijs: addit ex Caiet. diem quoad horas recitandas incipere à vespere, & durare vsq; ad mediam noctem, quæ proximẽ dabitur post sequentem vespeream.

Neque obstat quod prima, & sequentes horæ ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ, dici non possint ante mediam noctem. Nam vt bene ibidem monet Nauar. generalis consuetudo non habet vt aliter persoluantur, quam intra spatium, quod est ab vna media nocte ad alteram proximẽ sequentem. Ceterum cur inualuerit consuetudo matutinũ recitandum anticipatione temporis, ratio esse potuit, quod rigor ipsius recitandi media nocte non potu. rit moraliter seruari à tantis hominum multitudine & varietate: & consequenter periculosum fuerit tantæ difficultatis onus imponere omnibus sub mortali. Vnde permissum est in eo tempore, mutationem aliquam fieri: idq; anticipando, quia securius est: quandoquidem postponendo multi exponerentur periculo vel ipsam mittendi omnino, vel nimium postponendi: quod magis alienum est à ratione officij de nocte dicendi quam ipsum dici nocte ingruente.

Tertio quamuis iure communi singulæ horæ canonicæ distinctis à se inuicem diei partibus recitandæ sint (quod ipsarũ nomina satis indicant) tamen sine peccato fit, vt simul cum nocturnis laudes dicantur; & tertia cum prima vel cum sexta & cum hac coniungatur nona, aut dicatur cum vespere; ac cum his cõpletorium recitetur, quia cõsuetudo id obtinuit, quæ iuri derogare potest. Ita docet Azor ibi. qu. 8. volens id procedere, etiã si id faciat quis suo solo arbitratu, absque causa legitima: dummodo tamen absit cõtemptus & periculum recitandi parũ studiosè, attente, & religiose. Beneq; addens non esse parem rationem, si quis absque iusta causa totum officium diuinum simul persoluat, aut vespertas &

comple-

180.

completorium ante prandium recitet, quia id nō est in more positum. Quā de re plenius Suarez in memorato cap. 27. numero 7. 8. & 9.

Aduerte autem ex Nau. de oratione cap. 4. n. 74. & 75. nō esse ita per consuetudinem abrogatum ius cōmune de recitando statim dici partibus horas canonicas; quin liceat priuatim recitantibus illud seruare; ita vt minime peccet quis, si pro sua tantum deuotione, dicat nocturnum officium de nocte, laudes matutinas in aurora, primā in fine primae partis diei artificialis, seu spatij in quo sol est super nostrum horizontem, distincti in duodecim partes, tertiā in fine tertiae partis, sextam in fine sextae, nonam in fine nonae, vesperas appetente solis occasu: & completorium in noctis crepusculo. Quae determinatio temporis, vt ex Angelo & Sylu. idem habet in seq. num. 76. non est praecise accipienda: sed cum latitudine, quā extendatur ad vnā mediam horam antecedentem, & ad vnā mediam sequentem, vt ipsemet nu. 77. probabilius iudicat: quam quod Angelus & Sylu. significant, dicentes matutinū dicendum media nocte, posse dici in aurora ratione talis latitudinis. Ratio vero est, quod tanta sit distantia inter mediā noctem & auroram, vt irrationabile sit reputare factum in vna, quod fit in alia.

Aduerte 2. ex cod. Nau. in praeced. n. 64. post dictas vespere matutinas preces diei sequentis, licitum esse, vt diebus ieiunij facere collationem, sic alijs diebus fumere cenam: idq; non impedire quominus in eodem sequenti die possit dici Missae sacrum.

Auerte denique pro nonnulla clariore intelligentia antecedentium, differentiā esse (quod idem quoque Nauarr. notat in seq. num. 78.) inter lapsum horae debita, & diei debiti ad recitandum: quod etiam si hora labatur, duret nihilominus obligatio recitandi; neque lapsus illius, peccatum mortale pariat in recitante priuatim: Lapsus vero die ultra mediā noctem, obligatio recitandi expiret & peccatum mortale committatur transgressione praeccepti Ecclesiast. Videri, ostest Suar. in eodem cap. 27. numero 5. & 6. Dixi autem in recitante priuatim, quia ex eodem Nauarr. ibid. expirante hora recitanti publice, expirat obligatio taliter recitandi. Vnde fit, vt eidem obligationi minime satisfaciunt, qui publice matutinas horas, aut primam, tertiam, vel sextam recitant post meridiem; quas in choro ante meridiem dicere tenebantur, tam communi iure, quam generali consuetudine, recepta in sua Ecclesia.

CAP. XIII.

De causis excusantibus à recitatione horarum canonicarum.

SVMMARIVM.

- 181 Infirmus excusans à recitatione horarum canonicarum debet esse grauis.
- 182 Quid sit faciendum cum de tali grauitate dubitatur: & quod is qui non potest recitare, non teneatur audire alium recitantem.
- 183 Ad quid teneatur qui recitare potest partem officij, sed non totum: & quatenus teneatur sibi adhibere socium.
- 184 An qui impeditur horas canonicas recitare, teneatur prout potest per alias preces supplere.
- 185 De cecitate, quatenus excuset à recitatione horarum canonicarum.
- 186 De dispensatione excusante ab eadem recitatione.
- 187 De occupatione excusante à recitatione horarum canonicarum.
- 188 De excusatione eorum qui in choro vacant ministerijs alijs, à recitatione horarum canonicarum.
- 189 De excusatione non habentis Breuiarium.
- 190 De peccato illius, qui beneficium Ecclesiasticum aut sacrum ordinem suscipit, nesciens recitare Breuiarium.
- 191 Monita quaedam pro praxi quotidiana de obligatione recitandi horas canonicas.
- 192 Aetas puerilis non excusat ab eadem recitatione: quodque Episcopus non possit ob tale impedimentum ab illa dispensare.
- 193 Nec vacatio in studijs excusat ab eadem recitatione.
- 194 Aliquot mortua recitandi cum debita pietate horas canonicas.

Tales causae sunt variae: quas Nauarr. in Enchir. capit. 25. num. 100. ad quinq; reuocat: quarum quatuor Beneficario, cum caeteris qui ad eandem recitationem tenentur, sunt communes; & vna est illius propria.

Prima igitur communis, est infirmitas corporis: de qua inter caeteros late Nauarr. ipse in tractat. De oratione, capite 11. vbi num. 1. ab omnibus admissam docet, per illud in cap. Clericus victum, dist. 91. Clericus qui abiq; corpulculi sui inaequalitate vigilijs deest, stipendijs priuatus excommunicatur.

QVÆRI AVTEM POTEST PRIMO. An qualibet aegritudo talem excusationem praebat. Ad quod idem num. 2. respondet negatiue. Addens secundum Hostiensem & Innoc. ac caeteros Canonistas ad cap. 1. De celebr. Missarum, eam tantum infirmitatem excusare, ob quam aegrotanti horarum canonicarum pronuntiatio directe aut indirecte noceret notabiliter. Ratio vero ea est, quā Sotus tangit in lib. 10. De iust. & iure quaest. 5. art. 3. quod obligatio recitandi horarum canonicas sit arctissima, prout patet ex cap. Dolentes, De celebr. Missarum, descendatque à iure diuino. Vnde fit, vt non nisi ex graui causa, quisquam eorum cuius posita est, debeat ab ea liber censer: & per consequens nec excusari ex alia infirmitate, quam quae notabiliter noceat. Hincque inferit Nauarr. ibidem, fieri posse vt ob infirmitatem excusetur quis ab obligatione recitandi horas canonicas in choro, qui non excusatur ab obligatione recitandi domi: vt ille, qui quamuis alias bene valeat: sic tamen laborat ex pedibus, vt ad Ecclesiam ire nequeat. Inferit item in seq. num. 3. & 4. non excusari ab eadem obligatione aegrotum, cuius morbus, vt febris tertiana vel quartana, statim horis recurrit: ita vt ipse ante vel post eandem possit abiq; notabili nocimento, officium suum recitare. Inferri pariter potest nec excusari eum cuius morbus talis est, vt ipsum non impediat quominus ordinarias actiones capitis & linguae exercere possit, & cum amicis negotia prophana tractare, in quibus tantum est difficultatis, quantum in ipsa horarum canonicarum recitatione.

QVÆRI SECUNDO POTEST. Quid sit faciendum cum dubitatur. An infirmitas grauis sit, necne. Ad quod respondetur consulendum esse Medicum, prout tangit Sylu. in verbo Hora quaest. 4. dicto 1. ipsiusq; iudicio demorbi grauitate esse standum: dummodo, vt Nauarr. in sequenti cap. 21. numero 16. sit vir prudens ac timens Deum Ecclesiarumque praecceptis multū deferens: praesertim cum ex cap. Contraria, De cons. crar. dist. 5. contraria sint diuinae conditioni praeccepta Medicinae, quae à ieiunijs reuocant, lucubrare non sinunt, &c.

Quod autem Sotus in eodem art. 3. concedens quidem posse quem propria autoritate horas canonicas omittere, cum manifestam fuerit infirmitatem ipsius parere legitimum recitandi impedimentum; negat tamen in dubio consilium & iudicium medici sufficere, sed adhuc requiri Superioris indulgentiam: Nauarr. ibidem rejicit ex eo, quod nulli libere fere sit consuetudo, excipit ad summum Religiosus, vt super eo licentia petatur. Adde quod Medicorum sit, vt de salubribus & insalubribus cibis iudicare: ita & de morborum grauitate & leuitate. Atq; adeo sicut standum est illorum iudicio, dicentium cibum aliquem noxium esse: sic etiam dicentium morbum aliquem esse grauem: praesertim cum homines non habeant aliam regulam, qua possint in eiusmodi dubio gubernari. Quod si ipse quoque Medicus de grauitate morbi dubitaret, aut certam fidem non faceret tanquā minus peritus, aut quod videretur non satis timoratae conscientiae locus esset sententiae Soti, quā ad relaxationem propositae obligationis requirit auctoritatem Superioris: cuius est, non autem Medici, illam facere. Idem quoque notat Azor in prima par. Moral. Inst. lib. 10. cap. 13. qu. 1. & plenius Suarez in citato lib. 4. cap. 28. n. 20. & 21.

QVÆRI TERTIO POTEST. An si quatione morbi nequit officium diuinum recitare, teneatur illud audire alio recitante. Ad quod cum Innocen. & Panorm. Syluest. verbo Hora quaest. 4. dicto 2. & Nauarr. De oratione cap. 11. num. 7. respondent negatiue: & respondendū esse constanter tenere Doctores notat Azor in seq. quaest. 2. Ratio vero est, quam ex Paludano habet Nauarrus, quia Clericis, qui obligan-

obligan-

obligatur ad recitandas horas canonicas, præcipitur quidem ut eas pronunciet, non tamen ut eas ab alijs recitatas audiant: nisi quando ipsi recitant cum alijs: quia tunc tenentur audire partem ab alijs recitatum, sicut & recitare suam. Doctrinam hanc sequens Suarez in eod. cap. 28. n. 11. ad idem sequens 12. quia onus recitandi horas canonicas est personale, eum qui istam habet excusationem non recitandi, minime tenentur substituere alium qui suo nomine recitet: siq; substituat, erit quidem bonum opus, sed non erit adimpletio præcepti de recitando.

183. **QVÆRI QVARTO POTEST.** An obligatus ad recitandas horas canonicas, qui non potest totas recitare, teneatur dicere illarum partem, quam potest. Pro cuius questionis utraque parte, Nauarr. ibidem numero 9. & aliquot sequentibus rationes habet; & post ipsum Azor loco cit. qu. 4. & 5. Resolutio autem eorum est, quod si infirmus ad recitandas horas canonicas obligatus, possit maior est talis sui pensis partem persolvere; non excusetur ab illius recitatione: ut si sciat memoriter psalmos laudum, aut alterius horæ, & necesse antiphonas, vel hymnos, aut orationes. Secus vero, si possit minorem tantum partem. Pro quo facit, quod ad satisfaciendum præcepto oporteat implere totum quod præcipitur, aut saltem maiorem illius partem. Quare qui minorem tantum partem potest implere, censendus est non posse præcepto satisfacere: atque adeo per impotentiam excusari simpliciter ab illius obligatione, tanquam eâ, cui nequit satisfacere. Etenim sicut dici iure non potest, primam vel tertiam, *exempli gratia*, recitasse, qui illius unum tantum psalmum recitauerit: ita nec dici iure potest præcepto de ea recitanda satisfecisse, qui vnicum illum psalmum recitauerit: adeo ut nihil amplius recitare valens merito censeatur laborare impotentia satisfaciendi tali obligationi. Facit præterea ratio, quam præter alias habet Nauarr. numero 16. quod ad intelligendum quam partem implere teneatur is qui totum illud quod præcipitur implere non potest, attendenda sit intentio præcipientis. Probabile vero non sit, intentionis esse Ecclesiam, ut qui non potest vnam ex horis canonicis totam recitare, teneatur quamcumque modicam, quam potest partem recitare: sed tantummodo eam in qua militet eadem ratio, quæ in toto: ut censeatur militare in ea quæ arbitrio prudentis cui id statuendum relinquatur, maior pars illius esse iudicatur.

Quam quidem sententiam discutit Suarez consequenter usque ad numerum 29. ac tandem fatetur eam procedere, si comparatio fiat vniuscuiusque horæ ex canonicis, cum partibus ex quibus ipsa constat: quia vnaquæque hora præcipitur, ut est quedam actio perfecta, quæ in maiore saltem ex parte impleri oporteat ad satisfaciendum præcepto obliganti ad illam. Sin autem comparatio fiat earundem horarum, cum oratione illa cuius sunt partes eam constituentes, tanquam obiectum adæquatum vnus præcepti, quod datur ab Ecclesia de illius recitatione, secus esse sentiendum: ita ut qui potest totum integrum officium aliquo die recitare, non excusetur eo ipso à recitatione earum horarum, quas nihilominus commode recitare potest: ut si infirmitas qua detinetur facile patiarur, ut aliquas ex horis brevioribus recitet. Ratio est, quia præceptum recitandi officium diuinum sic datur est, ut non tantum eo communiter, sed etiam speciatim de singulis horis impositum sit. Quamquam ut idem monet; ubi aperte confliterit de impedimento recitandi totum: & de aliqua, aut aliquibus earundem horarum dubitetur, non est scrupulosius agendum in definienda excusatione ab earum recitatione: cum id sit nimis onerosum, & præter communem agendi consuetudinem.

QVÆRI POTEST QVINTO. An qui solus quidem ex infirmitate nequit horas canonicas recitare, sed potest eum socium, teneatur hunc sibi adhibere. Ad quod cum Nauarr. in præced. num. 13. Azor in sequent. quæst. 6. & Suarez in eodem cap. 28. n. 13. respondent teneri, si commode potest habere talem socium; nempe quia is se offert, vel eum conducere potest, habens sufficientes ad id Ecclesiasticos redditus, vel patrimonium, ad cuius titulum ordinatus est: alias vero non teneri, etiam si consulendum ei est, ut sibi ad tantum opus, socium quoad potest procuret ex eodem Nauarr. ibid. in fine num. 14.

QVÆRI POTEST SEXTO. An qui ob aliquod iustum impedimentum horas canonicas recitare non possunt, teneantur aliquid aliud quod possunt, ut officium paruum Beate Virginis, vel Rosarium, dicere; vel aliud bonum opus facere. Ad quod Azor in seq. quæst. 8. & Suarez in citato cap. nu. 29. negatiue respondent cum Sylu. in verbo Hora qu. 4. dicto 3. & Nauarro in circ. 11. nu. 19. quia nullum ius proferri potest obligans eum qui per se nequit horas canonicas recitare, ut vel recitet per alium, vel in compensationem largiatur elemosynam, vel quid aliud simile faciat; nisi quod ultra quam laici, teneatur iure diuino dicere preces aliquas indeterminatas, seu relictas determinationi Superiorum, aut viri prudentis arbitrio.

QVÆRI POTEST VLTIMO. An cæcus excusetur à recitatione horarum canonicarum. De qua re Suarez in præced. num. 14. auctores refert in utramque partem: tenentque quod ex antedictis est consequens: ipsum obligari dicere quæ scit memoriter, cum fuerit maior pars horæ; & in recitando adhibere sibi socium, quando commode potest. Cum enim cæcitas hæc ex parte non adferat impossibilitatem recitandi; nec adferat excusationem à recitatione: ut nec excusaret alia ægritudo, quæ secum pareret eandem officij recitationem. Quod vero cæcitas non excuset absentiam à choro, in eo qui obligatur adesse, ut nec furditas: idem consequenter docet num. 15. 16. & 17. Obiter his adde ex Nauarr. in citato cap. 11. num. 25. quod cæcus consultus facturus videatur, si recitet omnes partes quas potest proprii officij diei, quam totum officium alterius diei, quod forte potest memoriter totum dicere; ut possunt aliqui totum officium maius Beate Mariæ, aut officium commune Sanctorum paucis exceptis.

Sequuntur reliquæ causæ.

Secunda causa excusans à recitatione horarum canonicarum est dispensatio: quam dare, est Papæ, qui de plenitudine potestatis, supra ius dispensare potest: cap. Proposuit, De concessionibus præbendarum: non autem Episcopi, nisi ex Papæ commissione; quia contra vniuersalis Ecclesie statuta nec Episcopi nec Legati dispensant, exceptis casibus iure ipso communi permitti, aut consuetudine legitime præscripta concessis. Ratio est, quia lex Superioris per inferiorem tolli non potest ex Clemens. Ne Romani, De electione subinitium. Quæ doctrina est Nauarr. in cit. cap. 11. num. 24. & aliquot sequentibus; & quam ut communem amplectuntur locis citatis Azor quæstio. 11. & 12. ac Suarez n. 37. & sequentibus, latius eam persequens. Sufficiet autem pro praxi notasse Episcopos non posse dispensare proprie in præcepto recitandi horas canonicas: posse tamè improprie: seu, quod idem est, quando subditus ipsius Beneficiarius, aut initiatus maiori ordine dubius est, sufficiensne sit causa quam habet non recitandi, posse rationabiliter Ecclesiasticum præceptum interpretando, licentiam ei dare omittendi recitationem, perinde ac dat laborandi in die festo: aut non ieiunandi in die ieiunij, & sic de similibus.

Notasse item de Prælati Religiosorum, qui ad recitationem horarum canonicarum tenentur tantum ratione professionis religiose, dubitationem esse, An illi possint cum his dispensare in eadem recitatione. Quam dubitationem Suarez ibid. numero vltimo tractat quidem pluribus: sed totam resolutionem censet consistere in hoc, quod vnaquæque religio in tali re seruare debeat suam consuetudinem, si quæ sit immemorialis, atq; uti solùmmodo priuilegijs suis: quæ multa concedi solent Prælati religionum ad commoditatem sui regiminis.

Tertia causa (de qua alijs citatis Nauarrus in eodem cap. 11. num. 34. cum eoque recentiores, ut Aragonius & Gregorius à Valent. 2. 1. ille qu. 83. art. 12. concludit. vltima, & hic disput. 6. quæst. 1. pun. 10. versu. Circa septimum: itemque locis citatis Azor & Suarez: ille quæst. 13. & hic numer. 2. & quatuor sequentibus) est grauis aliqua occupatio repente superueniens, quæ prætermitti, aut in aliud tempus differri non potest sine scandalo aut peccato: ut v. g. si opus esset populum aut exercitum tumultuantem sedare: vel necessitas vrgeret habendi concionem, quæ absque magna populi offensione omitti non posset: vel deberet quis eo die

in pub-

184.

185.

186.

187.

in publico aliorum concursu, prælectionem habere, aut aliquam conclusionem defendere: idque debite, & cum dignitate fieri, plurimum interesset reipub. vel ipsiusmet privatae personae: neque studium ad id necessarium pateretur secum horarum canonicarum recitationem. Quod si præuisa, nec repentina esset occupatio; anticipare oporteret recitationem potius, quam differre, quia sic minus periculum erit non recitandi.

Aduerte pro praxi nonnulla quæ Suarez habet. Primum est, Obligatum ad recitationem horarum canonicarum non posse suscipere voluntarie officium, cuius executio ordinarie impediatur eandem recitationem; quia volendo illud, censetur hanc nolle; quod illicitum est, nisi interueniat Papæ dispensatio, aut urgeat necessitas aperta vitandi aliquod graue incommodum prudentis existimatione: quia ius humanum non censetur obligare cum grauatine exorbitante à recta ratione; adeo vt tali iuris præceptum, ad sui obseruationem non modo non obliget cum animæ; sed cum corporis aut rerum externarum detrimento notabili. Secundum est, Cum quisque debeat diligere proximum sicut seipsum: ob quæ in modo sua potest quis licite omittere recitationem horarum canonicarum, posse & ob similia proximi. Tertium est, Quando occupatio non est pro toto die, is qui neglexerit occupationem præuenire recitando, si cum ad eam occupatio pertinet ipsum talis negligentia, excusabitur tanquam impotens ad implendum recitandi præceptum.

188.

Porro ad hanc causam referri potest (quod ex D. Anton. sententia communiter recepta, habet Nauarr. in seq. num. 36. occupatio querendi psalmos, antiphonas, aut libros necessarios transferendi ab vna parte in aliam: aut persigendi aliquid aliud choro necessarium: vt querendi prinæ ad churificandum, ac churificandi tempore Magnificat & Benedictus, aut pulsandi organa: quod enim illis sic occupatis chorus interea recitat aut cantat, à se nec dictum, nec auditum non supplet, non videntur peccare; eo quod chorus, cuius ministerio seruiunt, tam suo, quam aliorum ministrantium nomine recitat aut cantat. Quæ tamen excusatio, vt Nauarr. addit, locum habet tantummodo cum talia agens, non est in culpa eorum in aliquo talium occupari possit: vt quia debuit prius illa præparare & negligit: quæ negligentia non debet illi prodesse.

189.

Quarta causa est, defectus Breuiarij aut alterius rei ad recitandum necessariæ, & ideo tollentis facultatem recitandi: cum ad impossibile nemo obligetur: ex regula In possibili: ff. De reg. iuris & ex regula Nemo, eodem titulo in 6. Id quod procedit, vt expressit Nauarrus in Enchir. cap. 25. num. 101. & plenius declarat Suarez in eodem cap. 28. num. 7. & 9. Siue defectus contingat alicui sua culpa: vt quia Breuiarium non comparauit sibi prout potuit: aut illud abiecit maleficiose, dummodo tamen ipsius seruo peniteat talis culpa. Siue absque sua culpa: vt quia per obliuionem domi reliquit Breuiarium ipsum, cum peregre proficisceretur, vel illud perdidit iter faciendo, nec potest aliud recuperare. Id quod ipse Suarez in eod. cap. 28. num. 10. contra Sotum sic accipit. i. n. si esse ostendit, vt carès Breuiario, si possit aliquas, aut aliquam horam pro maiori parte memoriter recitare, aut commoditate habere socij, cum quo sufficienter recitet, nõ excusari per defectum Breuiarij: quia debet quantum potest obligationi suæ satisfacere: præsertim cum præceptum illam inducens, non sit de recitando ex Breuiario, sed simpliciter de recitando. Et ita supra diximus cæcum, qui Breuiario vti nequit, tali obligationi teneri: in quantum potest satisfacere, recitando memoriter, siue per se solum, siue cum alio.

190.

His congruenter Nauarrus De orat. capit. II. numero 38. & 39. docet: eum qui nullatenus scit recitare Breuiarium, & nihilominus accipit beneficium Ecclesiasticum vel ordinem sacrum: peccare quidem tanquam suscipientem officium quo indignus est, & cuius obligationem implere non potest per infirmitatem quam nequit expellere, antequam deficiat in debito munere: at tamen excusari interea à peccato nouo, quo ad usque dixerit: dummodo quamprimum potest discere non negligat: simulque id impleat, ad quod iuxta Nauarrum in eodem cap. II. numero 19. est iure diuino obligatus; nempe ad aliquas preces inde terminatas,

quæ ad supplemum defectum recitationis sufficienter viri prudentis iudicio. Ad quod Nauarr. ipse pertinere iudicat, vt tot ei præscribantur recitanda vel iteranda (Pater & Ave, vt in Rosario) quot sufficienter ad implendum tempus quod ponetur in horis ipsis canonicis recitandis. Ratio esse potest, quod cum illa his subrogentur, consentaneum sit eis adæquari.

Bene monet autem Azor in eod. cap. 13. quest. 18. à peccato in quod dictum est incurrere eum, qui beneficium Ecclesiasticum, aut sacrum ordinem accipit, non valens recitare Breuiarium, non procedere in eo qui bona fide putat se post eam acceptio nem statim habiturum codicem pretio emptum, vel commodato acceptum, vel donatum ab aliquo, simulque bona fide credit se recitaturum oportuno tempore; quia commode poterit sibi adhibere socium à quo dirigatur & iuuetur.

Quintam causam, quæ est propria Beneficiarij (tractanda in sequente libro 30. capite 4.) Nauarr. habet in Enchir. cap. 25. numero 103. & 104. Ea autem consistit in conditionibus ab eodem ibidem expositis: nempe vt quis non alia ratione, quam beneficij, teneatur ad horas canonicas, & nullos ipse beneficij fructus capiat; siue per se siue per alium: neque capere possit, neque postea capturus sit. Suarez sub initium memorati cap. sextam causam addit obliuionem: sed ea generalis est in omni præcepto, cuius transgressionem efficit inuoluntariam, tanquam eam quæ non venerit in mentem.

Monita quedam pro praxi quotidiana de recitatione horarum canonicarum.

Primum est, ex Nauarr. De oratione cap. II. numero 22. Expectantes beneficia Ecclesiastica, antequam ei accipiant debere sibi parare Breuiaria, & notitiam ex eis dicendi horas canonicas: ne accipiendo peccent iuxta antedicta num. 190. a que possint post accepta suo muneri recitandi statim satisfacere.

Secundum est ex Azorio in cit. cap. 13. quest. 17. Cum ad subdiaconatum quis promotus, eundem teneri tantum recitare diuinum officium eiusdem diei, ab ea parte, quæ conuenit horæ in qua promotus est, vt si tunc sit tempus in quo solet in Ecclesia recitari sexta (& sic de nona aut v. speris) ab ea incipiat, ommissis si velt præcedentibus horis, quas elapso debito recitandi tempore, non tenetur supplere, quasi easdem omiserit obligatus ad recitationem illarum.

Tertium est: etatem teneram non excusare à recitatione Breuiarij. Primum enim falsum est communique sententia aduersatur, vt post Nauarrum in seq. numero 24. Azor notat in preced. quest. 12. quod Episcopus indulgens puero septimum annum egresso, vt simplex beneficium habeat, simul etiam indulgeat super horis canonicis; vt loco earum preces aliquas recitet. Et tamen in contrarium est, quod ex Concil. Trid. sess. 23. cap. 6. de reform. nullus sit capax beneficij Ecclesiastici, nisi prima tonsura initiatus aut in minoribus ordinibus constitutus (& ideo minimum sciens lege e. quod ad primam tonsuram requiritur ex eodem Concilio in preced. cap. 4.) decimum quartum annum attingerit: quæ ætas satis est robusta ad legendas horas canonicas. Deinde Episcopus in requisitis iure communi ad obtinenda beneficia, quæ sunt ætatis maturitas, grauitas morum, & literarum scientia ex cap. Cum in cunctis, De electione, dispensare non potest: sicut nec in alijs quæ sunt de eodem iure nisi id ipsum ius, aut rationabilis consuetudo præscripta id permittat: quod quidem minime contingit in re proposita.

Maior autem difficultas est, An si Papa volens relaxare iuris rigorem; puero ante debitam ætatem conferat Ecclesiasticum beneficium, censendus sit simul relaxare obligationem dicendi horas canonicas. Eam late tractat Suarez in cit. capite 28. numero 37. & duobus sequentibus. Solutio autem continetur distinctione, quam Azor habet loco citato: quæ est. Si Papa beneficium conferat ei quem scit per ætatem non posse horas canonicas recitare, vel nescire legere; ceteri debet cum eo in eadem recitatione dispensare; ne videatur animam illaqueasse beneficio suo. Si vero conferat ei quem putat esse ætate in qua & sciat legere, & possit horas canonicas recitare, dispensans cum eo in ætate, nõ est

censetur

conferendus consequenter in horarum recitatione dispensare: quoniam hæc sunt duo privilegia distincta, circa duas distinctas leges imponentes duas distinctas obligationes: neque eo ipso, quod quis soluitur ab una lege, aut ab uno vinculo, soluitur ab altero; quoniam plus est solui alicuiquam ad duas legibus & duobus vinculis: quam solui ab una lege & uno vinculo. Quare taliter dispensatus debet dare operam & diligentiam adhibere ad quamprimum discendam rationem horas canonicas recitandi, iuxta obligationem quam ad id habet: nisi adhuc a Summo Pontifice obtineat dispensationem in lege illam imponente.

193. Quartum est, de quo Nauar. in eodem cap. 11. num. 32. & 33. Beneficiarios ratione tantum beneficii sui obligatos ad recitationem horarum canonicarum, non liberari ea obligatione quod studeant constituto Vicario qui eidem beneficio deseruiat: aut quod peregrinationem suscipiant ad sancta loca, constituto similiter Vicario. Tum quia ista est communis sententia, ut post eundem Nauar. notat etiam Azor in citato cap. 13. quæst. 13. & 14. Tum quia onus recitandi horas canonicas personale esse, seu ad quod electa sit persona industria, satis indicare videntur verba sub initium Clemens. 1. De celebr. Missarum, quibus dicitur, de iis quibus incumbit onus de quo agimus: dum offerre Deo sacrificium laudis, fructum laborum suorum, in puritate conscientie & animi deuotione deberent horas canonicas dicere seu psallere, &c. Beneficiarij ergo, quibus id ipsum onus imponitur, debent illud per se ipsos sustinere. Eandem doctrinam habet Suarez in citato cap. 26. num. 12. Quod si opponas a nonnullis contrarium teneri, & in disputatione posse defendi: respondet Nauar. non ideo tamen illud esse consulendum: cum ei communis praxis repugnet, bonæ rationi innixa.

194. Quintum est, multa esse, quæ in nobis promouere debeant studium rite & cum debita pietate recitandi horas canonicas. Ac primum, quod authorem habeant Spiritum sanctum, cuius afflatus (2. Petri 1. in fine) locuti sunt Sancti Dei homines: ex quorum Sanctorum tam veteris quam noui Testamenti dictis, illæ desumptæ sunt; adeo ut verba earum sacra proferre, sit loqui sermone factorum vatum, Apostolorum, Angelorum, ac etiam Dei ipsius.

Secundo, quod consentent verbis sine erroris periculo explicantibus: tum quæ spectant ad fidei nostræ sublimissimam, Sanctissimam Trinitatis, & Incarnationis Dominicæ mysteria: tum quæ ad rectam morum informationem, æternæque salutis consecutionem: tum quæ ad actus quos erga Deum exercere debemus: adorationis, laudationis, obsecrationis, gratiarum actionis, oblationis, cum eo ordine & decoro, quod necesse est nos cum infinita illa maiestate agentes, seruare; ut acceptum sit ei nostrum obsequium, ac petitiones nostras exaudiat. Nam cum nos tanquam rustici non assueti moribus aulae celestis, quid oremus sicut oportet nesciamus; factum est infinita Dei bonitate & misericordia erga nos, ut haberemus precationum formulas dictatas à Spiritu sancto, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei; ex priori ad Corinth. cap. 2. & ideo optime nouit; quid & quomodo proponendum sit Deo, ut flecti possit. Ex qua dictatione, non autem ex doctrina recitantis, pendet vis ipsarum precationum: quia scilicet Deus in eis suum quodammodo stylum agnoscit, ad illumque afficitur: sicut faceret Princeps ad libellum supplicem eleganter & apposite conscriptum, sibi à rustico oblatum.

Tertio, quod in istiusmodi recitatione fungamur munere oratoris & legati ab Ecclesia constituti, ut communem causam agamus apud Deum; non solum hominum, sed quodammodo etiam rerum ratione carentium, apud infinitam Dei maiestatem, perennem earum fontem: ut cum illa per se gratias ei agere nequeant, agant per nos quibus seruiunt. Fungimur autem coram tota celestia iuxta illud Psal. 137. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.] ideoque nunc induendo personam totius Ecclesiæ, nunc Angelis, nunc sancti alicuius viri, interdum etiam Dei iuxta verborum quæ recitantur sensum. Quanta igitur est diuinæ erga nos misericordie dignatio,

ut non abnuat nos pro huius mundi salute imploranda admittere ad suum colloquium, & suarum laudum celebrationem. Quod à nobis quanti faciendum sit argumeto est: quod vel ab ipsa beata Virgine, sancta Ecclesia quid simile loco magni beneficii precetur dicendo: Dignare me laudare te virgo sacrata.

Quarto, quod in cap. Dolentes, De celebrat. Missarum distincte nobis in virtute sanctæ obedientiæ præcipitur ut diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum Deus dederit studiose recitemus pariter & deuote. Postremo, quod male in debiteque recitans horas canonicas, Deum fraudet debita gloria, Sanctos voluptate, & detentos in purgatorio priuet leuamento, & seipsum merito, donisque celestibus: nec tales preces impetrent à diuina maiestate publicis necessitatibus remedium: sicque sit ut Ecclesia non assequatur illud propter quod Ecclesiastici sunt in ea constituti: nempe ut gratias Deo referant de perpetuis beneficiis quæ quotidie toti cæteri fidelium confert, illiusque in hos iram propter peccata accensam, precibus mitiget.

In quem finem certos habent reditus ad sustentandam vitam: ut scilicet ab omni alia cura expediti toto animo, atque viribus totis manibus sibi demandatum exequantur. In quo qui segnes sunt, præter iniquitatem quam exercent capiendo stipendium, pro exhibitione obsequij, quod infideliter & sine fructu præstant: Deum quem populo deberent conciliare, prouocant ad indignationem. Illa enim verba quæ Dominus Matth. 15. ex Isaiâ citat, sunt indignantis. Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longe est à me. Itemque illa Amos 5. Aufer à me tumulum carminum tuorum, & cantus lyrae tuæ non audiam. In memoriam igitur sæpe reuocandum est illud Ieremiæ cap. 48. Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter.] Et certe cum fideles tanquam Ecclesiæ Catholice membra, ordinarie optent eiusdem Ecclesiæ precibus & meritis adiuuari: valde nequiter illi agunt, qui in tanta ac tam multiplici illorum calamitate & afflictione, preces quas Ecclesia ipsa pro iisdem membris suis fundendas iungit, reddunt infructuosas & diuinæ iræ prouocatiuas. Meminisse quoque oportet, quod male recitantes offendant caelestem Ierusalem, quæ est mater nostra: dum tam male exequuntur in terris, eum qui ad ipsius imitationem institutus est cultus exhibendus Deo: cui millia millium ministrant, & decies centies centena millia assistunt, Daniel 7. cum magna illa turba, quam dinumerare nemo potest ex omnibus gentibus & tribus stantes ante thronum ex Apoc. cap. 7.

CAPVT XIV.

De blasphemia laudi Dei contraria.

SUMMARIUM.

- 195 Quid sit blasphemia, tum vniuersæ, tum particulariter sumpta: qua ueritate specialiter sumpta comprehendat prolatam in Sanctos, & de prauo affectu ex quo prouenit.
- 196 Quinque diuisiones blasphemie.
- 197 Blasphemia peccatum est suo genere mortale, à quo excusatur inconsideratio.
- 198 An paruitas materiae similiter excuset.
- 199 Blasphemia peccatum suo genere mortale grauissimum.
- 200 Quædam notanda quæ à Confessorio possunt Penitenti inculcari, de blasphemia se accusanti.
- 201 Ratio consistendi peccato blasphemiae.
- 202 Quæ poenæ contra blasphemos constitutæ sint iure canonico, & quæ civili: quodque tam in hac quam in futura uita puniantur.
- 203 De maledictione creaturarum, quando sit peccatum mortale, & quando solummodo veniale.

DE blasphemia in iure canonico habetur cap. secundum De maledicis. Quæ generaliter ad eam pertinent D. Thomas persequitur 2. 2. quæst. 13. & cum eo, tum interpretes ipsius tum etiã Summularij in verbo blasphemia, ac plerique alij, inter quos

funt Couarr. ad cap. Quamuis pactum 1. part. §. 7. num. 8. & sequentibus, ac Nauarrus in Enchir. cap. 12. num. 81. aliquotque sequentibus. Sunt etiam, *præterrecentes ceteros*, Azor in 1. part. Moral. Instit. lib. 9. cap. 28. ac Suarez De religione tract. 3. lib. 1. cap. 4. & sequentibus. Thomas Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 32. Illa autem complectemur quatuor harum questionum explanatione. Quid sit blasphemia, Quotplex sit. Quale peccatum sit, & Quæ sint blasphemantis pœnæ.

QVÆSTIO I.

Quid sit blasphemia.

195. **V**niuersè sumpta blasphemia nihil est aliud, quam derogatio alicuius bonitatis excellentis. Quæ ratione comprehendit non modo conuictum iactatum in Deum: sed etiam maledictionem in homines & alias creaturas. De qua D. Thomas agit 2. 2. q. 76. & post eum Summularij in verbo. Maledictio. Sed hic particulariter sinitur tantum pro maledictione in Deum, aut in Sanctos, vel res factas prout ordinantur ad Deum: potestque definiti maledictio irreligiosa, id est, quæ fit in contumeliam Dei, & ex cordis affectu prauo; nimirum contrario illi affectui pio, quo fides in Deum fouetur. Quæ quidem definitio iudicanda est propterea ad blasphemiam in Sanctos, & res factas extendi: quod hæc (sicut & ei contraria laus Sanctorum, & rerum sacrarum) feratur, redundetve in Deum ipsum, prout satis late, *idque Scholasticæ*, tractat Suarez in citato lib. 1. cap. 5. Tradens in num. 10. tres modos quibus potest in Sanctos contumelia proferri sufficienter ad participandam malitiam blasphemiarum. Primus est, cum proferitur intendendo expresse honori Dei detrudere in Sancto suo. Secundus, cum proferitur cogitando de Sancto, tanquam Dei amico vel ministro ipsius, vel coniuncto illi aliquo alio simili vinculo. Tertius, cogitando de Sanctis, non quidem habito expresse respectu ad Deum: sed tantum cogitando de excellentia sanctitatis illorum: in qua cum fundetur respectus ad Deum, à quo habent prærogatiuam sanctitatis; fit vt cum in eos, tanquam tales contumelia proferatur, censeatur indirecte proferri in Deum, & ideo blasphemiarum peccatum committi. Quod maiore ratione, censendum est contingere duobus præcedentibus modis.

Aduerte autem prauum illum cordis affectum, cuius meminimus, contingere nõ tantum cum quis directe intendit maledicendo derogare excellentiæ diuinæ: siue de Deo aliquid negando, quod ei conueniat: siue affirmando quod ei non conueniat; siue quod pertinet ad propriam excellentiam ipsius, tribuendo alteri: sed etiam cum indirecte, nempe cum quis ea quæ diuinæ excellentiæ derogatoria sunt, dicit cum iis circumstantiis, eoque modo: vt diuinæ maiestatis & gloriæ cõtemptum indicet. Id quod tangit Gregor. à Valen. 2. 2. *dispur. 1. quæst. 13. puncto 1. notab. 2.* Pro eoque facit quod in cap. 2. De maledicis, absolute dicatur blasphemiam proferri, quando lingua contra Deum & Sanctos relaxatur. Facit & quod talia verba contineant irreligiositatis malitiam contra Deum; quæ consistens in verbis pertinet ad blasphemiam oppositam laudi Dei: quæ ei religiosus cultus ore defertur. Eodem possumus referri, quæ Suarez disputat in citato cap. 4. num. 6. & sequentibus.

QVÆSTIO II.

Quotplex sit blasphemia.

196. **Q**uinq̄ dantur blasphemiarum diuisiones. Prima est, in interiorem tantum: seu quæ aliquis sola mente affectu aliquid contra Deum: & in exteriorem tantum: quæ licet quis secus mente sentiat, voce tamen vel scripto profert aliquid contra Deum: ac in eam quæ utroque modo fit. Aduerte autem, quod blasphemia dicitur in verbo consistere, sicut ei opposita Dei laus) *de qua in Esai. 33. Semper laus eius in ore meo*) ita intelligendum esse de verbo prolato, vt ad scriptum quoque extendatur, prout satis intelligitur ex illis verbis 2. Paralip. 32. Epistolæ quoque scripsit

(de Sennacherib rege Assyriorum loquitur) plenas blasphemiarum in Dominum Deum Israel: & locutus est aduersum eum.] De qua re Suarez in præcedenti num. 3. & duobus sequen.

Secunda diuisio est, in eam quæ fit per modum enuntiantis: vt illa Caim Genes. 4. Maior est iniquitas mea quam vt veniam merear] & illa dicentium Exodi 32. Isti sunt dii tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti.] Itemque illa negantium Dei prouidentiam Iob. 22. Nubes latibulum eius, nec nostra considerat.] Deinde in eam quæ fit per modum detestantis, vt illa Marci 2. Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? & illa Matth. 26. Blasphemauit. Præterea in eam, quæ fit per modum irridentis, vt illa Matth. 27. Vah qui destruis templum Dei, &c, Postremo in eam quæ fit per modum dubitantis: vt cum Psalm. 77. male Iudæi loquuti sunt de Deo dicentes, Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?]

Tertia diuisio est, in expressam, quæ nimirum expresse de Deo malum affirmatur vel bonum negatur; vt quando dicitur esse causa peccati, vel acceptor esse personarum, vel iniustus: & in tacitam, quæ non quidem expresse malum affirmatur de Deo; tamen implicite Deo malum tribuitur, vt cum Caluianij dicunt corpus Christi non esse in pluribus locis: implicite enim, & consequenter dicunt, legibus naturæ limitatam esse Dei potentiam. Item cum Vbiquetarij dicunt corpus Christi esse vbique: dicunt enim implicite & consequenter, non esse creaturam. Ad quem blasphemiarum modum reduci possunt illa nonnullorum impiorum militum. In despectum Dei. Renego Deum: quibus implicite significatur Deus impotens & contemptibilis.

Quarta est, in simplicem & in coniunctam cum hæresi: illa est, quæ nec formaliter nec virtute continet falsitatem contra fidei veritatem: vt illa In despectum Dei, quæ tantum significatur voluntas facienti aliquid etiam displicet Deo. Coniuncta vero cum hæresi est, quæ falsitatem contra fidem formaliter, aut virtute continet: affirmando scilicet, aut negando aliquid de Deo contra id quod fides de eo docet: aut tribuendo creaturæ aliquid, quod fides docet conuenire soli Deo: aut an ei conueniat, dubitationem offendendo: vt si dicat quis, estne Deus iustus tot malis me affligens: De qua diuisione plura Suarez in eodem cap. 5. num. 7. & 8.

Quinta est, in eam quæ falsum continet, seu quæ quis tribuit Deo quod Deo non conuenit: cuius exempla habentur ex antedictis: & in eam quæ continet quidem verbum sed per modum contumeliæ: cuiusmodi fuit illa paganorum: Egregius Deus Christianorum natus ex paupere muliere, & in cruce mortuus: & illa Iuliani Apostata, Vicisti Galilææ. Cuius generis etiam censeferi possunt illæ, quæ in ore multorum versantur Per corpus Dei: Per sanguinem Dei: Per caput Dei: Per venter Dei: & aliz id generis: si quidem proferantur per contumeliam, contemptum ve diuinæ maiestatis: quasi Deus talia habens (pro ut habet Verbum Dei caro factum) despicibilis sit: alioqui enim non blasphemiarum, sed, sicut notat Caietanus & Armilla in verbo blasphemiarum, & Nauar. in Enchir. cap. 12. nu. 85. iuramentorum tantum, aut periorum rationem habet. Ratio est, quod post verbum carnem factum, nihil per eas Deo attribuitur, quod illi non conueniat: nisi ad naturam diuinam talia præcise referrentur: quæ ratione continerent blasphemiam coniunctam cum hæresi Anthropomorphitarum: aut nisi ad eas partes descenderetur, quas nominare puderet: quia non nisi irreligiose, & cum Christi contemptu, vsurpari possunt iurando. De qua re quid Suarez sentiat, videri potest apud ipsum in seq. cap. 6. num. 11.

QVÆSTIO III.

Quale peccatum sit blasphemia.

197. **O**mniū consensu, vt in memorato cap. 6. num. 1. Suarez attingit, blasphemia in Deum vel Sanctos, resque sacras semper est peccatum mortale: vt pote quo grauis iniuria Deo ipsi aperte infertur: ponendo nimirum vel errorem in diuino intellectu, vel malitiam in diuina voluntate,

vel na-

vel naturalem defectum in diuina essentia. Atramen ob inconsiderationem, etiamsi natam ex causa iniusta aut ex occupatione circa aliquid illicitum, *prout tangit Nauar. in citato cap. 12. n. 84.* non est plusquam veniale: sicut de periurio non nullisq; aliis iam alias monuimus: quia tunc deficit iudicij ac libertatis plenitudo, necessaria ad mortale.

Vbi aduerte ex D. Thoma in *cit. art. 2. ad 3.* talem inconsiderationem in hoc consistere, quod quis non aduertat illud quod dicit, blasphemum esse. Quod potest duobus modis contingere, vt Suarez loco citato bene notat. Prior est, cum quis ex subita passione prius protulit verbum, quam aduertit ad eius significationem, secundum quam continet blasphemiam. Quo casu blasphemiam non profert voluntarie, & formaliter: sed solum materialiter: id eo que excusatur à culpa, saltem graui. Posterior est, quo blasphemare contingit ex praua consuetudine: quæ quâuis nullatenus excuset si voluntaria sit: tamen si in actu ipso tollat reuera aduertentiam rationis, à mortali excusatur: perinde ac si passione pleni rationis usum impediens perturbatus, talia verba, pferret. Quod si quis blasphemiam profert ad eam aduertat, considerata significatione verborum, peccat mortaliter: etiamsi ex subito iræ motu illa proferat: perinde ac si qui ex eodem motu occidit scidentem prope se, aduertens quod sit homo, quem occidit. Id quod D. Thomas quoque expressit.

198. An autem ob paruitatem materiæ eadem excusatio cõtingat, Dominicus Bannes ad citatum artic. 2. recte declarare videtur, inquit: Blasphemiam in Deum aut in Sanctos & in res sacras, quatenus ea participes sunt diuinæ sanctitatis; nunquam esse peccatum veniale ratione materiæ; cum sit grauius periurio (cui nihil tale vnquam contingere superius num. 79. ostendimus) blasphemiam vero in Sanctos vt homines sunt, censendam esse venialem ex materiæ leuitate: quia cum sanctitas in ordine ad Sanctos sic spectata: habeat se tantummodo per accidens, de contumelia facta Sanctis sub ea ratione, iudicandum est perinde ac de facta hominibus non sanctis.

199. Iam vero blasphemiam peccatum esse mortale grauiusimum, patet ex sacris literis, præsertim ex Leuitico cap. 24. & ex Isaia cap. 37. & ex 4. Regum cap. 19. per seueritatem pænæ qua punitur. Imo peccatum esse maximum D. Thomas contendit 2. 2. quæst. 13. art. 3. Quod qua ratione accipiendum sit, explicat ibidem Dominicus Bannes, tractatque Suarez in citato cap. 6. num. 7. & aliquot sequentibus plenius pro scholastico instituto. Sed ad nostrum sufficiet, monere quod licet possit dici peccatum grauius cæteris, non tamen absolute: quia excipienda sunt peccata contra fidem, vt hæresis; & contra spem, vt desperation; ac contra charitatem, vt odium Dei. Nam quo excellentiores sunt virtutes, eo peccata contra illas commissa, deteriora sunt genere suo. Virtutes autem Theologicæ, quales sunt fides, spes, & charitas, sunt præstantiores moralibus: de quarum numero est religio, contra quam peccatur blasphemando. Non erit vero abs re quædam notare inculcanda pœnitenti ad deterrendum ipsum à tanto scelere.

200. Primum est, blasphemum posse eo nomine hæretico peiorem censer, quod ipse ea quæ scit & credit esse mala, ac Deo indigna, ipsi attribuat ex peruerso in eum affectu. Hæreticus vero non nisi ea quæ errans credit, Deo attribuat. Item esse peiorem homicida: vt D. Thomas *ibid. ad 1.* ex eo probat; quod blasphemus intendat inferre nocuumentum honori diuino, qui præponderat cuiusq; bono proximi. Itemq; peiorem esse periuro, vt D. ipse Thomas *ad huc ibidem, ad 2.* probat, quia qui peierat non dicit aut sentit aliquid falsum de Deo, sicut blasphemus, sed solum adhibet Deum in testem falsitatis, non quasi existimans ipsum esse testem falsum: sed quasi sperans quod non sit de veritate rei de qua agitur, testificaturus per aliquod euidentis signum. Quibus accedit ad eiusdem sceleris grauitatem indicandam, quod ex cap. 12. Matth. Spiritus blasphemix irremissibilis sit; non quod blasphemia absolute remitti non possit; sed quod pauci ex ea perducantur ad contritum & humiliatum; sine quo non remittitur. Vide D. Thomam & ipsius interpretes in seq. quæst. 14. art. 3.

Valerij Par. III. Tom. 2.

Secundum est, blasphemiam ipsam in praxi, multorum aliorum peccatorum malitiam habere coniunctam; & præsertim eorum quorum iam meminimus: puta infidelitatis, cum blasphemus credit verum esse quod falso tribuit Deo: & desperationis ac odii Dei, cum ex eis erumpit quis in verba blasphema. Itemque periurij: vt cum istud per exaggerationem redundat in blasphemiam, vt cum dicitur alteri: Iuro tibi id tam verum esse quam verum est Deum existere.

Tertium notandum, ac pœnitenti inculcandum, est: blasphemare proprium esse dæmonum, & cæterorum damnatorum in inferno: sicut Sanctorum est laudare Deum in celo: ita vt blasphemia, & laus Dei merito censeantur in terris discernere inter filios Dei, & filios diaboli. Supra quam dici potest abominabilis est blasphemia in ore hominis Christiani: cuius audiendæ Iudæi tam impatientes fuerunt, vt si non possent eam impedire; in derestationem vestimenta sua lacerarent, aut seque suas obturarent vt patet ex 4. Regum cap. 19. ex cap. 37. Isaia, ex cap. 26. D. Matth. & cap. 14. Actorum: eamque tam graue scelus esse Nabuchodonosor rex Ethnicus existimauit, vt decreto sanxerit illam vsurpantem esse de medio tollendum, ac domum illius vastandam: vt pudere nos debeat, qui non vt veri & germani filij Dei, sed vt spurij & nothi, in iniurijs nostris impatientissimi, & in Dei iniurijs patientissimi inuenimur; negligentes corrigere blasphemantes, quâdo iuxta regulas Christianæ charitatis ac fraternæ correctionis, præscriptumq; prudentiæ ac discretionis, id possumus: qui ne quidem canem nostrum ab aliquo percuti patienter, æquanimiterque ferremus.

201. Cæterum quamuis teneri possit cum Caiet. 2. 2. quæst. 13. art. 1. & in verbo blasphemia, omnes blasphemias malitiam habere vnus speciei, sicut habent omnia periuria, & omnes hæreses: quia tamen in indiuiduo talis malitia ex circumstantiis incrementum capere potest, etiam in infinitum, non modo mutando speciem sed etiam intra eandem: sic faciendâ est confessio de illa, vt simul exprimantur circumstantiæ quibus aggravatur in infinitum, quantumcumq; non mutent speciem: quandoquidem earum quoque notitia necessaria est, vt Confessarius sufficienter cognoscat statum sibi confitentis. Sic quia quo maius est malum, quod affirmatur de Deo, aut maius bonum quod negatur de eo blasphemando, maior est blasphemia: aperiendum est tunc tale incrementum, quando Confessarius non intelligeret alioqui plene statum confitentis. Quam ob causam declarandum est, an prolata sit in Deum proxime, an in Christum, vt hominem; an in beatissimam Virginem, an in alios Sanctos: præsertim cum blasphemia sit eo grauior, quo dignior est persona quæ blasphematur: atq; blasphemia in Sanctos iniuriosa sit, non modo Deo sed etiam Sanctis ipsis: quod est, blasphemiam in Deum, coniunctam esse maledictioni creaturæ, dignissimæ honore diuino, hyperdulix aut dulix.

QVÆSTIO IV.

Quenam sint pœnæ blasphemantis.

202. Ad hanc respondetur in iure canonico aduersus blasphemos plures pœnas esse constitutas. Nam ex 22. q. 1. cap. Si quis Clericus: blasphemus iubetur deponi, & laicus anathematizari; & ex cap. 2. De maledicis, blasphemus debuit agere pœnitentiam per septem dies dominicas: ac in Concil. Lateran. sess. 9. sub Leone 10. statuuntur graues pœnæ in blasphemantes. Quæ tamen non habent locum in foro conscientix, sed tantum in externo: in quo necesse vsu receptas, notat Fumus in Armilla, verbo blasphemia, num. 5. Quod ex eodem referens Suarez in citato lib. 1. cap. 7. nu. 2. in seq. n. 3. idem tradit de nouis constitutionibus Iulij tertij, & Pij quinti contra blasphemos.

Iure autem ciuili blasphemantes plectuntur capite, vt habetur ex Authentica, Vt non luxurientur contra naturam §. Omnibus hominibus Collat. 6. De qua re, quæ non est institui nostri propria, differentes authores citat Suarez in fine memorati cap. 7. Adde quod ipsi etiam Turcæ alioqui impij, dicantur grauisime punire blasphemantes

Deum, Christum, & B. Virginem. Certe ut cetera omittam D. Paulus in priore ad Timoth. cap. 1. Hymenæum & Alexandrum blasphemos, docet tradendos Sathanæ. Deus quoque ipsemet punit blasphemos, non solum pœna æterna in inferno, verum etiam temporali in hoc mundo: ut vel sic incipiant prægustare supplicia quibus sunt destinati. Qua de re extat notabile exemplum apud D. Gregor. lib. 4. dialog. cap. 28. de puero quinquenni blasphemio, à dæmone extincto in sinu patris. Extant & alia duo apud D. Bernardum in vita S. Malachie.

Ceterum licet gravissimum sit blasphemie peccatum: tamen absolutio illius non est referuata de iure communi, ut Suarez quoque obseruat in citat. nu. 2. De iure vero speciali, vel de particulari consuetudine vel statuto Synodali, referuata est in nonnullis locis.

203.

Restat monendum antequam finem huic capiti imponamus, ad blasphemiam pertinere: ideò, peccatum esse mortale suo genere, ut Deo, & Sanctis maledicere; sic & creaturæ cuiuscumque, siue rationali, siue irrationali ut creatura Dei est, prout notat Caietan. in summula verbo Maledictio. Vbi etiam habet maledicere creaturæ secundum se, & non in ordine ad Deum: si quidem creatura sit rationalis, puta homo, peccatum esse mortale, si maledictio seu imprecatio mali, sic fiat ut deliberata voluntate desideretur idem malum ei euenire, ipsumque sit graue, ut mors, infamia, damnium rerum, infirmitas, exilium: quia tale desiderium repugnat notabiliter charitati debitæ proximo. Quod tamen iustificari potest, ut idem addit, si talia desiderantur proximo ut iusticia Dei aut reipub. suum locum habeat: quia lætabitur iustus cum viderit vindictam: vel ut ipse ea ratione correptus, reducatur ad sanam mentem: aut saltem reuocetur ab oppressione bonorum. Excusari quoque potest à mortali ex paruitate materiæ, seu quod leue sit malum quod desideratur.

Quod si creatura cui maledicitur sit irrationalis: distinctio vtendum est ex eodem ibidem. Tribus enim modis fieri potest maledictio creaturæ irrationalium in se: primo, quatenus sunt alicuius hominis, quem is qui maledicit odio prosequitur: in eoq; casu peccatum est mortale maledicere: nisi indeliberatio vel materiæ leuitas excuset. Nam id quoque est contra charitatem proximo debitam. Secundo, fieri potest ut eadem res maledicantur simpliciter, in seque spectatæ, vel quatenus ipsa nocent, vel non obtemperant nobis: ut cum rustici maledicunt suis iumentis: tuncque maledictio peccatum est solum veniale. Quod quidem à Caiet. ipso dictum, approbat. Nauar. in Ench. cap. 12. num. 86. Ratioque est, quia tunc censetur tantummodo verbum otiosum & vanum. Postremo fieri potest ut iisdem rebus maledicatur, prout nobis aliquod spiritale nocumentum adferunt, saltem per accidens; quo modo Iob, vt in cap. 3. libri ipsius refertur, dei natiuitatis suæ maledixit: propter peccatum scilicet originale, & alia incommoda inde secuta.

TRACTATUS III.

De voto.



E hac materia tractatur in iure canonico, 17. & 27. vtrobiq; quæst. 1. & in aliis eiusdem iuris partibus, titulo De voto & voti redemptione. Aguntq; Theologi tum cum Magistro in lib. 2. sentent. distinct. 38. tum cum D. Thoma 2. 2. q. 88. & Summularij in Verbo votum, multiq; alij quorum in sequentibus fiet mentio cum res exegerit. Late autè inter ceteros eam persequatur Nauar. in Enchir. cap. 12. à n. 24. ad 81. & in consilijs, tit. De voto & voti redemptione: Sotus in toto lib. 7. De iust. & iure Azor in 1. parte Moral. Institutionum lib. 11. cap. 12. & sequentibus. Latissime omnium Suarez in opere de religione tractatu sexto sex libris prolixis distincto: apud què & apud Thomam Sanchez in opere Morali lib. 4. complectente 56. capita, relinquemus multa, præsertim quæ speculationis scholasticæ fuerint, videnda ab eo cui libuerit: contenti confide-

ratione eorum de quibus oportet instructum esse Confessarium ad iudicandum de peccatis, quæ contra voti sanctitatem & obligationem committi possunt. Considerabimus ergo primo, voti definitionem. Secundo, diuisionem. Tertio, peccatum quod committitur illius violatione. Quarto materiam, seu id de quo fieri debet votum. Quinto, spectantia ad votum ex parte vouentis. Sexto, impedimenta, quæ cum occurrunt circa votorum executionem, ab ea excusant. Septimo, voti irriuationem. Octauo, eiusdem dispensationem, & nono, commutationem.

CAPVT XV.

De definitione voti.

SVMMARIVM.

- 204. Definitio voti; & quæ promissio ad illius naturam spectet.
- 205. Debet esse deliberata.
- 206. Debet esse cum proposito promittendi seque obligandi.
- 207. Quatenus requiratur vt sit cum proposito implendi promissum.
- 208. Quod propositum absolutum facienti alicui in honorem Dei, non sufficiat ad votum nisi firmetur promissione.
- 209. Notanda, quibus solus possunt, quæ obiciuntur in contrarium.
- 210. Qui solum proposuit aliquid facere in Dei honorem, quatenus possit sententiam mutare sine peccato.
- 211. Ad voti essentiam non est necessarium, vt promissio sit cum traditione.
- 212. Quod soli Deo fiat votum.
- 213. Votens Sanctis, quomodo voueat Deo.
- 214. Quomodo accipiendum sit votum fieri de bono.



ARTIS voti definitiones referuntur à Palud. in 4. distinct. 38. q. 1. & à Syluest. in verbo Votum 1. in principio. Inter ceteras autem placet illa Caiet. verbo Votum in principio; quod sit promissio facta Deo de bono: Promissionem autem intellige, non modo eam quæ fit cum stipulatione, hoc est, præmissa interrogazione, & secuta responsione, vt cum dicitur alicui, Promittis hoc: & ille affirmat, sed etiam quæ nude fit: quantumvis non sit cum fidei interpositione: dicendo scilicet, in bona fide promissum seruabo: nec iuramento firmata sit, prout notat Richar. in 4. distinct. 38. art. 3. q. 3. Adde sufficere etiam pure mentalem ex D. Thoma 2. 2. q. 88. art. 1. Palud. in citata quæst. 1. distinct. 3. in fine. D. Anton. 2. partit. 1. cap. 2. in principio, Nauar. in memorato nu. 24. & Soto lib. 7. De iust. & iure quæst. 1. art. 2. Ratioq; est, quia cum votum fiat Deo, qui intuetur & scrutatur corda 1. Reg. 16. ver. 7. & Plal. 7. ver. 10. nihil refert verbisne, an sola mentis cogitatione promissio fiat. Quanquam, vt ibidem D. Thomas annotat, & post eum Sotus, ad expressam voti firmitatem, adiungi promissioni nonnunquam solent; tum verba quibus excitemur ad mentem eleuandam in Deum: tum aliorum testimonia: vt non solum Dei metus, verum etiam humanus pudor nos firmiores reddat ad voti obseruationem. Imo interdum addi solet scriptura, iuxta cap. Omnes feminae 27. quæst. 1.

Adde vltimus ad votum sufficere posse implicitam promissionem: quæ censetur fieri, dum id agitur, in quo illa continetur inclusa. Exemplum dari potest de recipiente Ordinem sacrum in Ecclesia Latina. Cum enim ex eiusdem Ecclesiæ institutione, Ordini sacro, solemne votum castitatis sit annexum ordinatus, etiamsi nõ fecerit expressam promissionem, adstringitur voto castitatis, eo ipso quod sacrum Ordinem suscepit secundum Latinæ Ecclesiæ ritum. Talem vero eiusdem Ecclesiæ institutionem aduersus nostri temporis hæreticos eam improbantem, bene propugnata qui vult, videre potest apud Bellarminum in lib. 1. De membris Ecclesiæ militantis cap. 18. & quatuor sequentibus.

Ceterum promissio ad voti essentiam spectans, debet esse plene deliberata, seu facta cum plena rationis aduertentia, ad id quod promittitur. Circa quod aduertendum est, quod Lellius De iust. & iure lib. 3. cap. 40. num. 2. aliquot citatis, notat: Doctores communiter id ita accipere,

ut velint ad votum obligatorium requiri & sufficere (de quo late disserit Suarez in tract. 6. De relig. lib. 1. cap. 7.) ut ipsum sit factum cum eo rationis iudicio, quod ad peccatum mortale committendum requiritur & sufficit: quia consentaneum est deliberationem quae sufficit ad obligandum se diabolo, sufficere posse ad obligandum se Deo: Quae vero deliberatio censenda sit sufficiens ad peccatum mortale, intelligendum est ex dictis in praecedenti lib. II. cap. 4. norab. 3. & lib. 15. cap. item 4. non procul ab initio. Accedit quod votum sit onus quod quis sibi sponte imponit: nec quisquam censendus sit onus sibi sponte imponere, nisi plene advertat quid agat, quidque illud sit quod capeffit, & quo vinculo se adstringat capeffendo:

207. Praeterea debet dicta promissio esse cum proposito promittendi: quia nisi ipsa ex tali proposito procedat, votum (vt expressit Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 38.) erit tantummodo fictum & praesumptum; perinde acque donatio non procedens ex proposito donandi, prout censetur facta cum proposito minime alienandi a se rem donatam. Quia quando actui apponitur expresse aliqua conditio contra ipsius substantiam, destruitur; efficiturque irritus per talem resistenciam expressam. Sic igitur vouens habendo propositum non vouendi, tantum fingit votum externa specie verborum: quandoquidem dicens voueo vel promitto, mentitur: vt pote qui loquitur contra mentem, qua interius contradicit. Adde etiam de causa praedictam promissionem debere esse cum proposito se obligandi: quod si excludatur per expressam intentionem contrariam non obligandi se, nulla erit voti obligatio. Hoc, pro eo aliquot authoribus citatis, aduersus Sorum Lessius propugnat in seq. num. 12. 13. & 14. Res autem videtur satis clara: quia lex non obligat si feratur cum expressa intentione non obligandi: votum vero lex quaedam est, quam vouens imponit sibi: ideoque non obligat si is intendit non obligare se: cum actus agentium ex libera voluntate, non operentur ultra intentionem ipsorum.

Debet demum eadem promissio esse cum proposito implendi promissum: quia sine eo vouere, potius est Deo illud, quam promittere: perinde ac si quis homini aliquid promitteret addendo se non habere animum implendi promissum. Vbi aduerte, nihilominus obligationem esse seruandi votum, sicut & iuramentum factum animo iurandi & se obligandi; etiam si iurando habuerit animum non implendi illud. Ratio est: quod non sit de essentia promissionis, vt habeas animum praestandi rem promissam: sed solum vt habeas animum conferendi ius aliquod ad eam exigendam. Plenius de his voti conditionibus Suarez in cit. tract. lib. 1. cap. 3. & 4. disserit quidem: sed haec ad nostrum institutum sufficiunt; additis quae in seq. cap. 19. dicentur de nonnullarum defectu, reddente votum ipsum inualidum.

208. Porro ex proposita particula primae definitionis voti difficultas oritur: Vtrum propositum absolutum faciendi aliquid ad honorem Dei, absque vlla promissione, sufficiat ad votum. Cuius partem affirmantem secuti sunt antiquiores canonistae, quorum ex Panormit. meminit Azor in memorato cap. 12. q. 5. Negantem vero sequitur, Theologorum communem esse annotans, aliquot in eam citat. quos etiam refert Suarez in praeced. cap. 2. in quo late eandem partem propugnat: quam cum Theologis sequuntur tum Sumularij, vt Angelus & Sylu. in verbo Votum I. ille quaest. 7. & hic quaest. 2. atque alij: tum canonistae recentiores vt Couar. ad cap. Quamuis pactum I. parte §. 3. num. 12. in fine, & Nauar. in Enchir. cap. 12. n. 26. secuti Panormit. ad cap. Literaturam, De voto & voti redemptione. Ex quo capit. eadem pars efficaciter probatur per illud, quod in eo habetur: illum qui ultra propositum vitae mutandae non est progressus in voto, non esse iudicandum transgressionem, si non impleat quod proposuit. Inde enim patet, quod proponere nullam ex se inducat obligationem. Et ita, vt idem Panormit. ibid. habet, ex eo, quod quis animo proposuerit dare aliquid Deo vel homini, censendus non est contraxisse obligationem exequendi id ipsum quod proposuit: alioqui pene omnes pij scholastici obligarentur ad ingressum religionis, quem sibi proponunt dum mundi

miserias considerant & sentiunt. Quod dici non potest quia Conc. Trid. sess. 25. cap. 15. & 16. De regul. concedit Nouitiis annum probationis; totoque eo tempore vult illos manere liberos ad egredendum; si iudicauerint institutum quod suscipiunt sibi non conuenire. Accedit quod votum importet obligationem sui erga illum cui nuncupatur. At talis obligatio non oritur ex solo proposito, sed oportet ad ipsum accedere promissionem; sine qua illud non includit intentionem se obligandi: ideo enim qui proposuit aliquid dare alicui, nisi promiserit non existimat se obstrictum ad dandum, si noluerit. Ad haec faciunt verba Deut. 23. Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, si nolueris polliceri, abique peccato eris.

209. Solutionem autem eorum, quae pro canonistis adferri possunt late persequitur Suarez in eod. cap. 2. Reducitur vero ad ea, quae Azor sub fine memoratae quaestiones quinta breuiter tangit. Primum est: cum iura testantur proposito quempiam obligari, id intelligendum esse de proposito firmato promissione, aut intentione se obligandi, prout locis citatis notant Panorm. Sylu. Nauar. & Couar. Et confirmatur quia fatendum alioqui esset iura iuribus contraria esse. Secundum est: si quis, etiam deliberato proposito, decernat aliquid facere, idque verbo enuntiet, non esse eo ipso mendacij aut contrae alicuius obligationis violatorem: si id quod proposuit & dixit, non faciat: supposito quod tunc cum proponeret ac diceret, habuerit voluntatem faciendi: nisi contingat, vt interdum in contractibus, verbum ipsum faciam, aut equitalens, vsurpari, non tantum ad significandum, mihi animus est facere: sed etiam, promitto me facturum. Tertium est: iura cum indicant eum qui animo deliberato firmiter proponit aliquid facere ad Dei honorem, obligari propositum adimplere, nisi praesumptione fundata in eo quod contingit plurimum: nimirum vt tale propositum comitem habeat promissionem, aut intentionem obligandi se. Vnde ea quae talia iura statuunt (ne iura iuribus contraria censeantur) possunt fictione iuris censei constare: neque obstat, quin si de veritate probabiliter constiterit, hoc est, nullam interuenisse promissionem, aut intentionem se obligandi, teneri possit nullam tali proposito adiunctam esse obligationem ipsum adimplendi.

210. Iam vero doctrinae propositae congruenter asserere licet, non peccare mortaliter, imo neque venialiter ex Nauar. in eod. num. 26. eum qui sine vlla promissione, animo se obligandi proponit ieiunare, vel aliquot preces recitare, vel religionem intrare, aut aliud bonum facere: hocque quantum tempore tale propositum fuerit continuatum, vt habet supplementum Gabriellis in 4. dist. 38. q. 1. litera C. Item quantumcumque fuerit verbis expressum, nisi id fiat ad propositum ipsum promissione firmandum. Nam iuxta ante tradita: ac ea quae Sorus habet lib. 7. de iust. & iure quaest. 1. art. 2. sub fine, verba exprimentia simpliciter voluntatis propositum, declarant tantum illud, non autem aliquam voluntatem obligandi se. Vnde sequitur dispensationes quas in tali casu D. Anton. 2. part. tit. II. cap. 2. sub initium tangit petendas, non esse necessarias, nisi ad scrupulosorum animos tranquillandos.

211. Oritur adhuc ex eadem prima particula difficultas altera, An ad rationem voti sufficere possit promissio sine traditione rei promissae. Eam in citato lib. I. cap. 14. late persequitur Suarez pro scholastico suo instituto. Vna autem illa ratio pro parte affirmante nobis ad nostrum institutum sufficere potest: quod verum sit votum factum de actione: vt de ingrediendo religionem, & de suscipiendo peregrinationem, & deque similibus: quae cum nondum sint, vt pote futurae, non traduntur vouendo.

212. Per sequentem definitionis particulam, facta Deo, separatur votum a simplici promissione, ac significatur votum soli Deo fieri, ad Deumque principaliter referri, prout expressit D. Thomas 2. 2. quaest. 88. art. 5. ad 3. & post eum Palud. in 4. distincti. 38. quaest. 1. conclus. prima deducta ex tertia definitione. Probatur autem: quia religio respicit Deum, votum autem actus est religionis, ex eodem D. Thoma in corpore citati art. 5. & in seq. 6. Quod tractat Sorus in sequenti quaest. 2. art. 3. Vbi & annotat id ipsum habere locum, non

solum quando voti materia spectat ad religionem; vt quado votum sit de fundendis precibus, aut de sacrificando: sed etiam quando ea pertinet ad alias virtutes: vt ad charitatem, aut ad abstinendam: quia vouere aliquid cuiusmodi, non est actus elicitus ab alia virtute, quam a religione, iuxta communem sententiam, vt meminit Suarez in citato lib. 1. cap. 15. in quo late differit de eadem re.

213. Ne tamen hinc colligas non esse vera vota, quae sunt Sanctis: quoniam recte dici potest, talia vota fieri Deo, quatenus ipse est in Sanctis, & ad ipsius honorem pertinent obsequia, quae Sanctis ipsis deferuntur, tanquam iis qui sunt per ipsum sancti, & in quibus honoratur pie, sicut & laudatur, iuxta illud Psal. vltimi, Laudate Dominum in Sanctis eius. De qua re Caietanus ad citatum D. Thomae articulum 5. versu, In responsione ad 3. & Sotus in fine cit. art. tertij, ac latius Suarez in sequenti cap. 16. Declaratur autem exemplo iuramentorum factorum per creaturas. Ea enim de felicitate vereque iuramenta censenda sunt, per tradita in appendice ad praecedens cap. 2. si intelligantur fieri resp. ad verum Deum; sicut intelliguntur dum fiunt a Christianis. Pari ergo ratione licita vereque vota esse possunt ea, quibus Deo vouetur in suis Sanctis. Sicut ergo cum Sanctos oramus, Deum principaliter oramus, etiam proxime & immediate oramus Sanctos ipsos: ita etiam quando vouemus Sanctis: principaliter, etsi mediate, vouemus Deo, a quo speramus nos imperaturos per Sanctorum intercessionem, quod petimus: vt ex eo patet, quod vota Sanctis fiant, etiam ad aliquid impetrandum, quod non nisi a Deo haberi potest.

214. Circa vltimam definitionis particulam, de bono, declarantem quanam debeat esse voti materia, nempe bonum (de quo postea ex instituto) tantum illud hic obiter monendum est in vniuersum, voti materiam esse tale bonum cuius oppositum non sit melius, & gratius Deo; quodque bonum sit; cum absolute, tum per comparationem ad suum oppositum: prout plenius declarabitur in seq. cap. 18.

CAPVT XVI.

De multiplici voti diuisione.

SVMMARIVM.

- 215 Voti diuisio in deliberatum & indeliberatum.
- 216 Metus proueniens ex causis naturalibus non obstat, quin votum ex eo factum sit validum.
- 217 Nec item si proueniat ab homine, sed sit incussus iniuste, aut ob aliam causam, quam ad extorquendum id ipsum votum.
- 218 Per metum incussum iniuste ac directe ad extorquendum votum, ipsum redditur inualidum.
- 219 Modi quibus contingit votum esse illicitum tanquam sultum.
- 220 Modi alii quibus contingit illicitum esse, tanquam insidiale.
- 221 Modi quibus contingit votum esse inualidum.
- 222 Quatuor casus in quibus malus finis non obstat, quin votum sit validum.
- 223 Diuisio voti in absolutum & conditionatum, & quo modo accipiendum sit, quod conditio in hoc, suspendat obligationem.
- 224 Diuisio voti in morale & penale, & diuersi huius modi.
- 225 Diuisio in solemne & simplex, & in quo consistat vtriusque differentia.
- 226 Diuisio in publicum & priuatum: & alia in personale, reale, & mixtum.
- 227 Triplex differentia inter votum personale & reale.
- 228 Notandum de voto mixto.
- 229 Diuisio voti in affirmatiuum & negatiuum.

215. **M**VLTA ac variae voti diuisiones assignantur, vt videre est apud Paludanum in 4. distinct. 38. quaest. 2. Illas persequitur Suarez in tract. 6. De religione, lib. 1. cap. vltimo.

Prima diuisio, voti in deliberatum & indeliberatum.

215. **V**Otum deliberatum dicitur, quod factum est cum antecedente deliberatione saltem virtuali. Indeliberatum vero, quod sine deliberatione antecedente est

factum. Quod quidem est votum solo nomine: cum ex dictis in precedenti cap. ad rationem voti requiratur vt sit promissio deliberata: adde & facta animo promittendi seque obligandi: vnde intelligitur solo quoque nomine votum esse, sine tali animo factum: ita vt merito non verum sed fictum tantummodo votum censetur. Quae hic notanda viderentur de deliberatione ad voti validitatem requisita tradentur in sequenti cap. 19. sect. 2.

Secunda diuisio voti in spontaneum, & in extortum metu.

SPontaneum votum dicitur, quod libere omnino fit, soloque pietatis intuitu. Extortum autem metu, dicitur quod non fieret nisi metus vigeret. De quo pro praxi notanda sunt aliquot documenta.

Primum est, quod Suarez in memorato lib. 1. cap. 7. num. 3. & aliquot sequentibus tractat. Validum esse votum factum quocumque metu proueniente ex causis naturalibus: vt factum in naufragio aut alio mortis periculo, aut in aliqua magna tribulatione ad obtinendam diuinitus liberationem ab ea. Istud deducitur, ex cap. Sicut primo & secundo, De regularibus. Idem etiam habetur ex timoratorum vsu in Ecclesia. Et probatur ratione: quia sic vouens libere vouet: quandoquidem metus non tollit libertatem simpliciter. Etenim coniunctam habeat displicentiam, qua metuens nollet facere quod facit, si id posset absque eo in eodem modo quod timet: non impedit tamen, quin sit libertas sufficiens ad vouendum, cum sit sufficiens ad peccatum mortaliter: iuxta cap. Merito. 15. quaest. 1. vbi ratio redditur; quod peccata per metum commissa, sint peccata volentium, quoniam sic peccans, licet alias peccare nollet, quia peccatum simpliciter, ac secundum se spectatum illi displicet, nihilominus tamen hic & nunc, libere vult peccatum, tanquam medium vile ad vitandum malum quod metuit. Voluntas autem quae sufficit ad hominem obligandum diabolo, sufficit etiam ad obligandum Deo, prout habitum est in praeced. nu. 2. o 6. Nec obstat cap. Gonfaldus. 17. quaest. 2. in quo Presbyter qui infirmitate & feruore passionis, se monachum fore promissit, declaratur non esse per eum actum factus Religiosus. Non obstat inquam, quia Pontifex suam illam declarationem fundat non in eo quod talis promissio facta sit metu mortis: sed in eo quod canonica institutio interdictum sit, monachum fieri seu profiteri, ante annum probationis. Videntur est Suarez ibid. num. 7.

Secundum est, Si metus ex quo fit votum, iniuste irrogatus sit, non irritare illud: vt si maritus deprehensus in adulterio minetur se curaturum in iudicio illius castigationem, nisi religionis ingressum voueat; aut si reo mortis, potestas fiat redimenti illius supplicij, si voueat se in vxorem accepturum puellam quae se offert, validum erit votum. Istud tractans Leon. Lessius De iust. & iure lib. 2. cap. 40. num. 10. confirmat hac ratione: quod quando metus iniuste irrogatur ob crimen, non tam censetur inferri ab extrinseco, quam ab intrinseco: nimirum a propria voluntate, qua commissum est delictum: atque is qui votum proponit, potius auferat quam inferat metum: vt pote ostendens eam viam mali euadendi. Jam id quod ex propria voluntate oritur, non censetur moraliter voluntati repugnare: ideo enim ex communi sententia, talis metus non rescindit ciuiles contractus, qui libertatem requirunt perinde ac votum.

Tertium est, quod consequenter habet Lessius ac etiam Suarez in seq. num. 8. metum iniuriosum non irritare votum ex eo factum, si is ob aliam causam incussus sit, quam ad istud extorquendum: vt si quis metuens hostem persequenter ipsum iniuste, voueat ingressum religionis, vt Deus illum seruet: vel apud Turcas seruituti iniuste addictus, idem voueat, vt Deus ipsum liberet. Ratio vero est, quod metus tunc non sit directe causa voti, sed solum occasio: qua quis voto vitur tanquam medio ad depellendum metum, alia de causa illatum.

Quartum est, Metum iniuriose incussum directe ad extorquendum votum, irritare ipsum. Hanc esse communem

nem sententiam indicat Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 52. pro qua citantur aliquod iura præsertim cap. 1. Deijs quæ vi. &c. Ratio vero præcipua est: quod cum nemo probus promissionem sibi tali modo factam acceptaret, aut aliquid iuris ex ea prætenderet (quandoquidem vt habet regula 48 iuris in 6 locupletari nemo debet cum alterius iniuria) alienum est à ratione existimare, quod Deus acceptet vota iniuriose extorta. Nec obstat, quod Deus ipse non inferat talem iniuriam: quia proposita regula sic concepta est, vt interpretanda sit de iniuria, à quocumq; proueniat.

Magna autem difficultas est: An hoc habeat locum si metus sit tantum leuis: quam Suarez tractat in memorato lib. 1. cap. 7. à num. 9. pluribus authoribus in vtramque partem citatis. Partem autem negantem propugnat tanquam veniosem. Quin vero in praxi affirmantem sequi possumus, nihil obstat. Tum quia nec ipse nec alij, quos sequitur, eam reiciunt tanquam improbabilem. Tum quia bonos habet auctores, vt patet ex eis quos idem Suarez satis magno numero, & maiore Thomás Sanchez lib. 4. De matrimonio disput. 17. commemorat. Tum quia satis bonum habet fundamentum: nempe quod metus grauis ex eo quod sit grauis non reddat votum inualidum: quandoquidem, etiam factum metu mortis grauissimo, valet vt ex præcedenti primo notabili patet: sed ex eo, quod per iniuriam in oculis sit ad extorquendum consensum vouendi. Si ergo metus leuis eodem modo inculsus sit, similiter reddet votum inualidum: præsertim cum ex eo perinde ac ex graui, votum sic procedere potest, vt ceteri debuerit illius causa sine qua non: seu quæ si non interuenisset, ipsum emissum non esset. Accedit quod in dubijs liceat partem minus probabilem relicta probabiliore sequi: nisi obstat irreuerentia in vñ rerum sacrarum, vt in administratione sacramentorum: vel iniuria inferenda proximo. Nonnunquam tamen consulenda erit petitio relaxationis ad tranquillitatem conscientie illius, qui ex ea parte non habuerit quietam: præsertim cum parti neganti subscribentes sint auctores ceteris recentiores: quorum auctoritas potior est in iudicio de peccatis, si constet ipsos & doctos esse & diligentes in discutiendis difficultatibus.

Tertio voti diuisio, inlicitum & illicitum.

Votum licitum illud est, quod sancte fit & absque peccato: illicitum vero quod fieri nequit absque peccato: & (iuxta verba illa ecclesiasticis cap. quinto, Displicet Deo infidelis & stulta promissio) potest diuidi in inidele & stultum.

De eodem vero conuenienter instituto nostro, est explicandum, quibus modis ipsum stultum, & quibus infidele esse contingat. Stultum ergo esse potest, primo ex parte finis. Nam quicumque aliquid vouet propter malum finem, stulte ac imprudenter vouet, mortaliterq; peccat, si illud quod vouet sit mortale: venialiter vero, si tantum sit veniale. Nisi forte existimet se posse per tale votum, aliquid mali à Deo obtinere: quod est grauissimum blasphemia peccatum: cum diuinæ bonitati repugnet vilius peccati, etiam si tantum venialis, auctorem esse. Secundo, ex modo vouendi, vt cum quis inconsiderate, & leuiter vouet. In eo enim peccat, etsi tantum venialiter: nisi per talem inconsiderationem, quam diligentia adhibita vincere poterit, exponat se probabili periculo peccandi mortaliter.

Tertio, ex parte materia: non enim licet vouere Deo quiduis, sed id quod illi gratum est & acceptum. Ipsum autem requirit quatuor conditiones, in sinuatas à D. Tho. 2. 2. qu. 88. art. 2. Prima est, vt id quod vouemus sit nobis possibile: vouendo enim aliquid nobis impossibile, vt vitare omne peccatum veniale, peccamus: idque mortaliter si ex certa scientia id faciamus: quia Deum afficimus notabili iniuria, promittentes ei mendaciter, quod nos præstare non posse scimus. Secunda est, vt illud quod vouemus sit in nostra libertate. Nam qui vouet necessarium necessitate naturæ, vt se moriturum, vel non volaturum, peccat saltem venialiter, per quoddam vaniloquium. Dixi ne-

cessitate naturæ: quia de eo quod est necessarium necessitate præcepti: vt de nunquam fornicando, rite fit votum. Tertia est, vt id quod vouemus sit utile, id est, proficit ad honorem Dei: aut certe (si quidem pro fine consequendi bonum temporale, votum licite emittitur, vt Sorus in 7. De iustitia & iure, qu. 1. art. 3. ante solutionem argumentorum, recte probat, ex voto quod fecit Iacob Genes. 28. vers. 20.) ad nostram aut proximi vtilitatem. Qui enim rem penitus inutilem vouet, peccat venialiter: imo & mortaliter: si, vt sæpe solet, addit superstitionem. Quarta est, vt id quod vouemus sit bonum: nam vouere malum, est peccatum, aliquando mortale, aliquando veniale, prout exponetur in sequ. cap. 18. Quinta est, vt bonum quod vouemus non aduerfetur meliori bono: ita vt nequeat cum eo simul consistere. Namque malum est, sibi viam præcludere ad aliquam perfectionem maiorem. Non committitur tamen in eo peccatum, plusquam veniale, nisi fiat ex heresi: vt quando quis vouet se ducturum vxorem: quia pertinaciter credituratum coniugatorum esse præferendum statui calibatus.

Infidele autem esse votum potest dupliciter. Primo quidem, cum quis bene vouit, sed non implet postea quod vouit: de cuius peccato dicitur in proxime sequenti capite. Deinde vero, cum quis habet quidem propositum vouendi & promittendi, sed non habet implendi id quod vouet. Cuiusmodi infidelitas est graue peccatum, & quidem grauius, quam præcedens non seruantis votum, quod sincere fecerat: sicut grauius peccat, qui iurat illud quod non intendit facere: quam is qui iurat sincere, sed postea non facit. Immo, vt notat Nauar. in Enchir. cap. 12. nu. 38. ille bis peccat: primo quidem vouendo mendaciter: secundo vero, non implendo votum validum.

Quarta diuisio voti in validum & in inualidum.

Votum validum est, quod habet vim obligandi: & inualidum, quod nunquam habet vim obligandi: ne quidem cum sit. De hoc autem occurrunt notandi modi quibus ipsum contingit.

Primo igitur votum est inualidum ex defectu deliberationis: iuxta cap. Sicut primæ, De regularibus, atq; antedicta in præced. capite.

Secundo, ex interuentu fraudis, quæ cum est tota causa voti (ita scilicet vt homo nunquam vouisset, nisi fuisset fraude circumuentus) votum ipsum est nullum: vt pote factum sine sufficienti proposito.

Tertio, ex coactione: non enim valet votum, ad quod faciendum coactus est aliquis: quia coactio tollit libertatem voluntatis, quam in voto requiri habetur ex antedictis: & confirmatur per illud, quod in cap. Non est, 15. q. 1. Christus dicitur eligere sibi militem voluntarium. Quatenus non modo ex coactione sed etiam ex metu, votum ceteri possit inualidum, satis intelligi potest ex notatis circa præcedentem diuisionem secundam, & plenius ex dicendis in seq. lib. 25. cap. 4. sect. 1.

Quarto, votum inualidum esse potest ratione personæ quæ vouet. Si enim puer vouerit antequam vñm rationis habeat, omnes consentiunt votum esse inualidum: tanquam indeliberatum scilicet. Item ex Concilio Tridentino sessione vltima cap. 15. De regularibus, votum solemne religionis factum ante 16. annum completum, sicut & factum ante absolutum annum probationis: est nullum.

Quinto, inualidum esse potest ex materia. Nam quando ex ea redditur illicitum, aliquo ex modis notatis, circa præcedentem diuisionem tertiam, redditur quoque inualidum. Vbi aduerte quando bonum, de quo fit votum est maius respectu vñis, & minus respectu alterius: si ille qui vouet respiciat maius bonum, votum esse validum: sin respiciat minus, votum esse inualidum. Exemplum est, si quis voueat se ad mortem vsque perseueraturum in religione minus perfecta. Si enim id faciat, quia putat melius esse perseuerare, in tali religione, quam non perseuerare, votum est validum: sed si id faciat, vt se à perfectiori religione excludat, votum est inualidum.

Postremo potest votum inualidum esse ex fine: quod contingit in duobus tantum casibus, vt intelligitur ex Caiet. in verbo Votum cap. 2. & ex Nauar. in Enchir. c. 12. num. 30. & 31. Prior est quando malus finis, est pars materiz: vt cum quis vouet se propter inanem gloriam daturum eleemosynam, quod est vouere peccatum: puta opus quod est vestitum circumstantia mali finis. Itaque tale votum, quod nec Deo placere, nec emitti aut impleri licite potest, merito censetur inualidum. Posterior casus est quando malus finis, est finis non tantum vouentis, sed etiam voti: vt accidit quando votum ipsum suscipitur ea intentione, vt per illud malus finis a Deo obtineatur. Cum enim huiusmodi votum sit species quedam blasphemiz, qua Deus author & patronus peccati constituitur, censendum est, vt omnino illicitum sit inualidum esse. Exemplum est: si quis aliquid ideo voueat, vt a Deo iniustam victoriam impetret, vel si quis in gratiarum actionem voueat, se sacrificium Deo oblaturum, aut certam eleemosynam daturum, si aliena vxore potiatur.

222. Intelligitur quoque ex iisdem authoribus, quatuor dari casus, in quibus malus finis non obstat quin votum sit validum. Primus est, quando finis ipse malus, aliquid boni in se continet, & is qui vouet, cupit per votum obtinere a Deo id ipsum bonum, non autem malum finem: vt accidit vouenti aliquid Deo, vt ex concubina filium impetret, vel vt duellum suscepturus mortem euadat: vel vt furtum facturum, non capiatur.

Secundus est, quando malum quod intenditur, non apponitur voto tanquam finis illius, sed tanquam pura conditio sub qua vouetur. Sic igitur votum de re bona factum, inualidum est quidem, si vouens intendat per ipsum impetrare a Deo interfectionem inimici: valet tamen si intendat impetrare gratiam agendi penitentiam, aut cauendi sibi postea a simili facinore, si ei contingat interficere inimicum. Ratio est, quia si adsint cetera ad votum requisita, ipsum non est censendum inualidum ob turpitudinem conditionis, non atrinentis ad ipsius materiam: nec impediens quin impleri possit absque salutis dispendio: aut si atineat quidem, sed inuoluntate ad votum: vnde fit vt materiz eius adiecta, ipsum minime vitiet: cum ex regula 37. intris in 6. vile non debeat per inutile vitari. Et ita in Enchir. cap. 12. nu. 43. Nauatrus definit, eum qui vouit Ierosolymam ire genibus flexis & ferendo ore bufonem, teneri quidem ire, non tamé genibus flexis (quod est moraliter impossibile) nec ferendo Bufonem ore: quia id turpe est, nulliusq; reuerentiz erga Deum: & ideo ad votum inutile: ac proinde non obstat quin votum proficiendi Ierosolymam sit validum.

Tertius casus est, quando finis malus, non est primarius, sed tantum secundarius, & causa solummodo moriua: vt quando quis vouet se aliquid in eleemosynam daturum pauperibus propter Deum: sed ad vouendum motus est, vt molestia aliquem afficeret.

Quartus est, quando finis principalis est quidem malus: sed non est finis voti, tanquam ipsum fiat ad talem finem a Deo impetrandum: sed tantum est finis vouentis: qui cogitat se posse voto interposito aliquid impetrare ab hominibus, vt accidit ei qui religionem vouet, quo eligatur in Abbatem. Item ei qui vouet castitatem susceptione sacri ordinis, quo beneficium Ecclesiasticum consequatur. Cuiusmodi fines extrinseci sunt voto: cum adeptio illorum non expectetur a Deo, quem solummodo votum respicit, sed ab hominibus. Quia igitur in quatuor his casibus votum fit de re bona, nec habet malum finem internum, ipsum sane censendum est obligatorium, atq; adeo validum esse: quod quantumuis cum aliquo peccato emissum sit, tamen sine peccato impleri potest.

Quinta diuisio voti, in absolutum & conditionatum.

223. Illud votum dicitur absolutum, quo quis absolute & sine conditione vouet: conditionatum vero, quod fit sub conditione. Quorum illud homo statim ac potest, implere tenetur: nisi certum tempus præfixerit: pro quo, nec ante illud, voluerit se obligare. Conditionatum vero non

tenetur implere, donec secuta sit conditio: dummodo tamen ipse non impedierit, nec sequeretur, quemadmodum recte notat Nauar. in Enchir. cap. 12. numero 42. & 43. Sic æger nisi secuta sanitate, non tenetur peregrinari: facto voto de suscipienda peregrinatione si sanitatem recuperet.

Vbi aduerte quod de voto ipso conditionali habet Suarez in cit. lib. 1. cap. 19. num. 9. conditionem in illo suspendere obligationem, non quod tale votum nullo modo obliget statim: quia id repugnat voto, de cuius essentia est vt sit promissio obligatoria, sed quod obligatio illius suspendatur quoad executionem, quæ est voti obiectum, quod adiectione conditionis limitatur: non item promissio, ex qua proinde obligatio statim ita nascitur, vt non sit in potestate vouentis non manere obstricti ad illam executionem, cum impleta fuerit conditio: adeo vt ex tunc tenetur habere animum implendi illud suum votum, impleta conditione sub qua emissum fuit. Quod si conditio caderet in promissionem (quia hanc suspenderet) non esset votum, nequidem conditionatum: sed solum propositum conditionatum vouendi: vti quæ dicitur: Voueo castitatem si Petro visum fuerit. Nam cum votum ista ratione suspendatur in futurum, non fit tunc: ideoque talia verba indicant tantummodo propositum conditionatum vouendi in posterum. De qua re idem Suarez in præced. numero 8.

Sexta voti diuisio in morale & pœnale.

224. Votum morale dicitur, quod spectat ad mores, tanquam stimulus ad studium & exercitium virtutis. Pœnale vero dicitur quod in pœna alicuius peccati suscipitur: aliquando quidem sub conditione, vt cum quis vouet peregrinationem si luserit aleis: aliquando vero absolute, vt cum quis vouit peregrinationem, quia commisit homicidium. Et vtroq; modo est verum votum, per quod vouens simpliciter consentit in obligationem lubeundi talem pœnam. Cum hac differentia tamen, que patet ex anteceditis, vt si sit posterioris modi, ad executionem statim obliget, non item si sit prioris modi: cum illius obligatio suspendatur vsque ad impletionem conditionis appositæ. De eodem modo obiter nota, interdum solitarium & interdum coniunctum esse cum morali: quod pendet ex intentione vouentis: quæ dicendo, Peregrinationem voueo si lusero: esse potest adstringendi se tum ad non ludentium, tum ad subeundam peregrinationis pœnam si luserit. Quod notandum est procuranti eiusmodi voti dispensationem, vt Superiorem informet. Videri possunt quæ Suarez habet in seq. num. 14.

Septima diuisio voti in simplex & solemne: & octaua in publicum & priuatum.

225. Ex vniuerso numero votorum duo solummodo censentur solemnia, votum scilicet castitatis, quod ex ecclesie instituto in susceptione sacrorum ordinum tacite emittitur, tanquam eidem susceptioni connexum (eo enim ipso, quod voluntarie aliquid agitur, censetur pariter agi tacite illud cui connexum est) & professio in religione per Sedem Apostolicam approbata: ita enim habetur ex cap. 1. De voto & voti redemptione in sexto. In quo autem consistat differentia, per quam votum simplex a solemnibus separatur, magna difficultas est, scholastici instituti propria. De ea Cateranus & ceteri D. Thomæ interpretes 2. 2. quest. 88. art. 7. & Sotus in 7. De inst. & iure quest. 2. art. 5. diuersas sententias referunt. Eam quam Sotus ipse approbando late propugnat, sequi possumus: qua statuitur per hoc separari: quod votum simplex habeat se tanquam simplex promissio, quæ a nullo sensibilibiter acceptatur. Solemne votum vero se habeat tanquam stipulatio seu pactum, in quo est non tantum promissio ex parte offerentis, sed etiam acceptatio sensibilibiter manifesta, ex parte recipientis. Votum enim solemne acceptatur ab ecclesia nomine Dei: vnde semper fit in manu persone ecclesiasticæ, quæ loco Dei seu Ecclesie, illud acceptat modo ac forma sensibili. Quod si ita sit: tenendum est etiam cum eodém Soto ibidem, votum simplex & solemne

differe

differe inter se specie: sicut differunt simplex promissio & stipulatio. Tenendum etiam est consequenter, quod votum solemnne transgressus, non satisfaciatur obligationi integre consistendi, si dicatur se transgressum esse votum castitatis, sed debeat explicare circumstantiam, quod tale votum fuerit solemnne.

226. Octava diuisio voti est, in priuatum quod priuatim fit, & in publicum quod publice, & coram multis fit. Quæ diuisio non coincidit cum præcedenti: quia non repugnat votum simplex fieri publice, & solemnne fieri priuatim, id est, præsentate solo Prælato Ecclesiastico. Aliud circa diuisiõnem hanc annotandum non occurrit: nisi quod votum publicum cæteris paribus magis obliget, ratione scandali, quam priuatim.

Nona diuisio voti in personale, reale, & mixtum.

Votum personale dicitur, cuius materia est actio personæ: siue ea sit actio præceptorum, siue consiliorum, operumve supererogationis: vt votum ieiunandi, orandi, pauperatis, castitatis, obedientiæ, aut ingrediendi religionem: siue etiam sit pecunia æstimabilis: vt si quis voueat manibus laborare in ædificatione templi, votum censetur personale: quia quantumuis sit digna stipendio, adeoque pretio iusto (quo & redimi possit de consensu Prælati) spectandum est tamen potius secundum illud quod ipsa est formaliter, quam secundum illud cui æquiualeat virtute. Ita notat Suarez in seq. lib. 2. cap. 12. num. 1. Reale vero dicitur, cuius materia est res aliqua: vt votum elemosynæ, vel alterius oblationis pecuniæ in pium usum. Mixtum denique, cuius materia partim constat ex actione, partim ex re. Quod duplex est, vnum quod æque constat ex personali & reali: vt si quis voueat se oraturum in sacello Loreano, & ibi collaturum aliquot nummos aureos. Alterum vero quod principaliter est personale, & secundario ac accessorie est reale: vt votum peregrinationis. Nam peregrinatio de se est actio personæ: quam vt exerceat quis debet expendere res suas: quæ ex parte tale votum est reale secundario: sicut & ratione actionis, quæ principaliter peregrinatio importat, est principaliter personale. De qua re Suarez in seq. num. 2. & 3.

227. Differunt autem in tribus votum personale & reale. Ac primo, quod personale tanquam onus impositum personæ: vouentis, non transeat ad alios ratione hereditatis, seu bonorum à vouente acceptorum. Reale vero tanquam onus impositum rebus vouentis, transeat: sicut & transeunt debita ab ipso contracta. Secundo, quod votum personale ab vno emissum, non obliget alterum: quia est actus religionis quo vouens propriam voluntatem offert Deo, ad excitandam in se deuotionem: Votum reale autem obliget, non quidem ratione actus vouendi, sed ratione rerum per votum obligatarum. Et ita hæres siue sit filius siue alius, ad vota realia eius qui illi relinquit hereditatem, tenetur saltem iuxta vires hereditatis. Tertio, quod is qui non potest per se implere votum personale, non teneatur implere per alium, iuxta post dicenda in sequenti num. 283. votum vero reale teneatur implere etiam per alium, sicut & soluere debita alia à se contracta: cum perinde ratione illius, ac ratione horum, habeat res suas obligatas satisfactioni.

228. Potro votum mixtum æque principaliter ex personali & reali, quatenus est personale, induit naturam voti personalis: & quatenus reale, voti realis: & ita si quis vouit ire ad S. Iacobum & ibi dare calicem, hæres tenetur eo mittere calicem, non autem eodem ire. Reale autem principaliter, sed secundario & accessorie personale: conditionem habet & proprietates voti realis: quia accessorium sequitur naturam principalis, vt habet regula 42. iuris in 6. Hincque est, quod si defunctus dum viueret vouit adificare monasterium, & ibi religiosam vitam profiteri, quia tale votum mixtum est principaliter ex reali, & accessorie ex personali: hæres tenetur fundare monasterium: non autem ibi religiosam vitam profiteri: personale vero principaliter & accessorie reale, conditionem, & proprietates pari ratione habet realis. Et ita si quis vouit peregrinari,

hæres nec tenetur id implere, neque expensas quas facturus erat mittere ad locum pium, quo peregrinaturus erat: sicut nec si vouit religionem, tenetur eidem religioni dare bona quæ ille secum in eam laturus erat: quia talia sunt tantum accessoria. Hæc doctrina est Palud. in 4. dist. 38. qu. 3. art. 3. D. Apton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 5. Sylu. Votum 2. quæst. 11. & Nauarr. in Enchir. cap. 12. nu. 56. & 57. Soti in 7. De iust. quæst. 2. art. 1. in fin. Eandem late persequitur Suarez in seq. lib. 4. cap. 11.

Postrema diuisio voti est in affirmatiuum & negatiuum.

229. Votum affirmatiuum dicitur, quod fit de agendo aliquid, vt de suscipienda peregrinatione, negatiuum vero, quod de non agendo, vt de non fornicando. Aduertenda sunt autem duo, pro iudicio nobis proposito, quæ Suarez tractat in memorato lib. 4. cap. 12. Prius est, votum negatiuum absolute factum obligare semper, ac pro semper, adeoque statim ac factum est, perpetuoque: nisi ex intentione vouentis ipsum limitetur. Huius fundamentum est: quod negatio absoluta realis naturæ sit, vt destruat omnia quæ post se inuenit. Exceptionis vero additæ ratio est, quod obligatio voti, cum sit voluntaria, non extendatur ultra vouentis intentionem se obligandi. Quæ si fuerit cum limitatione ad diem à quo incipiat, vel ad certum terminum in quo desinat, aut cum certa restrictione materia: vt cum vouit quis, se non ingressurum aliquam domum spectans talem ingressum tanquam occasionem peccandi, votum inde censetur conditionati rationem induere, ipsiusque obligatio suspendetur vsque ad diem vel terminum præfixum: æque cessabit, si cesset materia restrictio: vt v. g. occasio peccandi ex ingressu domus.

Posterius est, votum affirmatiuum obligare statim ac fit, non tamē pro statim. Prior pars probatur, quia votum ex se est efficax causa obligationis: ideo enim dicitur quod vouere sit quidem libertatis, sed votum implere sit necessitatis. Eaque de causa statim ac emissum est, is qui emisit obligatur ad non habendum propositum contrarium obseruantia illius, & ad cauendum eiusdem obseruantia impedimentum. Posterior pars vero ex eo constat, quod operatio positua requirat temporis opportunitatem, quæ non semper adest humanoq; modo, nemo liberaliter promittendo, intendat aliter obligare se ad agendum aliquid, quam vt id præstet cum potum poterit commode. In diiudicanda autem commoditate voti adimplendi, spectandum est solum, quanta in negotio, quod ex voto peragendum est, requiratur iudicio prudentium, circumstantiis inspectis. Ratione quarum euenire potest, vt dilatio temporis, quæ respectu vnius, nimia non est: sit respectu alterius nimia: quia tempus, quod commodum est respectu vnius: non est semper respectu alterius, ob diuersas circumstantias personarum & negotiorum.

C A P. XVII.

De obligatione voti, & peccato quod illius transgressione committitur.

S U M M A R I V M.

- 230 Obligatio voti est sub mortali, ac illius violationem suadere peccatum est mortale.
- 231 Cuius generis sit malitia violationis voti.
- 232 Peccatum est, durius differre voti adimpletionem, perinde ac illud non implere.
- 233 Tres casus excepti.
- 234 Differentia inter votum factum de bono supererogationis, & factum de bono posito in præcepto.
- 235 Notanda ad iudicandum quando peccetur contra votum affirmatiuum, aut contra negatiuum.
- 236 Alia notanda ad iudicandum quando peccetur contra votum, cuius obligationi præfixus est certus terminus.
- 237 Quomodo ex leuitate materiae transgressor voti excusari possit a mortali.

238 Qui non potest votum implere ex toto, tenetur ex parte quam potest.

239 Quando & quale peccatum committatur penitendo de facto à se voto.



V. ad huius rei notitiam faciunt plenissime Suarez persequitur in sexto tractatu de religione libro 4. & 5. Quæ vero possunt Confessario sufficere ad non iudicandum de ea temere, aliquot documentis complectemur.

230.

Primum est, votum validum sic obligare natura sua, vt transgressor illius mortaliter peccet, nisi interueniat impedimentum (de quo in sequentibus) extinguens illius obligationem: seu iusta causa per quam idem transgressor excusetur prudentis iudicio. Istud expresse tradunt Palud. in 4. distinct. 38. quæst. 3. art. 4. Supplementum Gabr. ead. distinct. quæst. prima litera F. Sotus in 7. de iust. & iure q. 2. art. 1. non longe à principio, Caiet. in verbo Votum c. 1. Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 26. vbi ait communem Theologorum sententiam esse: & Syluest. verbo votum 2. quæst. 20. simpliciter omnium sententiam esse dicens. Confirmatur autem: tum ex cap. Ananias, 17. quæst. 1. vnde habetur voti transgressionem dignam esse morte, prout constat ex eo quod gestum est in Anania & vxore ipsius, ex Actorum quinto cap. Tum ex cap. Licet De voto & voti redempt. vbi dicitur post votum non licere alicui sine proprio salutis dispendio resilire. Tum ex priori ad Timotheum cap. 5. v. 12. vbi videtur quæ castitatem vouerunt, volentes nubere, dicuntur damnationem sibi acquirere: quia primam fidem irritam fecerunt. Tum demum ratione: quia si homo hominem grauit offendit, per perfidiam qua fidem ei datam frangit: multo magis grauit offendet Deum per illam perfidiam irreligiosam, qua votum ei sancte nuncupatum violat. Vnde intelligitur: quod quamuis vouere sit consilij: implere tamen quod voto promissum est, esse præcepti & necessitatis: iuxta cap. primum & secundum, 17. quæst. 1. expresseque habetur ex citato cap. Licet & ita illud Pal. 75. Vouete & reddite Domino Deo vestro consilium cõtinet quoad priorem partem: & præceptum quoad posteriorem. Intelligitur quoque mortaliter peccare eum qui persuadet alteri violare votum: vt contigit illis qui vinum Nazareis propinabant, ex cap. 2. prophetie Amos vers. 12. à quo ex voto tenebantur abstinerere prout habetur ex cap. 6. Numerorum vers. 2. & 3. Ratio vero talis peccati patet per illud Apostoli monitum ad Roman. in fine: quod digni sint morte non tantum qui ea quæ mortalia sunt faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

231.

Cæterum malitia violationis voti est cuiusdam perfidiae erga Deum, vt indicant citata verba D. Pauli Quia primam fidem irritam fecerunt. Quibus accedit quod inter homines frangens promissum arguatur infidelitatis. Vnius speciei autem esse talem malitiam respectu omnium votorum, ob rationem vnius irreligiositatis admittæ in actu cultus diuini, Suarez pro scholastico instituto fuit tractat in citato lib. 5. cap. 3. Vbi num. 8. notat eam nihilominus secundum quandam eminentiam inuolueret deformitatem sacrilegij, & mendacij: sacrilegij quidem, quia per voti violationem, quod fuit dicatum Deo, denegatur ei: mendacij vero, quia non fit quod dictum est, fore vt fieret: immo (quod longe maius est) & quod Deo promissum est. Porro grauiorem esse violationem voti quam periurij malitiam, habetur ex Soto de iust. & iure li. 8. quæst. 1. art. octauo, post D. Thomam 2. 2. quæst. 89. art. 8. Aduerte tamen, quod idem Sotus subiungit, & Nauar. notat in Enchir. cap. 12. num. 32. id locum habere tantum, quando iuramentum principaliter fit in vtilitatem proximi: vt solet communiter: si enim principaliter fiat in honorem Dei (quia omnis ratio obligandi quæ in voto cernitur, in illo quoque datur, & quid amplius) grauior censetur malitia periurij, quam violationis voti.

232.

Secundum documentum est, peccatum mortale esse, vt transgredi votum, sic & illud diu differt, quando potest statim impleri. Quod quidem probatur per illud Deut. 23. Cum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requirit illud Dominus Deus tuus] & infra: Si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum.] Item per il-

lud Ecclesiasticis quinto: Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio.] Ex quibus verbis patet, peccatum perfidiae erga Deum committi, vt transgrediendo votum, sic illud non statim implendo, cum impleri potest: quemadmodum peccatum iniustitiae erga proximum committitur, non tantum retinendo alienum: sed etiam illud non statim restituendo.

Tres tamen casus sunt in quibus istud non procedit. Primus est, quando ille qui vouit præfixit sibi certum tempus: donec enim ipsum sit elapsum, non tenetur votum implere. Secundus, quando prudentis arbitrio iusta causa adest differendi impletionem voti. Tertius, quando ex inaduerterentia inculpabili impletio differtur. Cæterum talis dilatio tunc est peccati grauius, quam alioqui esset, cum efficit, vt votum ipsum nullo modo possit postea impleri.

Hic occurrit dubium, an in materia graui, dilatio ad impletionem voti sit mortalis, etiam si fuerit breuis moræ. Ad quod Suarez in seq. cap. 6. num. 8. respondet, ex breuitate moræ tale peccatum esse tantummodo veniale: eamque esse communem sententiam Summulariorum addit aliquot citatis. Ratioque est, quia rationabiliter præsumitur, si non constet de contrario, vouentem non habere animum obligandi se cum rigore maiore, quam soleant homines cum obligant se ex rigore iustitiae: in quo casu excusatione esse à mortali per leuitatem moræ, qua talis satisfactio differtur, patet ex dilacione solutionis mutui, quæ non damnatur peccati mortalis, si modici temporis sit. Nota autem consequens esse ex proposito documento: extra casum in quo impedimentum occurrit sufficiens ad tollendam obligationem voti: sicut ad licite omittendam: ita & ad licite differendam voti ad impletionem, requiri: tum iustam causam, tum Superioris auctoritatem: de quibus in sequenti cap. 22.

Tertium documentum est, si votum sit de bono supererogationis, seu quod sit tantum in cõsilio, vt de ieiunando extra tempus ab Ecclesia præscriptum: violationem illius esse speciale, vnicumque tantummodo peccatum: si vero sit de bono quod erat in præcepto positum: vt de non fornicando, non furando, &c. violationem ipsius non esse peccatum speciale sed circumstantiam mutantem speciem, atque adeo necessarii consentendam: eo quod malitiae fornicationis superaddat malitiam perfidiae irreligiosæ. Et ita, formaliter loquendo, tunc datur in vno actu duplex peccatum: ob duplicem nimirum deformitatem, quæ in eo cernitur. Quod quidem procedit, etiam quando votum fuerit generale de non peccando mortaliter, ex Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 34.

Quartum documentum est, si votum fuerit affirmatiuum, vt de orando, vel de ieiunando, aliove faciendo: atque prima vice taliter tractum sit vt nequeat amplius obseruari, tunc ex vi voti, peccari ea sola prima vice, non item deinceps: eo quod impossibilis facta sit talis voti ad impletio. Exemplum est, si quis vouerit ieiunare die Sabbathi in honorem B. Virginis, & mane prandium sumperit. Quia enim illi impossibile est ieiunium eo die seruare, sumendo cenam non peccat ex vi voti: nisi illi faciat in illius contemptum. Aduerte tamen interdum manere obligatum ad supplendum talem suum defectum: voto scilicet ultra terminum præfixum retinente vim suam: interdum vero in termino præfixo obligationem voti extingui. De qua re late tractat Suarez in memorato tractatu lib. 4. cap. 13. Sed breuitati consulendo cõtenti esse possumus eo, quod Nauar. habet in Enchir. cap. 12. num. 54. in quiens illum qui vouet se aliquid certo tempore facturum, vt ieiunaturum, si præcipue habuit rationem operis (prout solet Confessarii dum in penitentiam imponunt penitentiam vt ieiunet die veneris) nec impleat in tempore illo præfixo: teneat implere in proximo: seu quamprimum commode potest. Sin præcipue rationem habuit temporis, & illi ipsum opus adiunxit tanquam onus (ad eum scilicet modum quo ecclesia ieiunium indicit in vigiliis quarumdam solemnitatum) nullam tunc remanere obligationem implendi id quod omisum est in eodem tempore præfixo.

Quod si votum sit negatiuum, vt de non vescendo carnibus, tunc quoties contra ipsum agitur, nisi iusta causa excuset,

excuset.

excuset, peccatur mortaliter: siue sit votum perpetuum, siue temporale, ex Nauarr. in præced. nu. 53. & Angelo in verbo Votum 3. num. 27. Et ratio est quia votum ad instar præcepti, quatenus negatiuum est, obligat ad semper seu ad totum tempus pro quo emissum est intentione vouentis: ita vt non sit in eo locus dilationis impletionis: sed quamdiu tempus illius non finitur, peccetur qualibet vice qua contra illud agitur: nisi legitima Superioris relaxatio, aut grauissima necessitas (quæ nullam habet legem) excuset. Ratio est: quia negatio de se destruit omnia: & ideo votum negatiuum factum in communi de aliquo actu, obligat simpliciter ad abstinentiam ab omni actu particulari talis rationis: adeo vt toties peccetur contra eiusmodi votum, quoties perpetratur actus particularis, illo communi comprehensus: siue id ipsum votum factum sit pro diuturno, siue pro breui tempore: dummodo intra ipsum fiat eorumdem actuum repetitio.

Cæterum si ad vnam ex pluribus diebus, votum esset indifferenter emissum: vt cum quis vouerit vna die hebdomadæ non bibere vinum, tunc neque hac neque illa præcise die contra votum peccaretur bibendo: nisi esset vltima hebdomadæ dies: in quam tunc votum præcise caderet: ite oq; toties in ea peccaretur quoties ageretur contra tale votum, perinde ac si esset præcise emissum de non bibendo eo die.

336. Quintum documentum est: circa votum cui vouentis intentione præfixus est terminus vltra quem non obliget, sequentia esse notanda pro praxi, quæ Suarez persequitur in citato lib. 4. cap. 14. & 15.

Primum est, Quando quis vouit opus aliquod tanquæ onus, certæ diei: vt ieiunium feriæ sextæ in honorem passionis Domini, etiam si præuideat se illo die impediendum à ieiunio, non teneri præuenire, ieiunando præcedente aliquo die: vt nec supplere ieiunando aliquo sequenti die. Ratio est: quod etiam si id faciat, non implebit votum suum, quo specialiter promissit ieiunare feriæ sextæ in honorem illius diei, dicati memorie passionis Christi.

Secundum est, Quando vouens apponit certum tempus operi quod vouet: si id faciat intentione suspendendi obligationem vsque ad idem tempus, tunc non esse obligationem præueniendi, adimplendo promissum ante præscriptum tempus, etiam si præuideatur, futurum tunc impedimentum adimplendi. Ratio est, quod talis terminus non sit appositus, tam ad differendam adimplentionem, quam ad obligationem adimplendi inchoandam, vt sensus sit ex tali die hoc faciam: vnde sit vt ante talem diem nulla sit obligatio, quæ ante illam diem adimpleri debeat: nisi obligatio habendi moralem prouidentiam & curam, vt votum possit impleri suo tempore: pro quo obligauit, statim ac emissum est.

337. Tertium est, Quando in voto certum tempus operi apponitur tantum ad differendam adimplentionem: non vero ad suspendendam obligationem: præueniendum esse idem tempus adimplendo promissum: si præuideatur futurum in illo impedimentum implendi. Ratio est: quia tunc votum statim ac fit, obligat absolute ad hoc, vt opus fiat intra designatū temporis terminum. Id quod illustrari potest exemplo præcepti confitendi intra annum: quod qui nouit se non posse implere duodecimo mense, debet aliquo priore mense satisfacere tali sue obligationi. Et obligatus ad recitationem horarum canonicarum, præuidens se ab ea impediendum post meridiem, debet præuenire ante meridiem. Hoc autem præcedit, etiam si terminus temporis sit appositus ad finiendam obligationem: vt cum quis vouit se ieiunaturū quatuor diebus vnus mensis, non designando quibus limitando tamen voti obligationem ad eum ipsum mensem: ita vt velit illam cum hoc extingui. Quia igitur terminus talis mensis non fuit appositus operi ea intentione, vt in illo suspenderetur obligatio istud implendi: si præuideatur futurū vt post certum diem eiusdem mensis, votum impleri non possit: implendum est præcedentibus diebus: quod est præuenire terminum appositum. De his latius Suarez in citato cap. 14.

Quartum est, Cum terminus præfixus fuerit voto ad finiendam illius obligationem: eo clauso vouentem non

teneri ad aliquam compensationem. Idem dic de eo qui vouit quidem absolute, sed factus est impotens ad voti sui obseruationem: etiam si culpabiliter omiserit illud implere suo tempore, aut seipsum reddiderit impotentem ad implendum: & siue sit votum personale siue reale, prout in particulari late docet Suarez in cir. cap. 15. Ratio vero horum est, quod vouentis intentio in priore casu, sit se tantum pro certo tempore obligandi ad aliquid agendum: & in posteriori obligandi se quidem absolute: sed si possit præstare, non autem ad faciendam aliquam compensationem si non præstet. Nec est quod quis dicat teneri ad resarciendam iniuriam in eo illatam Deo. Nam culpa violationis voti non habet rationem iniuriæ, quæ ad recompenationem obliget per modum alicuius restitutionis, cum non sit proprie iniuria: vt pote quæ non damnificat Deum in suis bonis: vt contra iustitiam inducentem restituendi obligationem, esse censi debet. Nam vt habetur Job. 35. Si peccaueris quid ei nocebis? q. d. nihil. Voti igitur violatio est quidem grauis culpa contra fidelitatem Deo debitam: non tamen contra iustitiam proprie dictam: ita vt illa non requirat aliam satisfactionem, quam conuersionis ad Deum ipsum, per veram penitentiam.

Sextum documentum est, Paruitatem rei, transgressorem voti excusare à peccato mortali: non solum quando illa tantummodo fuerit pars materiae voti (quod neminem negare notat Suarez de relig. tract. 6. libro 5. cap. 4. nu. 6.) vt cum quis vouit se recitaturum septem psalmos, & scilicet vnum aut alterum versiculum omittit: sed etiam quando fuerit tota voti materia: vt cum quis vouit se recitaturum semel orationem Dominicam vel salutationem Angelicam, neque vult votum implere. Id quod Caietanus 2. 2. quest. 89. art. 7. negat quidem: sed tenendum est, sicut tenent Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 40. & Sotus de iust. & iure lib. 3. quest. prima art. 7. vbi ipsum acriter contra eundem Caietanum propugnat: & post eum Suarez in memorato cap. 4. an. 8. quia nihil est curratio modici, seu paruitatis in hac materia, sicut & in alijs sub mortali prohibitis, non valeat ad excusandum à mortali. Non enim locum habet in violatione voti, impedimentum illud per quod leuitas materiae non obstat, quin peccata aliqua sint mortalia: nimirum directe repugnare alicui diuino attributo: prout hæreticus repugnat primæ veritati, Dei proprietati: desperatio, infinitæ Dei misericordie: odiū Dei, infinitæ ipsius bonitatis: & perurium, ipsius summæ perfectioni, qua nec mentiri potest, nec vlli iniquitati cooperari. Non habet inquam, locum in violatione voti tale impedimentum: quia malitia eius peculiariter consistit in infidelitate, qua fidem Deo datam frangimus: id quod tantum ostendit nequitiam nostram: nec pugnat directe, tanquam ex diametro oppositum, cum aliquo diuino attributo.

Nec etiam quod actus leuis sit totalis materiae voti, obstat quin illius violatio tantum sit venialis: maiore etiam ratione quam si partialis esset, vt argumento esse potest: quod per multiplicationem violationis præcepti in partibus modicis materiae sue grauis, peccatum mortale possit committi: non item per multiplicationem violationis diuersorum præceptorum habentium pro materia sua diuersos actus leues, quorum singuli tanquam totalis materia, seorsim ac sigillatim mandandi sint executioni. Quæ de re late Suarez in seq. cap. 5. In hoc autem ea fundatur, quod actus leues quando sunt partiales, concurrant ad cõficiendum vnum totale, qui sit materia, ad æquata voti, eaque, vt supponimus, grauis: consequenterque, per argumentum à contrario, omissiones illorum leues, tanquam partiales concurrunt ad cõficiendam vnā omissionē totalem: quæ nonnunquam tam grauis est, vt possit ad mortale sufficere: nõ tantum secundum se totā, sed etiam secundum notabilem sui partē: qua scilicet præcepti adimpletio sic mutilatur, ac deturpetur: vt iudicio prudentis existimandum sit nõ esse ei satisfactum: cum moraliter illud nõ habeatur pro impleto, quod magna ex parte non est impletum.

Quod quidem contingit, non modo cum pars ipsa magna, tota simul omittitur, sed etiam cum seorsim multe partes modicæ, quæ simul collectæ illam adæquant. Atque

ita qui voto se adstrinxit ad vnam integram recitationem septem psalmorum penitentialium: vt reus censetur peccati mortalis, si duos vel tres vltimos sine causa omittit: sic etiam censetur, si in tota recitatione hinc inde omittat tot versus, qui eosdem psalmos in quantitate adaequant. Hinc enim perinde ac illinc contingit notabilis mutilatio integræ recitationis, impediens ne votum de ea factum iudicetur impletum: quia leues ipsæ omissiones sic multiplicantur, vt in totalem quandam coalescendo, vna accipiat per aliam incrementum: in quo, cum per multiplicationem ventum fuerit ad propositam æqualitatem, violatio quæ illum inducet, erit peccatum mortale: quia licet materia in qua committitur sit de se leuis, non est tamen secundum eam rationem, qua præcedentibus superaddita in vnius materiæ grauis complementum, habetur pro graui.

At vero quando multi actus leues, sunt materia totalis singulorum votorum, ita vt sigillatim ac diuisim adimplendi sint: quia tunc nulla est eorum vnio, qua vnus augetur per alium: nunquam per multiplicatam violationem ipsorum venialem, peruenitur ad aliquam mortalem. Nec enim ex venialibus, quantumcumque sint numero, efficitur vnum mortale. Hinc si quis vouit in singulos dies vnam orationem dominicam recitare spatio vnius mensis: licet per omnes illius dies, eam recitationem omittat, non committit maius peccatum in vltima quam in prima die. Sicq; datur excusatio à mortali: quando actus leuis, materia est totalis voti: quæ non datur quando tantum est materia partialis.

238. Septimum documentum, quod traditur à Caiet. in verbo *Votum cap. penult.* est, Eum qui non potest ex toto implere votum, teneri saltem ex parte qua potest: sicut qui non potest soluere totum debitum quod contraxit, tenetur soluere partem quam potest. Et qui non potest ieiunare totam Quadragesimam, debet partem quam potest. Et qui vna refectione contentus tunc esse impeditur, tenetur à veteritis cibis abstinere. Quod enim contingit in materia præcepti, pariter existimandum est contingere in materia voti: quod habet præcepti modum & ratione quandam. Ad idem facit, quod ex regula 37. iuris in 6. vile per inuile non debeat vitari.

Aduerte autem tunc documentum hoc locum habere, cum voti materia fuerit diuisibilis: vt censetur esse quando constat multitudine & collectione actuum separabilium à se inuicem. Si enim indiuisibilis fuerit: siue ex se, siue ex intentione vouentis: qua nolit aliter se obligare, quam prout in ipsius potestate fuerit totum implere: id ipsumq; non possit, excusabitur non tatum ab implendo illud, sed etiam illius partes quas potest: cum earum adimplitione voto satisfacere non valeat. Videndus est Suarez tract. 6. De relig. li. 2. c. 2. In cuius quoq; initio docet, quod obseruatione dignum est pro praxi: votum de materia impossibili, non obligare ad aliquid loco eius præstandum: quia votum non obligat ultra intentionem vouentis: quæ non est obligandi se ad aliud, quam ad id quod vouet, nisi illud in hoc fuerit inclusum: vt est cælibatus, aut non petere ab vxore debitum: in perpetua castitate.

239. Octauum documentum est, Peccatum esse mortale vouentem penitere voti facti, si penitentia includat propositum non implendi illud. Hoc de se manifestum est: quia propositum non implendi votum, & non implere sunt eiusdem malitiæ: quemad. Caiet. 2. 2. q. 88. art. 6. Sotus lib. 7. de iust. q. 2. art. 4. ad 2. & Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 55. annotant. Sed aduerte non esse idem sentiendum quando talis penitentiæ tantum includit propositum, se ab obligatione quam contraxit vouendo, liberandi per dispensationem aut commutationem legitimam, factamve legitima autoritate Superioris, atque iusta de causa, quandoquidem neutra harum est peccatum.

Iam si eadem penitentiæ non excludat sed includat propositum adimplendi votum factum, Nauar. ibid. cum Angelo *Votum* 3. num. 13. dicit non esse peccatum saltem mortale. Syluest. vero, votum 2. q. 20. absolute ait nullum peccatum esse, si adit rationalis penitentiæ causa: quod etiam locis citatis volunt Caiet. & Sotus. Qui addit id

præsertim verum esse, quando emissum est votum de re ardua: & is qui vouit experitur difficultatem, quam si præcognouisset non vouisset. Pro Syluestro autem facit hæc ratio: quia potest quis absq; peccato nolle vouere: ergo pariter potest nolle vouisse: quandoquidem vtriusque illius actus, idem est obiectum: quod per solam habitudinem ad diuersas temporis partes, non variatur in bonitate & malitia morali. Sicut ergo ante votum emissum non fuit obligatio gaudendi de illo emittendo, ita nec est non dolendi de emissio. Immo nec illud implendi sine vlllo tali dolore, quod plerique esset valde difficile. Aduertendum est tamen si ex tali penitentiæ oriatur probabile periculum non adimplendi votum, eam mortali malitia non carere: qui enim amat periculum peribit in illo. Cum veniali autem solum foret, si solum esset periculum, languidius implendi votum ex Caiet. & Soto in *istis locis*.

CAP. XVIII.

De materia voti.

SYMMARIVM.

- 240 Tres condiciones, quas materia voti requirit.
 241 Aptissima voti materia est opus supererogationis.
 242 Bonum positum in præcepto, potest esse voti materia.
 243 Quod sit de tali materia, non obstat, quin sit proprie votum, nouam inducens obligationem. Quodq; multiplicatio vnius eiusdemq; voti non multiplicet obligationes, sed solum confirmet primam.
 244 Validum esse potest votum de nunquam peccando mortaliter.
 245 Non item de nunquam peccando venialiter, aut absolute de nunquam peccando.
 246 Explicatio difficultatis, An apta voti materia sit, quidquid bonum est moraliter.
 247 Bonum positum in hominis libertate, quod inhabilitat ipsum ad seruandum consilium Euangelicum, materia est incepta ad votum.
 248 Moraliter bonum, vt sit apta voti materia, debet esse melius suo opposito.
 249 Solutio duarum rationum contra inualiditatem voti de matrimonio contrahendo.
 250 Casus in quibus tale votum censeri potest validum.
 251 Explicatio difficultatis, An validum sit votum de ingredienda religione laxiori.
 252 Votum de re indifferenti quatenus indifferens est, validum non est.
 253 Est autem, quatenus de eadem reddita bona moraliter, ex circumstantia boni finis.
 254 Corollaria quæ ex ea doctrina deduci possunt.
 255 Tres casus in quibus facere votum de materia incepta, peccatum est mortale.
 256 Alij casus in quibus id tantum est peccatum veniale.
 257 Vouere actum venialiter malum, est suo genere mortale.

240. **M**ATERIA voti, seu illud de quo votum fieri debet, tres condiciones requirit, vt intelligitur ex doctrina D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 2. Prima, vt sit actus humanus, seu quæ exercere, vel nō exercere liberum sit vouenti. Nam si actus sit, quem vel exercere, vel non exercere situm non est in ipsius potestate, inepte peculiariter obligatione adstringet se ad id, quod velit nolit, ei continget. Secunda, vt sit opus bonum: vt pote quod debet gratum esse Deo, cum votum sit promissio facta Deo, quæ ipse non acceptat nisi factam de re sibi grata. Nihil autem quod bonum non est, Deo gratum est. Quapropter votum non nisi de bono fieri potest. Et ita communis Doctorum omnium sententia est, vt Suarez testatur in tract. 6. De relig. lib. 2. in initio capitis 4. actum malum non posse esse obligationis voti materiam: alioqui enim esset obligatio ad illum exercendum, adeoque ad peccandum, quod absurdum est. Vnde dicitur 2. 2. qu. 4. In malis promissis rescindit fidem: in turpi voto, muta decretum: quod incaute vouisti ne facias: impia est promissio quæ scelere adimpletur.]

Tertia conditio est, vt idem bonum opus non sit tale, quod ex se priuat hominem aliquo bono, quod maius sit, quodque magis placeat Deo. Ratio est, quia vt homo per votum maneat obligatus Deo, necessarium est omnino vt Deus ipse acceptet illud quod ei promittitur. Ac non est credendum, quod Deus acceptet ab homine bonum, per quod priuat se bono meliori: ac obijcit sibi impedimentum ascendendi ad perfectionem maiorem: ad quam solet Deus ipse iuuare & promouere sibi deuotos: prout bene ad cit. D. Thomam art. 2. notat Caietanus. Quibus conditionibus consentaneæ, satisfaciendum est varijs difficultatibus, quæ circa propositam materiam mouentur.

241. PRIMA EST. Quam aptissima voti materia. Ad cuius solutionem dicitur, bonum esse supererogationis seu consilij: vt ingressum religionis, ieiunium extra tempora ab Ecclesia præscripta, confessio facienda singulis mensibus, & alia eiusmodi opera. Namque talia maxime omnium, sita sunt in libera nostra potestate. Hæcque est doctrina expressa D. Tho. in cit. art. 2. & post ipsum Richardi in 4. distin. 38. art. 3. quæst. 2. & Soti lib. 7. De iust. & iure quæst. 1. art. 3. conclus. 5. qui eam aduersus hæreticos propugnari in præced. art. 1. vt & nonnulli alij recentiores: quibus Suarez in tract. 6. De relig. lib. 1. cap. 1. nouissime accessit: sed non est nostri propositi in eo hærete.

242. SECUNDA DIFFICULTAS EST. An bonum positum in præcepto: vt non fornicari, ieiunare Quadragesimam, & aliud huiusmodi, sit apta materia voti. In cuius & sequentium gratiam aduertit, constare quidem necessarium necessitate naturali (quale est hominẽ tandem mori) haud esse materiam voti: sed incertum esse de necessario morali: quale est quod, cum sit præceptum, licite omitti nõ potest: & cum sit prohibitum, licite fieri non potest: etsi absolute sit in hominis libera potestate: tum omittendum facere: tum faciendum, omittit. Atque de tali necessario mouetur proposita difficultas: de qua in vtramque partem auctores & rationes Suarez habet in eodem tractatu, lib. 2. cap. sexto: & affirmantem, quæ est D. Thomam in eodem art. 2. tuetur cum Caiet. ad eundem articulum & Soto in memorato art. 3. alijque Thomistis: quibus Nauarrus in Enchir. cap. 12. num. 25. & 34. & passim recentiores assentiantur. Respondetur ergo ad eam ipsam difficultatem affirmatiue: nempe de eo quod est in præcepto, votum sic fieri posse: quod patet ex vsu in Ecclesia recepto vouendi nõ solum abstinentiam à nuptijs, quæ non est in præcepto: sed etiam abstinentiam à venereis voluptatibus extra matrimonium: de qua est præceptum. Non nec hæbetis. Confirmaturque à simili: si enim ad præstanda qua tenemur ex præcepto, possumus adhuc nos obligare iuramento (vt si iurem me ieiunaturum Quadragesimam) poterimus etiam voto: maxime cum id ipsum ieiunium, melius, laudabilius, maiorisque meriti inde reddatur: accedente ei bonitate virtutis religionis, ratione voti. Similiter si quis ex contractu tenetur ad solutionem alicuius debiti, potest adhuc promissione se ad eam dẽ adstringere, poterit pariter quis se Deo adstringere voto, ad implendum quod tenetur ex præcepto.

240. Accedit quod obseruatio præceptorum necessaria sit quidem, non tamen naturaliter & absolute: sed solum moraliter & ex suppositione finis, qui est æterna salus: ad cuius consecutionem præceptorum obseruatio omnino requiritur, iuxta illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Vnde fit, vt cum eadem obseruatio naturaliter, absolute sit in nostra potestate: ipsa possit constitui ex ea parte, materia voti: per quod adstringamus nos nouo vinculo, ad modum illius qui cum tenetur lege iustitiæ depositum reddere, ad idem se nouo iurifurandi vinculo adstringit. Rationes quæ in contrarium obijci possunt cum suis solutionibus Suarez in citato cap. 6. habet. Eas breuitatis causa possumus relinquere apud ipsum videntas: præsertim cum ad securitatem conscientie pro regula abunde sufficiat: quod in ecclesia receptus sit vsus emittendi votum non modo simplex, sed etiam solemne (in professione religionis scilicet & in sacrorum ordinum susceptione) de perpetua castitate: quod idem est ac de non fornicando.

Neque vero audiendi sunt Richardus in cit. q. 2. ad 1. & Angelus, Votum 1. num. 1. dicentes vota eiusmodi large tantum, nec proprie vota esse. Nam contrarium (quod Caiet. & Sotus locis citatis tenent & sequitur Suarez in eodem cap. 6. num. 8.) ex eo patet, quod vere sint promissiones Deo factæ de bono non impeditiuo maioris: atque fieri de re alias debita, non tollat rationem voti, vt nec rationem iuramenti, tanquam vtrique, accidentarium: ideoque non obstat, quin vtrumque priori obligationi nonam superaddat, ita vt vna transgressione committatur duplex peccatum prout tradidimus in tertio documento præcedentis capitis: & specialiter de initiatis sacro ordine Sotus ostendit in 7. De iust. & iure quæst. 4. art. 2. in conclusione responsiua post quartam propositionem. Videri quoque potest Thomas Sanchez in lib. 7. De matrim. disp. 21. quæst. vltima.

Addendum vero est obiter, quod Suarez habet in sequentibus, repetitionem eiusdem omnino voti, non multiplicare obligationes sed tantum confirmare primam: quæ ex primo voto secuta est tanta, quanta possibilis fuit, vt patet à simili, quia si quid promitti alicui aut donari, nihil aliud amplius possum circa illud quam promissionem aut donationem confirmare.

244. TERTIA DIFFICULTAS EST. Quid sit sentendum de voto nunquam peccandi mortaliter. Quæ soluitur dicendo cum Soto in lib. 7. De iust. & iure quæst. 1. art. 3. tale votum vix vnquam esse emittendum, aut consulendum propter difficultatem ipsum obseruandi: emissum tamen obligare, tanquam vere ac proprie votum. In quam sententiam inclinat Nauarr. in Enchir. cap. 12. nu. 65. eamque in tract. 6. De relig. lib. 2. cap. 3. num. 2. Suarez sequitur dicens eam esse communem Doctorum modernorum. Probatur vero: quia licet perdifficilis sit eiusmodi voti materia, non est tamen impossibilis: potest enim quis cum auxilio diuinæ gratiæ, quæ ex se fidelibus semper est parata, omnia ac singula peccata mortalia vitare iuxta Concilium Trid. sessione 6. cap. 15. Tale votum igitur cum sit de bono opere possibili (quod enim per amicos possumus, simpliciter posse censetur) ipsum sane legitimum & obligatorium esse existimandum est.

245. QUARTA DIFFICULTAS EST. Quid sit sentendum de voto quo quis se adstringeret ad nunquam peccandum venialiter. Placet autem quod sentit Nauarr. in citato num. 65. pleniusque tractat Suarez in cit. cap. 3. a numero quarto, tale votum (& multo minus illud quod is adiungit nunquam peccandi) non modo non esse emittendum vel consulendum: sed neque si emittatur, esse validum. Ratio est, quod nemo obligetur ad impossibile, prout habet reg. sexta iuris in 6. Impossibile autem est homini in hac vita ab omnibus venialibus abstinere, etiam cum eo auxilio diuino quod de lege ordinaria fidelibus conceditur, prout habetur ex Concil. Trident. sess. 6. can. 23. Quod tamen intelligit, moraliter loquendo. Si enim metaphysice, ac de potentia, vt vocant, Logica agamus: cum nulla detur contradictio, negandum non est omnia venialia vitari posse: etiam si talis potentia non reducatur ad actum, nisi ex speciali Dei auxilio: prout contigit in Beatissima Virgine, Catholica Ecclesia agnoscit, iuxta idẽ Concil. Trid. in eodem canone. Quod si peras, An is qui absolute vouit à venialibus abstinere, teneatur ex vi voti saltem ab iis abstinere quæ potuerit vitare: vt v.g. iocosa mendacia: prout is qui Quadragesimam ieiunare vouit, sit totam nequeat, tenetur partem quam potest ieiunare. Respondetur absolute non teneri ex vi voti, ab aliquo eorum abstinere: quia tale votum absolute inualidum fuit, tanquam stultum, vt potest factum de sibi impossibili, vt loco cit. Sotus bene notat. Id quod non ita vsuuenit in voto de ieiunanda Quadragesima.

246. QUINTA DIFFICULTAS EST. An quiuis actus moraliter bonus, sit apta voti materia. Eam autem Suarez late persequitur in memorato lib. 2. cap. 7. & 8. Possumus autem pro ordinaria praxi contenti esse duabus generalibus propositionibus tanquam regulis, secundum quas maxime, de talibus iudicandũ est. Quibus præmittere oportet paucis, tria bonorum moraliter, genera distingui:

vnium positorum in precepto: duo reliqua positorum tantum in consilio: inter que, ea secundum genus constituntur que sunt apertissima instrumenta ad bonitatem honestatemque perfectam consequendam (*antonomastice dicuntur consilia Evangelica*) vt abrenunciatio temporalium, custodia castitatis, & professio obedientia: tertium vero genus cetera constitunt: que etiam ad statum perfectionis non spectent peculiariter, tanquam propria illius instrumenta: pertinent tamen ad communem virtutis statum: vt ieiunare, largiri elemosinam, preces fundere, & cetera que dici solent opera supererogationis.

Hoc ita premonito: prior hæc propositio generalis statuitur. Nullum moraliter bonum, quatenus impeditiuum est alterius melioris, esse aptam voti materiam. Pro qua Suarez in citato cap. 7. n. 2. plures adfert auctores. Probat autem hac ratione: quod ea non sit apta materia voti, in qua cum id ipsum non possit obligare, nec potest validum esse. At votum factum de bono, prout est impeditiuum melioris, non potest obligare. Quod probatur: quia obligare in tali materia, idem est ac obligare ad non faciendum id quod est melius: & ideo ad non conformandum se diuinae voluntati: quæ est, ex priori ad Theologiam. cap. 4. sanctificatio nostra: ad quam maxime spectat, vt semper id agamus quod est melius. Quocirca votum tetrahens ab agendo eo quod melius est, non placet Deo: nec displicens acceptatur. Tam si non acceptetur nec obligat vt nec alia promissio non accepta: de qua in sequenti lib. 25. cap. 6. sect. 2. Adde nec conualescere, sed manere inualidum cessante impedimento illo melioris boni: quia ex regula 18. iuris in 6. non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.

Secunda propositio generalis est. Omne bonum honestum nisi sit impeditiuum maioris boni, posse esse aptam materiam voti. Probat autem quia bonum honestum idem est ac virtutis actus: qui quatenus talis, referri potest ad Dei gloriam, & ordinari ad ipsius cultum, sic vt fiat materia virtutis religionis. Quare poterit & voti, quod est eiusdem virtutis actus proprius. Accedit quod omnes eiusmodi actus possint mediante voto obedientia, cadere sub votum: vt cum quis vouet obedire alicui in omnibus, quæ nomine Dei præcepit licitis & honestis. Quare poterit etiam cadere immediate. Nulla enim ratio datur, cur si vnus modo possit cadere, non possit & altero.

247. **Sexta difficultas est.** An actus bonus quidem moraliter, sed inducens inhabilitatem ad sequendum consilium Evangelicum sit inepta voti materia. Hanc quoque late tractat Suarez in eodem lib. 2. cap. 9. in cuius initio admonet eam locum habere potissimum in matrimonio, quod etsi bonum sit, impeditiuum tamen est obseruationis consilij Evangelici de seruanda perpetua castitate, quæ bonum est illo melius, ex priori ad Corinth. cap. 7. & ex aperta definitione Concil. Trid. sess. 24. can. 10.

Tenenda est autem pars affirmans: talem actum nimirum esse ineptam voti materiam: ita vt votum de eo factum non valeat. Nam ea est, prout idem ibidem tangit, communis Doctorum sententia: quæ bono fundamento nititur: quod scilicet votum in tali materia factum, sit impeditiuum maioris boni: ideoque sit consequenter inualidum, iuxta antedicta in explicatione præcedentis difficultatis. Impeditiuum autem in hoc consistit, quod matrimonium inducat vinculum repugnans calibatu: ac statui religioso: qui melior est statu matrimonij, vt constat ex auctoritatibus paulo ante allatis. Deinde non est consentaneum existimare, quod Deo placeat promissio facta ipsi de eo, cuius oppositam consilium. Quod si non placeat, neque acceptatur: & ideo tanquam non pariens obligationem, inualida est.

Denique actus cuius oppositum ordinarie melius est, quam ipsum, ac conduciibilis ad spiritale bonum, non est apta voti materia, quantumcumque alias sit de felicitum. Sic enim quantumuis possit quis licite non ingredi religionem, non potest tamē per votum se ad non ingrediendum adstringere, vt bene notant Syluester in verbo Religio 2. in fine, & Nauar. in Enchir. cap. 12. n. 25. Nihilominus si casus daretur in quo satis esset non ingredi religio-

nem, quam ingredi: votum de non ingrediendo valeret: vt v. g. si quis voueret non ingredi certum monasterium, dum in eo regula non obseruatur, votum est validum, vt expressit Nauar. in Enchir. c. 12. num. 36. nam non ingredi melius est ex circumstantia, quam ingredi: sicque votum tanquam factum de meliori bono, validum est.

248. Quod autem de voto non ingrediendi religionem, absolute dicitur nullam esse, tanquam contrarium diuino consilio, pari ratione dicendum est de voto, quo quis vouerit non mutare, non fideiubere, non dare elemosinam, ac similibus, ex Caiet. in verbo Votum cap. 2. & 2. 2. q. 88. art. 2. col. 3. in principio: Soto de iustitia & iure lib. 7. questione prima articulo tertio, paulo post medium. Similiter, sicut votum non ingrediendi religionem dictum est ex circumstantia cohonestante, reddi validum: pari etiam ratione dicendum est, quod si concurrant tales circumstantie quæ cohonestent, ac oppositum suo meliorem reddant actum non mutandi aut non fideiubendi, aliumve similem; tunc apte liciteque de eo, vt pote bono meliori, votum fiat, ex Soto ibidem, & ex Nauar. in Enchir. cap. 12. numero 36.

249. Ceterum duo sunt quæ peculiariter propositam difficultatem augent quoad votum matrimonij: vnum est, quod matrimonium, vt pote sacramentum à Christo institutum, sit res bona, & Deo accepta. Alterum, quod iuramentum de matrimonio contrahendo valeat: nec possit, perinde ac votum, valere, nisi fiat de eo quod bonum est, cum iuramentum non sit veniale iniquitatis. Ad quorum prius responderetur: matrimonium quidem esse bonum, sed oppositum ipsius esse melius: atque votum debere fieri de meliori bono, tanquam Deo magis grato. Abstinentia autem à matrimonio, seu obliuatio castitatis, melior est matrimonio ipso, prout disertis verbis D. Paulus expressit iniquitatis in prioribus Corinth. cap. 7. Qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, & qui non iungit, melius facit. Ad posterius vero, voti & iuramenti disparem esse in hac rationem, vt ibidem col. vltima Caietana notat. Quia enim votum fit soli Deo, spectandum est in illo, quod sit Deo acceptum. Ipse vero non habet acceptum minus bonum, quatenus impedit maius, prout ante habitum est. Iuramentum vero fit homini, in eius utilitatem: quæ interdum exigit, vt ceteros contractus, sic & matrimonium iuramento firmari.

250. Concedendum est tamen in casu quo matrimonium caderet sub præceptum, cadere posse sub votum: vt quando ipsum fuerit necessarium ad pacem conferuandam in regno aliquo vel prouincia: aut ad satisfaciendum nocumto illato alicui puellæ sub promissione ducendi eam in vxorem: quod vt possit relaxare, stare debeat promissio: tum ad seruandum illius honorem, tum ad efficiendum legitimos liberos ex ea susceptos. De qua re Suarez in citato lib. 2. c. 9. num. 8. Consequenter late tractans alium casum, in quo votum factum de contrahendo matrimonio validum censi potest: nempe cum quis in remedium fornicationis, emissum fuerit propter fragilitatem, qua se tantopere laborare cognoscit, vt nisi matrimonium contrahat, in multa crimina prolapsurus sit. Cuiusmodi votum validum esse potest; cum ex ea circumstantia contrahere sit tali personæ melius, quam cum tanto periculo manere in calibatu. Quod notatum à Caietano, vbi supra, Nauar. commendat in citato cap. 12. numero 43. etque plurimum aliorum sententia, quorum Suarez ipse meminit ibidem numero nono. Cessabit tamen talis voti obligatio, cessante ea necessitate: quia tunc incipiet esse de bono, cuius oppositum melius est.

Deo casu in quo matrimonij votum fit intuitu misericordie, & pietatis (vt cum quis vouet meretricem ducere, vt eam retrahat ab illo malo statu: aut virginem pauperem, vt pudicitia ipsius periclitanti subueniat) nihil amplius dici potest quam ipsum valere tantum, quatenus excludit facultatem accipiendi aliam vxorem: vt sensus sit. Non aliam vxorem accipiam quam illam: qua ratione est de bono meliori, ob circumstantiam nimirum pietatis, per quam, in ordine ad maiorem

Dei gloriam ipsum eleuatur. Et certe si dicatur tale votum sic valere, vt de necessitate talis ducenda sit: idem tanquam maioris boni impeditiuum, censeri debet nullum. Neque enim praedicta eleuatio ex circumstantia pietatis & misericordiae tanta est, quin bonum perpetuae castitatis & status religiosi (prout Concil. Triden. definit. sessione 24. can. 10.) in sublimius statu coniugij.

251. Retta circa propositam difficultatem dubium, An votum de ingredienda aliqua religione laxiori teneat. Ac pro parte negatiua facit quod talis ingressus videatur impeditius melioris boni: nempe ingressus melioris seu perfectioris religionis. Sed opposita pars affirmatiua tenenda est: quia tale votum est de bono inferiori quidem, sed in quo est aliquid pietatis, eleuans aliquo modo hominem vltra communem statum: nec ei tollens libertatem transeundi ad meliorem. Etenim religio, etiam laxior, bonum est praestantius, Deoque gratius, quam ipsius oppositum, seu quam status saecularis: nec impedit quominus is qui illam professus est, possit strictiorem ingredi ex cap. Licet, De regularibus.

Id quod locum habet ex D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. notabili 4. circa principium: quantumcumque votum sit simul de ingrediendo ac perseverando in ipsa laxiori religione: quia id adhuc melius est, quam ipsius oppositum. Si quis obijciat, per tale votum excludi transitum ad strictiorem religionem, negandum est: quia ipsum non fertur in id directe, quo laxior religio opponitur strictiori: sed in illud potius, quod in ea bonum est absolute, Deoque gratius, quam ipsius oppositum: vnde fit vt nec tale votum obstat, quin liceat ad religionem arctiorem transire. Quod si vouentis intentio sit tali voto pracludere sibi viam ad religionem arctiorem: ipsum tanquam impeditiuum maioris boni non valet: vt Syluester expressit votum 1. q. 4. dicto 4.

Aduerte quod dicitur de voto ingrediendi religionem laxiorem, esse pari ratione intelligendum de voto allumendi quemcumque statum pium inferiorem, impeditiuum perfectionis: nempe valere si factum sit absolute de tali bono per se spectato, ac sine intentione auferendi sibi libertatem transeundi ad statum perfectiorem. Et ita si quis absolute vouit tota sua vita seruire in hospitali, tenetur quidem id seruare, non ideo tamen impeditur religiosus fieri si velit, quod est transire ad statum perfectionis: & sic de similibus.

252. SEPTIMA DIFFICULTAS EST, An de indifferentibus, ijsve quae de se nec bona nec mala sunt moraliter (vt de vestienda veste alba: de non eundo ad talem domum, & id genus alij) possit votum rite fieri. Cum D. Thoma autem 2. 2. quaest. 88. art. 2. in fine, & Caiet. ibid. & in verbo votum cap. 2. Richar. in 4. distict. 38. art. 3. quaest. 1. Nauar. in Enchir. cap. 12. nu. 28. & 37. ei satisfaciendum est negando de talibus, vt talia sunt, posse votum rite fieri: quia inutilia sunt & vana, nec de se conducunt ad Dei gloriam, vel hominis salutem: vnde fit vt inepta sint ad votum: quod cum fiat Deo, debet ad ipsius gloriam conducere, nosque ad ipsum, qui salus nostra est, adducere. Et quamuis D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 4. hoc ita approbet, vt dicat nihilominus tutius esse talia vota non frangere sine dispensatione Superioris, qui valeat eam dare. Dicant etiam Angelus & Sylu. Votum 1. ille §. 5. & hic quaest. 4. dicto 3. tutius esse vt saltem a Confessore prius habeatur declaratio. Possimus tamen absolute dicere quod liceat huiusmodi vota propria autoritate infringere, sicut dicunt Sotus lib. 7. de iust. & iure q. 1. art. 3. post §. conclusionem, dubio 2. & Nauar. in citat. num. 37. Cum enim nulla sint ex defectu materiae apta, vt ostensum est, nullam obligationem inducunt. Quanquam vt Nauar. ibidem addit, si quis existimet aliquid tale a se emissum valere, aut dubitet an valeat, non potest absque peccato ei propria autoritate cotrauenire, nisi de veritate effectus sit certior: quoniam ager alioqui contra conscientiam, quod est peccatum; etiam si conscientia fuerit erronea, prout docuimus in praecedenti lib. 13. cap. 8.

253. Aduerte autem quod sicut opus indifferens per adiectionem circumstantiae boni finis, reddi potest moraliter

bonum; sic etiam reddi aptum vt sit voti materia, tanquam eleuatum per bonitatem, quam accipit ex fine in quem ordinatur. Ita expresse notant Caiet. verbo Votum cap. 2. sub finem, & ad memoratum D. Thomae art. 2. colante penultima, & Nauar. in citato c. 12. nu. 28. & in sequenti 36. ac Sotus in dub. 2. supra memorato, vbi rem illustrat apto exemplo, inquit: Tibi loquenti cum homine accidit aliquid ingratum, & ideo vouisti te nunquam cum eo sermonem habiturum: aut forsan ludebas cum eo solis lusorij, & vouisti te nunquam cum tali persona, aut tali ludo, aut in tali domo lusurum: si talis sermo aut talis ludus nullus mali tibi sunt occasio, nec ab eis abstinere, seruit tibi ad aliquid bonum; nullatenus votum tener; sed sic vouere fuit peccatum vanitatis. Sin autem cum tali persona loqui aut ludere tibi est occasio aliquis peccati vel dispendij tuarum rerum, vel alterius periculi, votum tener.

254. Ex qua doctrina iudicare licet non esse vota quae mulieres solent facere de non nendo die sabbathi, vel de non coquendo tunc panem: etiam si addant se in honorem B. Virginis ea facere, prout docent Caiet. in ead. col. ante penultima. Sotus in eod. dub. 2. & Nauar. in citato num. 28. Similiter vana ac nulla esse vota de non lauando aut peccando capite, die item sabbathi in honore eiusdem Virginis: vel de non comedendo capite in honorem S. Ioannis prout quoque notant D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 4. Sylu. Votum 1. quaest. 4. dicto 3. Nauar. in seq. nu. 57. Ratio vero est: quia talia de se, non important magis bonum mortale, & quod ad Dei gloriam & aeternam salutem conducant, quam ipsorum contraria, vt bene ibid. ait Caiet. Bene quoque ad dens secus sentiendum esse, de voto cessandi ab operibus seruilibus in reuerentiam Beatae Virginis: quia eiusmodi cessatio expeditiorem reddit ad cultum diuinum: eaque ratione conducit ad Dei gloriam. Idem pari ratione sentiendum esse de voto non nendi die sabbathi, vt recitari possit Rosarium, expresse Nauar. in citato nu. 28. Ratio autem est quod in tali casu derur aliquid quod ad honorem Beatae Virginis pertinet, vt pertinet recitatio rosarii: quod non accidit in voto facto tantum de non nendo in honorem eiusdem Virginis; quia constat, id ad eundem honorem nihil pertinere de se, vt nec ipsius oppositum. Quam rationem Caiet. attingit loco citato.

Ceterum votum factum de indifferentibus coonestatis ex circumstantia, obligat tantum quamdiu circumstantia ipsa durat prout notatum est a Caietano in verbo votum cap. 2. in fine & cap. 4. atque 2. 2. quaest. 88. art. 2. col. penultima. Itemque a Soto in ead. dubit. 2. & a Nauar. in cit. nu. 28. Et ratio est: quia cessante eiusmodi circumstantia, cessat coonestatio operis, ex qua habet vt possit esse apta voti materia.

POSTREMA DIFFICULTAS EST, Quod peccatum committat is qui votum de materia non apta facit.

Circa quam notandum est ex Caiet. in verbo votum cap. 2. Eum qui de facto vouet aliquid illicitum, aut contra consilium, vel in differens: quia voto abicitur contra reuerentiam Deo debitam, peccare aliquando mortaliter aliquando venialiter, nisi ignorantia excuset. Ac mortaliter quidem (vt idem Caiet. ibid. habet, & cum eo Armilla verbo votum nu. 1.) in tribus casibus.

255. Primus est cum vouet aliquid quod est mortale, vt occidere aut mutilare: quem etiam habent Nauar. in Enchir. cap. 12. nu. 28. Sotus lib. 7. de iust. q. 1. art. 3. paulo post quintam conclusionem, Sylu. Votum 1. quaest. 4. dicto 3. & tangit D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 4. in principio. Ratio vero in promptu est: quia in eo fit Deo grauis iniuria: cum tale votum, non promissionis boni placentis Deo, sed coinationis mali displicentis eidem, rationem habeat: ideoque blasphemum sit. Vbi aduerte ad blasphemiam non esse opus vt verba blasphemia proferantur ex voluntate malum inferendi Deo: sed sufficit, vt talia sint quae inuoluerint in sua significatione aliquid Deo penitus indignum. Id quod procedere etiam si proferantur sicte & sine animo promittendi & perpetrandi peccatum de quo fit votum, Suarez docet in tract. 6. de relig. lib. 5. cap. 2. num. 7. vrens hac ratione: quod si graue malum sit minari Regi, etiam si id fiat sine animo illud inferendi, moraliter censetur

gravis iniuria, saltem ob verborum temeritatem & contumeliam: multo magis censeri debet respectu Dei, saltem ob voluntatem proferendi verba, quæ gravis blasphemiam habent rationem.

Secundus casus est: quando quis ita vouet aliquid contra consilium: vt v. g. non mutare vt velit se obligare etiam pro eo tempore, in quo idem consilium habet vim præcepti: seu, quod idem est, pro tempore gravis necessitatis. Hunc idem Caiet. 2. 2. q. 88. art. 2. col. 3. refert: & post ipsum Nauar. in eod. c. 12. n. 29. & 35. ac Sotus in memorato art. 3. paulo ante solutionem argumentorum. Satisq; probatur ex precedente casu, cuius tunc rationem induit: cum taliter vouere perinde sit, ac vouere aliquid mortaliter illicitum.

Tertius casus est: cum quis talia vota emittens, satis quidem aduertit quid faciat, se nimirum attribuire Deo quod ei minime conuenit (quale est eiusmodi votorum vincula acceptare) nihilominus prudens, & sciens vult se illis adstringere. Tunc enim quoddam blasphemiam peccatum committitur: vt pote quo tribuitur Deo, quod est ab ipso alienum. Hunc quoque casum Caiet. ipse habet in memorata col. 3. cum eoq; Sotus in citato art. 3. paulo post §. concl. & paulo ante solutionem argumentorum, ac etiam Armilla in verbo *Votum num. 1.* Intelligendus est autem cum hac exceptione: nisi quis talia voueret bona fide, putans quid huiusmodi Deo parum displicere (sicut peccata venialia nimirum) quoniam sic non excluderet charitatem, & ideo peccaret solummodo venialiter, vt idem Caiet. habet in memorato num. 35. addens bene leuius futurum, si minime aduerteret se in eo rem Deo ingratam admittere.

256. Venialiter autem solummodo peccare eum qui de materia indebita votum facit: contingit imprimis quando votum sit de indifferentibus, vt in eod. supra cit. c. 2. Caiet. annotat, cui consentit Sotus in dubio 2. post præmemorata quintam conclusionem: inquit tale quid vouere, peccatum esse vanitatis. Pro quo facit, quod et si talis materia non sit apta voto, vt ante ostensum est, iniuriosa tamen & contumeliosa Deo non est: nec illam vouens significat aliquid de Deo, repugnans ipsius bonitati, sicut vouens aliquid peccatum, vt censeri debeat in re leui, tanquam blasphemus peccare mortaliter. Contingit præterea cum votum sit de ijs quæ opposita sunt consilijs, vt de non mutando, vel de non fideiubendo extra extremam necessitatem, vel de nõ ingrediendo religionem: quia nisi id fiat ex contemptu eorumdem consiliorum, aut sub aliqua ratione mali, per quam ipsam repugnet diuinæ bonitati, non habet aliam malitiam quam vanitatis: qua minus bonum meliori anteponitur. Quæ est doctrina Caiet. ad antea memoratum artic. 2. col. 3. Nauarri in eod. cap. 12. num. 29. & Soti in citato art. 3. paulo ante solutionem argumentorum.

257. An autem idem contingat etiam, quando votum sit de veniali, difficultas est, quam consequenter Suarez tractat loco cit. num. 8. & aliquot sequentibus, atque cum Caietano contra Sotum tenet peccatum esse mortale, votum Deo facere de peccato veniali: si quis ita vouet cognoscat & aduertat quid faciat: nempe se attribuire Deo approbatione peccati, sine qua tale votum nequit acceptari. Quia igitur peccatum veniale leue quidem est de se: sed ex circumstantia irreligiositatis, per quam offertur Deo, graue est, valdeq; ei iniuriosum (vt pote destruens si fieri posset, ipsius infinitam bonitatem, quæ non patitur secum approbationem cuiuscumque peccati) fit vt quantumcumq; illius perpetratio non sit de se mortalis: sit tamen illius promissio facta Deo, tanquam blasphemia: vt pote quæ de facto est velut assertio, quod Deo talis culpa placeat: & ex consequenti, quod ipse non sit summe bonus. Quia in re excusatio à mortali ex leuitate materiae non habet locum, vt confirmatur à simili: quia iurare mendacium quantumuis minimum, peccatum est mortale eo nomine: si Deus illud testaretur, veritas ipsius infallibilis destrueretur.

Aduerte, quod etiam idem bene notat in numero 11. non tantum facere tale votum, sed etiam illud implere, tanquam cultum Deo delatum, peccatum esse mortale: quia id est opere ipso Deum colere peccatis, & obligare

hominem ad faciendum peccatum. Quamquam, prout adhuc idem habet in sequenti num. 13. excusatio à mortali in tali voti materia, potest locum habere ex inconsideratione inuincibili, qua quis non aduertit ad id quod facit, nesciens an promittat Deo necne: aut saltem non aduertens, tali sua promissione aut illius executione, significari eiusmodi opus placere Deo.

C A P. XIX.

De spectantibus ad votum ex parte vouentis.

S V M M A R I V M.

- 258 *Votum factum sine intentione vouendi est nullum.*
 259 *Ad illud nihilominus seruandum compelli interdum quis potest, tum autoritate ecclesie, tum ratione scandali.*
 260 *Ecclesia iuste compellente, tenetur in conscientia seruare votum, qui illud emisit sic.*
 261 *Vouere sicte, de se suo genere solum est veniale: & quando sit mortale ex accidenti.*
 262 *Validum est votum factum intentione vouendi, etiam si factum sit intentione illud non implendi.*
 263 *Quid sentiendum sit de voto facto sine intentione se obligandi.*
 264 *Duo modi quibus actus vouendi censeri potest imperfectus.*
 265 *Imperfectio actus, ex qua tanquam indeliberatus, constituit votum inualidum.*
 266 *Alteri imperfectio actus, qua quoniam non excludit deliberationem ad peccatum mortale sufficientem, constituit votum validum.*
 267 *Ad voti validitatem nec maior deliberatio requiritur quam ad peccatum mortale, nec minor sufficit.*
 268 *Eadem deliberatio potest breuissimo tempore, atque adeo imperceptibili fieri.*
 269 *Quid sit tenendum de votis præcipit ante factis.*
 270 *Quid de factis à commoro ira aut bene potato, aut metu percusso.*
 271 *Imperfectio ætatis qua solemnne votum religionis inualidum redditur.*
 272 *Tale, ne quidem tanquam simplex, valere.*
 273 *Qua ratione spectari debeat eiusmodi imperfectio.*
 274 *Quod votum simplex ante pubertatis annos emissum, valere possit.*
 275 *Quod de legitimo rationis usu non sit indicandum ex certo tempore.*

IN voto ex parte vouentis quinque consideranda sunt ad recte ferendum de illius obligatione iudicium. 1. est fallacia, 2. imperfectio actus, 3. imperfectio ætatis, 4. subiectio vouentis, & 5. eiusdem intentio. De qua tamen commodius dicitur in seq. cap. 20. vt & de subiectione in cap. 21.

S E C T I O I.

De fallacia.

Quod attinet ad fallaciam notandum est ex Caiet. in verbo *Votum cap. 3.* eam in votis contingere dupliciter: vno modo cum vouens non intendit, sed simulat vouere: altero, cum non intendit seruare quod vouet.

Ac priore modo votum est nullum: ad quod confirmandum facit, quod ex cap. *Humanæ aures 22. quæst. 5.* in eius generis actibus humanis, non sint tantum consideranda verba, sed voluntas & intentio: cum non intentio verbis deservire debeat, sed verba intentioni. Facit etiam, quod inter homines, quidquid quis verbo promissorio dicat, si ostendat se non habere intentionem verbis conformem, non existimatur se obligasse. Facit demum lex *Obligationum 1. ff. De obligationibus & actionibus in qua statuitur sine animo obligandi se, nullam oriri obligationem in contractibus.* Quam doctrinam tradens idem Caietan. 2. 2. quæst. 88. art. 1. col. vlt. (& cum eo Nauarri in *Enchir. cap. 12. num. 27. & 38.* Sotus lib. 7. de iust. & iure quæst. prima art. 2. pag. penultima) addit, nihilominus eum qui vouet ea ratione, compellendum esse votum adimplere.

Id quod verum quidem est, quoad forum externum: quia in eo temere ijs crederetur, qui asserunt postquam vota emisissent, se absque animo vouendi, ea emisisse. Etenim dicentes se mentiros, Deo merito iudicatur mentiri quoque hominibus, nisi contrarium aperte ostendant. Sed quoad forum conscientiae, videtur plane tenendum oppositum: quandoquidem reuera quoad Deum, votum fuit nullum: neque vllum ecclesiae statutum apparet, quod in conscientia compellat ad talis voti obseruationem.

259. Quamquam fieri potest, vt quis ad eam compellatur in externo foro Ecclesiastico: quia cum de occultis Ecclesia non iudicet, si in illo foro conser aliquid emisisse votum, quisquis fuerit ipsius animus occultus, compellitur ad illud adimplendum: nec fides ei adhibebitur, iuxta cap. Peritus De probationibus, quantumvis affirmet, etiam sub iuramento, se sicte vouisse. Nam cum eadem via confiteatur se mentitum fuisse Deo, ostendit se indignum esse fide. Si enim mentitus est quando libere vouit: quomodo credetur ei quando contra suam voluntatem cogetur exequi id quod vouit?

260. Caeterum compellus ab Ecclesia in tali casu, tenetur parere: non quidem ratione voti, sed ratione iusti praeccepti legitime sibi impositi: cui si nequeat aliter satisfacere quam mutando animum, poterit & ad id obligari: quia licet voti emissio per se, tantum sit in consilio: per accidens tamen potest quis ad eam obligari: ad vitandam nouam culpam, ex sua priore prouenturam. Sic enim is qui sacrum ordinem suscipere habendo voluntatem expressam non obligandi se ad perpetuam continentiam, compelli potest praeccepto Ecclesiae, ad hanc vouendam: cum id sit necessarium ad vitandam ignominiam, quam status clericalis incurreret ex iniuria sacro ordini illata, per violationem sanctissimae conseruandis in ecclesia receptae.

Quin etiam fieri potest, vt absque specialia ecclesiae praeccepto, ex voto sicte oriatur obligatio, ratione scandali quod sequeretur, nisi illud seruaretur: tamque hoc, quam illud Caietanus attingit in cit. col. vltima his verbis. Et licet sic vouens (sicte intellige) non teneatur seruare promissum ratione voti, tenetur tamen ratione ecclesiae (illum scilicet iuste compellentis) & scandali. Id autem intelligendum est de scandalo, cum ipsum nequit aliter vitari. Nam ex Soto supra memorato, excusari potest in hac re is etiam, qui solemniter vouit sine animo vouendi, discedens in prouinciam in qua votum ipsius non sit notum.

261. Porro vouere sicte, est de se & secundum substantiam actus peccatum solummodo veniale, cum malitiam suam positam habeat in mendacio, quo tantum homini imponitur; non autem Deo, qui falli non potest: ideoque nullum diuinum attributum euertit, vnde dicitur coniunctam habere notabilem Dei iniuriam, mortalis malitiae constitutiua. Nec necesse est eam esse cum graui vouentis iniuria. Potest enim rationem mendacii officiosi interdum habere, vt cum quis ad illud compellitur incusso metu grauium malorum, a quibus se ea ratione liberare intendit. Nec item necesse est cum graui laesione proximi esse, vt manifestum est. Nihil ergo datur vnde censetur per se, ac de se mortalis.

Ex accidentaria conditione vero, mortale esse potest vouere sicte. Primo, si id fieret intendendo fallere Deum (quod nulli nisi stulto potest contingere) quia errorem in fide, atque adeo blasphemiam includeret. Secundo, si id fieret ex contemptu, aut cum graui scandalo: vt si quis religionem sicte voueret in illius derisum; aut cum aliorum graui scandalo. Tertio, si inde fieret, vt aliquis graue damnum iniuste pateretur. Videri potest Suarez de relig. tract. 6. lib. 5. cap. 1. num. 4. 5. & 6.

262. Quod attinet ad alterum modum, tunc contingentem, cum quis etiam si intendat vouere, non intendit tamen implere votum: tenendum est, eum qui sic vouet, votum validum facere, ex illoque perinde obligari ac si animum habuisset adimplendi. Ratio est, quia ex promissione vere facta, sequitur obligatio tanquam naturalis effectus eius. Neque peruersum illud propositum non implendi, eximit ab iplo voti vinculo. Istud habet Caiet. adhuc in columna vltima, Sotus pag. penultima, & Nau. in n. 27. & 38. ante memoratis.

Porro tali modo vouere, perinde ac votum violare, peccatum est suo genere mortale: quia propositum peccandi, & illius executio sunt eiusdem malitiae. Ipsius malitia autem augente ex eo, quod eiusmodi propositum habeat coniunctum animum vouendi, prout nu. 220. antea attingimus. Vnde fit vt peccato violationis voti supetadatur in eo peculiaris deformitas irreligiositatis, qua quis licet sciat Deum falli non posse, nihilque ipsum latere: adeo impudenter se erga eum gerit, vt audeat ei vouere (etiam animo promittendi) secum statuens non implere promissum taliter factum. Qua in re notabilem Dei irreuerentiam contingere, vix negari potest, quin consequenter negandum sit, obligationem esse tale quid apertum in confessione: quod vix homo timoratae conscientiae, sibi in praxi persuadebit.

263. Tertij modi, quo vouens intendit quidem vouere, sed non habet animum se obligandi Caiet. videri potest ideo non meminisse, quod reducatur ad priorem duorum traditorum. Eo enim ipso, quod quis vouet sine animo se obligandi, vouet quoque sine animo vouendi: cum fieri nequeat vt votum sit verum, nec ex eo sequatur obligatio, quae est illius effectus naturalis: adeo vt ex negatione vnius necessario inferatur negatio alterius. De qua re Suarez in memorato tractatu lib. 1. cap. 3. num. 4. & aliquot sequentibus.

Atque inter caetera admonet, quoad eum qui tale votum faceret ex ignorantia: si haec sit praeva dispositio, id est, erroris quo credit se non obligari vouendo, ideoque voueat, non manere obligatum: quia tunc nec explicite nec implicite vult obligari: vt pote existimans se facere actum ex quo nullam contrahat obligationem: vnde nulla dabitur quae censeri debeat libera siue in se, siue in sua causa. Nec obstat quod ignorantia sit vincibilis, quia etsi ea non sufficiat ad excusandum a mortali, tamen sufficit ad impediendam libertatem plenam voluntatis. Sin autem ignorantia sit pura negationis, seu qua nescit quis an votum habeat vim obligandi necne: venientem cum expressa intentione non obligandi se, non obligari: quia voti ipsius est limitatum condicione, quam putat possibilem, vt si votum non obliget, velit vouere. Quod si voueret sine tali expressa intentione, votum valeret: non obstante eiusmodi ignorantia: quia licet ignoret voti naturam: vult tamen ipsum prout in se est, & consuetum esse fieri: quod sufficit ad illius validitatem: sicut ad validum contractum matrimonij sufficit, vt quis velit illud iure more caeterorum, etiam si ignoret illius vinculum esse indissolubile.

SECTIO II.

De imperfectione actus.

264. Quod ad imperfectionem actus spectat, Caiet. in cit. verbo Votum cap. 3. notat illam in votis interdum inueniri per modum primi motus: vt cum fiunt ex sarreptione, id est, sine rationis ad id quod agitur aduertentia, qua deliberatio omnino requirit. Interdum vero fieri per modum defectus plene, & disculsa deliberationis: prout contingit in votis quae fiunt ex metu repentinorum malorum, aut ex magno dolore, aut ex leuitate animi, vel ex pronitate ad vouendum.

265. Prioris autem modi imperfectionem contingentem in vouendo, impedire ne votum validum sit & obligatorium, communem doctrinam esse notat Suarez in citato lib. 1. cap. 6. num. 4. Fundatur in eo, quod excludat deliberationem, quae requiritur ad votum, vt pote quod est actus liber naturae suae, tanquam in hominis arbitrio, de se relictus: prout patet ex initio cap. Licet, De voto. Et confirmatur, quia votum est lex quaedam priuata, quam homo sibi imponit: seu contractus quo se Deo obligat sua voluntate. Praeter Caietanum & alios quorum Suarez meminit, eandem doctrinam expresserunt Armilla in verbo votum §. 6. & Sotus lib. 7. de iust. & iure, quaest. prima art. secundo paulo post vltimam conclusionem.

Vbi & reicit quod tradit Angelus in verbo Votum 1. §. 6. signum esse quod votum indeliberate & ex sarreptione factum sit, si is qui vouit, statim transacta angustia periculi, sit male contentus, ipsumque peniteat quod votum

emiserit. Illa enim displicentia non arguit defuisse illi deliberationem sufficientem. Nam cum etiam qui diu deliberavit antequam voueret, potest postea penitere voti facti: nec tamen ideo negari potest illud fuisse validum, ut nec fuisse factum cum sufficienti deliberatione. Idem signum rejicit quoque Palud. in 4. distinct. 38. quest. 1. definitione 2. & post eum D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. in principio, notab. 6. Sylvest. item in verbo Votum 2. questione 13. Aliud signum adfert ex Pandmit. Suarez in sequen. cap. no. numero 12. si passio ex qua quis vouet tanta fuerit, ut ea non interueniente, nullo modo vouisset. Reijcit autem: tum quia multa per occasionem fiunt, quæ alioqui non fierent, & nihilominus sunt valida, quia non obstant occasione eiusmodi, voluntate sufficienter libera præstius est illis consensus plenus: tum quia, quid homo faceret cessante tali passione: sicut nihil confert ad meritum aut demeritum: ita nec ad voti validitatem aut inualiditatem. Itaque totum relinquendum est prudentis arbitrio, in quo expendenda est potissimum vouentis aduertentia, aut inaduertentia ad id quod egit.

266. Quod attinet ad imperfectionem posterioris modi: si ea non sit tanta, ut excludat deliberationem, quæ ad moraliter peccandum sufficeret: eam non annullare vota, que ipsa interueniente fuerint omnia; adeo ut talia obligent quantumcumque deliberatio non sit habita longo rationis discursu & præmeditatione: nec ita plene, ut nihil relictum fuerit non præmeditatum ac discussum. Ita tenet Paludanus loco citato, & post eum D. Antoninus, Syluester, Caietanus, & Sotus locis item citatis, ac Nauarrus in Enchir. cap. 12. numero 24. communemque sententiam esse monet Suarez in memorato cap. 9. numero 4. Pro qua facit quod iuxta cap. Dudum, De conuersione coniug. votum factum calore iracundiæ non auferentis usum rationis, sit validum. Item quod ex cap. 2. De voto, validum fuerit votum Ierosolymitana peregrinationis, factum à quodam in puerili ætate. Existimandum vero non sit in calore iracundiæ, vel in puerili iudicio adhibitam fuisse deliberationem illam exactam, qua res omnino plene expenderetur, nihil relinquendo indiffusum.

267. Accedit ratio, quam habet glossa ad cap. Mulier. 32. quest. 2. verbo Mulier, quod qui potest se obligare diabolo, possit & Deo. Unde sequitur, posse quem cum ea deliberatione se per votum Deo adstringere, cum qua posset per peccatum mortale adstringere se diabolo. Quod confirmatur: quia dicens requiri maiorem, debet assignare quantitatem, qua debeat excedere. Id autem vix ac ne vix quidem potest cum sufficienti fundamento fieri. Sufficere autem eam quæ satis sit ad peccatum veniale, Sotus loco citato bene reijcit: quia implicatio quædam contradictionis est, aliquem posse sub mortali se obligare, prout fit in voto, cum ea deliberatione, cum qua non posset mortaliter peccare. Regula igitur optima iudicandi de validitate voti ex parte deliberationis, est ut si ea talis fuerit, siue formalis, siue virtualis, quæ sufficeret ad mortale, censetur sufficere quoque ad votum validum. Quo pertinent quæ latius tractat Suarez in seq. cap. 10.

268. Non existimes vero deliberationem ad votum sufficientem requirere multum temporis. Nam breuissime haberi potest, quemadmodum notant Paludanus, D. Antoninus, & Syluester locis citatis: immo adeo breui, ut successio illius imperceptibilis sit: prout ex Caiet. & Gabriele Suarez habet in prius citato cap. 9. nu. 14. Et Nauarr. (habito respectu ad proximum) dici potest significare voluisse in Enchir. cap. 12. nu. 26. docens non requiri, ut deliberatio votum præcedat tempore: quia nimirum tempore præcedens, cum sit discursus, constat inquisitione aliqua, & iudicio de præmissis, ex quibus concludatur, & voluntati proponatur vouendum esse.

269. Ex qua doctrina consequens est, valida esse vota, quæ fiunt ex timore malorum repentinum, aut ex magno dolore, aut ex vehementi ira, aut ex facili propensione ad vouendum. Quanquam ex eo, quod talia sint minus plena (ut pote quibus defuit plenitudo modi vouendi, per exactam scilicet deliberationem, & considerationemve om-

nium quæ ad rem propositam pertinerent) censeari possit subesse causa sufficiens dispensandi in illis. Et ita docent locis citatis Caiet. Paludanus, D. Antoninus, Sylu. & Nauarrus num. 24. & 52. ac Sotus ante solutionem argumentorum. Si quis obijciat tale votum esse imprudens, & ideo non placere Deo, Suarez in fine eiusdem cap. noni responderet: tale votum quoad imprudentiam, & malitiam, si qua forte inde contrahatur, non placere quidem Deo, nihilominus tamen acceptari obligationem adstringentem ad aliquid quod facit ad ipsius gloriam: ideoque est apta materia voti, cum sufficienti deliberatione facti. Adde quod etsi talis modus reprehensibilis sit, fieri tamen possit ut excusetur per inaduertentiam inuincibilem.

Duo autem ibidem Sotus monet notatu digna pro praxi. Vnum est, in talibus votis deliberationem sufficientem ad fuisse censeari debere, cum vouens aduertit probe, ac iudicauit quid faceret: nempe quod tale quid Deo promitteret: perinde ac censeatur deliberatio sufficiens ad peccatum homicidij, cum quis aduertit probe, ac iudicat, se interficere hominem. Alterum est, inique eum facere, qui cum deliberate vouerit ad aliquid obtinendum à Deo: obtento eo, dispensationem peti: qualicet repentina deliberatio talem petitionem permittat, causa tam è vouendi, beneficiumque receptum, ingratitude arguunt petentem.

Idem autem quod de prædictis, pariter sentiendum est de votis, quæ quis iratus, aut bene potatus emisit. Nam nisi ira aut potatio rationis iudicium talis fic abulerit, ut ob eum defectum mortaliter peccare non posset: illa censentur vota valida, ut in iidem locis habent Palud. D. Anton. Sylu. Sotus & Nauarr. Ad quod confirmandum induci potest cap. Sicut nobis, De regularibus: vbi ad voti impletionem obligatur is, qui illud emisit laborans maxima ægitudine: & ideo, ut existimare licet, minus maturo consilio, minusque perfecta deliberatione.

Cæterum quamuis pari ratione validum sit votum, quod quis mortis, alteriusve mali metu correptus emitit cum sufficienti deliberatione: non valet tamen illud quod fit quidem cum deliberatione ad peccandum mortaliter sufficienti: sed per metum ab homine alteri incussum ad hoc, ut illud faceret: iuxta ea quæ circa eamdem materiam Concil. Trident. definit sess. 25. cap. 19. De regularibus. Illam sule persequitur Suarez in memorato lib. 1. cap. 7. & 8. Nobis sufficere possunt tradenda in seq. lib. 25. cap. 4. sect. 1. & 2. Quæ enim illic dicuntur de metu irritante, aut irritabilem reddente contractum, non erit difficile accommodare ad votum, ut ad illius speciem quamdam.

SECTIO III.

De imperfectione ætatis.

Imperfectio ætatis hic dicitur ætas ante pubertatem. De qua notat Caiet. in verbo Votum cap. 3. eam efficere ut solent votum religionis emissum in ea, sit inualidum ex statuto Ecclesiæ ipsius irritantis. Quæ est D. Thomæ doctrina 2. 2. quest. 88. art. 9. & 189. art. 5. ac cum eo D. Antonini 3. part. tit. 16. cap. 3. in principio: Sylu. in verbo Religio 3. quest. 2. & 4. Soti lib. 7. De iust. & iure quest. 2. art. 2. habeturque ex cap. 1. De regularibus in 6. Quod vero ecclesia aliquid tale possit, bene tractat Suarez in tract. 6. De religione lib. 3. cap. 3. quem qui volet consulat, nobis enim sufficere id esse receptum communi vsu ipsius ecclesiæ: de quo patet tum ex citato cap. 1. tum ex eo quod in Concil. Trident. sess. 25. cap. 15. De regularibus, irritetur votum solemnæ religionis: siue à viro siue à fœmina emissum ante expletum annum ætatis 16. vbi etiam irritatur emissum ante annum probationis. Locum vero habet secundum memoratos auctores inualiditas istiusmodi, quantumuis ille qui vouet sit ante pubertatem capax doli, composque rationis sufficienter ad mortaliter peccandum. Locum habet item, etiam si impubes ipse, de patris aut tutoris consensu professionem faciat, prout expressit Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 68. Ratio vero est, quod neutro eorum modorum tollatur inhabilitas illa, quam ecclesia, pro sua in omnes fideles auctoritate, inducit.

272. Sed queret aliquis, An votum ipsum solemniter religionis intra pubertatem emissum, ita nullum sit; vt ne voti quidem simplicis vim habeat. Ad quod Syluester in citata quaest. 2. negatiue respondet, credens obligare tanquam votum simplex: idq; de mente D. Thomae 2. 2. quaest. 189. art. 5. Idem etiam Palud. non obscure innuit in 4. distinct. 38. quaest. 2. negatiue respondet, credens obligare tanquam votum simplex. Contrarium vero tenendum est cum Caiet. ad prius memoratum D. Thomae art. 9. col. 1. & cum Soroto in citato art. 2. paulo ante solutionem argumentorū. Probatur enim aperte ex eo, quod in cap. vnico, De regular. in 6. taliter professio fiat potestatis libere redeundi ad saeculum: quod sane Ecclesia minime faceret, si talis teneretur quantum in se est, religiosum seruare institutum. Ad idem quoque aperte facit Concil. Trident. cum in memorato cap. 16. professionem in quacumque religione, siue virorum siue mulierum, factam ante decimum sextum annum, decernit nullam esse, nullamque inducere obligationem ad alicuius regulam, vel religionis vel ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus. Non debet vero nos mouere quod à Syluest. pro se D. Thomas citetur; quia dubium non est quin huius mentem melius quam ille, assecuti sint Caiet. & Sorotus, eius quoque perperui sectatores ac interpretes commendatissimi. De Paludano autem & D. Antonino dici potest eos tantum significare voluisse, quod impuberes nequeant votum solemniter emittere, licet facere possint votum simplex: adeoque minime id intendisse, quod ex dicto ipsorum illatum est.

273. Porro ea de qua hic agitur pubertas, consideranda est praesertim, penes aetatis annos: vt nimirum nunc secundum ius nouum in Concil. Trident. editum, siue masculus siue foemina, nisi 16. annum expleuerit; & antea secundum ius antiquum, nisi masculus 14. & foemina 12. annum impleuerit, nequiuert valide facere solemne votum religionis: quantumuis ante eam aetatem esset ita doli capax, vt iam haberetur pro pubere, quemadmodum notatum est à Diuo Antonino 2. par. tit. vndecimo cap. 2. §. 6. & 3. p. r. tit. 16. cap. 3. in princip. & à Soto lib. 7. De iust. & iure quaest. 3. art. 2. conclus. 3. Neque refert, quod circa matrimonium (ad quod etiam pubertas requiritur) malitia seu doli capacitas possit eam aetatem supplere, iuxta cap. De illis 2. & cap. finale De desponsatione impuberum. Non refert inquam, quoniam ea de qua loquimur voti inualiditas, non spectatur ex rei natura, sicut inualiditas matrimonij; sed ex eo Ecclesiae statuto, quo impuberes professio nulla est: quidquid malitia aetatem suppleat.

274. Quod attinet ad caetera vota, nihil circa tempus aetatis, Ecclesia de eis praescripsit: adeo vt si quis iam doli capax intra pubertatem susceperit sacrum ordinem, solemni continentiae voto adstrictus esset, vt habent Caiet. 2. 2. quaest. 88. art. 9. & Sorotus in 7. De iust. & iure quaest. 3. art. 2. Eadem quoque ratione, vota simplicia ab impubere emissam censenda sunt valida: si tunc legitimum habuerit rationis usum, ex eodem Caietano ibidem, & in verbo Votum cap. 3. & 2. 2. quaest. 189. art. 5. Id quod verum est, etiam si votum sit simplex religionis, prout Syluester expressit in verbo Votum 3. quaest. 5. cui Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 68. consentit, repudiata contraria (quem Angelus & Rosella insinuanc) sententia.

275. Aduerte autem, quandonam puer legitimum rationis usum habeat, non posse certo definiti ex tempore; quoniam is solet aliis citius & aliis tardius aduenire, vt constat experientia, vnde non est tam ad aetatem quam ad doli capacitatem attendendum: nimirum considerando ac expendendo capiatne quid importet votum Deo facere, prout Caiet. ait in citato cap. 3. Aut an polleat eo rationis vsu, quo possit mortaliter peccare; quod idem est, ac posse diabolo se obligare: si enim deprehendatur potuisse quando vouit, iudicari debet, iuxta antedicta, cum deliberatione ad validitatem sufficienti, vouisse. Quam omnium sententiam esse notat Nauarrus in eodem num. 68. Ad-

dens nihilominus quod possint parentes & tutores omnia taliter ab impuberibus emissam vota irritare. De quare in seq. cap. 21.

C A P V T X X.

De iis quae excusant ab executione voti emissi.

S V M M A R I V M.

- 276 Quatenus ratione dubii, detur excusatio ab executione voti emissi.
- 277 De ea qua datur ratione materiae, generale documentum, cum corollariis ex eo deductis.
- 278 De eo qui vouit ieiunare, & impeditur exequi ob infirmitatem corporis.
- 279 Ingressus religionem non tenetur implere votum peregrinationis Ierosolymitanae: nec tenetur quis seruare votum non rursus faciendi per aliquem vicum, si causa iusta ob quam emissum est, cessarit.
- 280 Impossibilitatis implendi votum, absolute liberat ab eius executione, si illa sit perpetua, non item si tantum temporalis.
- 281 Quando impossibilitas excusatur, nihil necesse est commutationem fieri in aliquid possibile; & cum impossibilitas excusatur solum ex parte, reliqua pars possibile est executioni mandanda.
- 282 Explicatio difficultatis, An femina quae virginitatem vouit, libera sit a voto, si fornicetur.
- 283 Qui votum a se emissum non potest per se implere, non tenetur per alium, exceptis duobus casibus.
- 284 Quatenus ex intentione vouentis habeatur excusatio à voti executione.
- 285 De obligatione ad executionem voti sub conditione.
- 286 De obligatione ad executionem voti, cui definitum est certum tempus: & quid sit agendum, cum nequit quis deprehendere, ad quod tempus voluerit se obligare.
- 287 Quid agendum, cum vultus ex conscientiae suae iudicio deprehendere nequit, an peccet differendo executionem sui voti.
- 288 Responso ad dubium, An qui tempore praefixo non impleuit votum teneatur, alio sequenti tempore implere.
- 289 Quid agendum, quando in idem tempus incidunt duorum votorum executiones incompatibiles.
- 290 Quid sit iudicandum de obligatione ad ieiunium incidente in diem Dominicum, aut natiuitatis Domini.
- 291 Quid sit agendum cum quis scire non potest quondam ex pluribus vouerit.
- 292 Quid cum illud, de quo emissum est votum, recipit maius & minus.
- 293 De loco & tempore in quo votum mandandum est executioni.
- 294 De fine & modo actionis, quod non cadant sub votum.

EXCUSATIO ab executione voti aliquando contingit ratione dubij de voti validitate, aliquando ratione materiae, & aliquando ratione intentionis.

De excusatione ratione dubij de validitate voti.

S E C T I O I.

AD hanc excusationem spectant ea de quibus differunt aliis magno numero citatis Thomas Sanchez in lib. 1. De matrimonio disput. nona, dubio 3. & Suarez De religione tract. 6. lib. 4. cap. 5. Sufficiens ad nostrum institutum complectemur aliquot documentis. Quibus praemittendum est, dubium quoddam esse negatiuum, & quoddam positium: negatiuum quidem, cum intellectus sic est suspensus, vt neutri parti praebeat assensum; quia pro neutra rationes habet, quae sufficiant ad ferendum iudicium probabile: positium vero, quando utriusque parti attribuit assensum, quia pro vtraque, rationes habet sufficientes ad iudicium probabile ferendum. Quod si pro vna tantum parte rationes probabiles habeat (quia scilicet coniecturae quae in alteram occurrunt, adferunt solummodo formidinem, non item euidentiam aliquam moralem) non erit censendus dubius, sed certus moraliter de eadem parte.

Quibus ita premiffis. Primum documentum fit, in quo Doctores consentire Suarez, num. quinto notat, iudicantem probabiliter se non emisisse votum, etiam si rationes forte habeat, quæ probabiliter suadeant oppositum, non teneri ad illius executionem. Ratio est, quia cum probabilitas est in utramque partem: licitum est homini, quam maluerit sequi: prout docuimus in præced. libro 13, num. 86.

Secundum est. Iudicantem probabiliter se votum emisisse: nec habentem in oppositum probabiles rationes, sed solum coniecturas insufficientes ad prudens iudicium, teneri ad illius executionem. Ratio est, quia probabilitas facit certitudinem moralem, quando non est alia similis in contrarium. Nec obstat: quod ea sit cum formidine; siue maiore siue minore: quia humana res non ferunt evidentiam cognitionis quæ careat formidine.

Tertium est. Eum qui dubio negatio dubius est, non posse contrauenire voto suo, antequam diligentiam adhibuerit ad tollendum id ipsum dubium per veritatis investigationem. Ratio est, quia magna temeritate alioqui exponeret se evidenti periculo committendi peccatum mortale, quale est violatio voti. Quod si non suppetat potestas inquirendi, iudicandum erit iuxta sequens documentum, cum quis diligentiam adhibuit quam potuit.

Quartum igitur est: Eum qui eodem dubio negatio dubius est, si post moralem diligentiam adhibitam maneat dubius de voto à se emisso, nec possit probabile iudicium ferre quod emisit illud; non teneri ad executionem illius. Hoc probatur: quia ex regula 65, iuris in 6. In pari delicto & causa, melior sit conditio possidentis. Tali dubio autem dubitans, existimare potest se libertatem suæ voluntatis possidere, quamdiu scire nequit se habere eam vinculo adstrictam. Sic Sotus in lib. 7. De iust. & iure q. 3. art. 2. ait: quando fuerit incertum an impubes rationis vsu iam haberet cum vouit, iudicandum esse non obligari ad voti obseruationem, vt nec obligatur ecclesiastico præcepto de vsurpandis penitentia & Eucharistia sacramentis, dato in cap. Omnis vtriusque sexus De penit. & remissione. Rationes contrarias cum solutionibus habet Suarez in citato cap. 5.

De excusatione ab eadem executione, ratione materiae.

SECTIO II.

277.

EXcusatio ab executione voti, ratione materiae tunc contingit, cum hæc talis est, quæ si interuenisset quædam votum fiebat, impediuiisset ne ipsum valide fieret, quæ admodum notat Caiet. in verbo Votum cap. 4. & est doctrina D. Thomæ in 4. distinct. 38. quæst. 1. art. 3. quæst. 2. ad 1. quam sequuntur Angelus in verbo Votum 3. in principio. Syluest. eodem verbo 2. quæst. 1. Supplementum Gabrielis in 4. distinct. 38. quæst. 1. lit. F. col. 3. Ex qua iidem bene inferunt: quod si materia voti facta sit impossibilis, aut illicita, aut impeditiua melioris boni, aut reddita indifferens, executio voti sic impediatur, vt ab ea qui vouit excusetur: quoniam, vt ante in cap. 18. habitum est, votum à principio de talibus valide fieri non potuit.

Inde autem multa deducuntur. Ac primo, quod si Rex voueat monasterium ædificare, & interea à regno expellatur, ita vt sumptus in eam rem necessarios facere sit ei impossibile, ipse à voti sui executione legitime excusetur: quemadmodum expressit Caiet. in memorato cap. 4. Similiterque dici vniuersæ potest de omni alio, cui ob superuenientem paupertatem impossibile est eleemosynam quæ vouit, facere, ex Palud. in 4. distinct. 38. quæst. 3. art. 4. conclus. 2. & D. Anton. 2. par. tit. 11. cap. 2. §. 4. Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 39. Obiter autem aduerte, quod interdum actus qui constituitur materia voti, possit executioni mandari secundum suam substantiam, non tamen secundum circumstantiam, quæ intentione vouentis sit ei adiecta tanquam necessaria ad obligationem voti: quia scilicet vouens non habuit animum se obligandi siue ea. In quo casu contingit etiam excusatio ab executione voti: quia circumstantia in eo appositæ, rationem habet conditionis suspendentis obligationem. Addita vero tanquam pura circumstantia, nihil tale efficeret: quia tunc haberet tan-

tum modum accessorij, quo cessante non est necessarium principale cessare: vt nec sublato accidente tollitur substantia.

Deducitur secundo paratione: quod si quis vouit ieiunare singulis sextis feriis, & postea sic debilitetur viribus, vt tale ieiunium sit ei illicitum propter notabile detrimentum quod adferret ipsius sanitati (nimirum tanquam habens rationem afflictionis vrgentis in homicidium; ex Soto in 7. De iust. & iure quæst. 1. art. 3. in fine) is legitime excusetur à talis voti obseruatione, quemadmodum expressit quoque ibid. Caiet. & tener Angelus in verbo Votum 3. in principio. Qui nihilominus vult, quod si possit Superior adiri, autoritas ipsius exposci debeat: iuxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. quæst. 88. art. 2. ad 3. vbi non obscure significat, quod si quis magnum & manifestum grauumen sentiat ex eiusmodi voti obseruatione, debeat si possit recurrere ad Superiorem. Quod aduerte intelligendum quoad casum, in quo adhuc est dubium nec apertum an per superuenientem infirmitatem ieiunium ipsum reddatur illicitum. Tunc enim, cum homo in iis quæ ad ipsum pertinent, facile fallatur, consentaneum est ad autoritatem Superioris recurrere. Quoad casum vero in quo materia vitium fuerit manifestum, nihil tale necessarium est, ex eiusdem D. Thomæ in seq. art. 10. & ceterorum post ipsum communi sententia, quemadmodum habet Nauarrus in Enchir. cap. 12. num. 76.

Iam quod prætextu difficultatis quæ in ieiunio sentitur, ei qui illud vouit, non liceat tale votum infringere propria autoritate, existimandum est: iuxta illud quod notatur in supplemento Gabrielis columna tertia ante memorata: nimirum impossibilitatem, non autem difficultatem præstationis, tollere obligationem præstandi quod voto promissum est; prout confirmari potest argumento cap. Quod super his. De voto. Nam ratio eius quod ibi definitur de obligatione redimendi votum, quod propter impedimentum aliquod perpetuum nequit vniuersè impleri: non alia esse videtur, quam quod licet impossibilitas implendi tollat absolute voti obligationem, difficultas tamen non tollat. Atque hinc est ex Soto in 7. De iust. & iure quæst. 2. art. 1. in materia tertii argumenti: quod etiam si emisso voto aliquid difficultatis experiaris, quam si prænouisses non vouisses, non ideo tamen liber sis à voti tui obligatione: sed illud executioni mandare debeas.

Deducitur tertio, quod habet Caiet. in memorato cap. 4. quod si quis post votum Ierolymitanum vult ingredi religionem, possit ea ratione voti executionem omittere: quia illud alioqui esset impeditiuum melioris boni. Idem quoque habet Armilla in verbo Votum num. 10. & satis confirmatur ex cap. Scripturæ De voto.

Deducitur denique, quod adhuc ibid. Caiet. habet, & 2. 2. quæst. 88. art. 2. versus Circa indifferentia: quod si quis vouisset non transire per aliquem vicum, quoniam est ibi mulier à qua attraheretur ad illicita: eadem muliere mortua, posse illac transire: quia talis voti materia, ex moraliter bona, effecta est indifferens: & ideo votum ipsum non ligat amplius. Id quod notant Sotus lib. 7. De iust. & iure quæst. 1. art. 3. dub. 2. post 5. conclusionem, & Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 28.

Dubitari autem potest circa impedimentum impossibilitatis superuenientis. An ipsum absolute, & ad omne tempus excuset. De qua re statuit Paludanus in 4. distinct. 38. quæst. 3. art. 4. conclus. 2. & cum eo supplementum Gabrielis in memorata litera F. col. 2. quod quando non est spes, vt per naturam possibilitatis redeat, vouens liberetur ex voto: quando autem est spes, is excusetur ad tempus, sed non liberetur à toto. Vnde illi inferunt, eum qui ob paupertatem impeditur ab executione voti sui, si ad pinguiorem fortunam perueniat, teneri pro sua possibilitate, siue quoad partem, siue quoad totum executioni mandare, illud quod vouit. Id ipsum significat Caiet. in eodem cap. 4. Inquiens, quod si impossibilitas superueniat toti materiae promissæ, vouens non teneatur ad votum durante impossibilitate. Eademque est D. Anton. sententia 3. parte tit. 11. cap. 2. §. 4. & Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 39. dicentis eum qui redit ad pinguiorem fortunam, vel ta-

nitari

nitari restituitur, totum quod vouit, vel partem eius quam potest, teneri implere.

281. Quod vero tunc temporis non sit obligatio ad votum illud, cuius executio reddita est impossibilis, commutandum in aliquid aliud possibile, notat Sylu. in verbo Votum 2. quaest. 6. Et confirmat per illud, quod supra relatatum est ex D. Thoma: nempe impedimentum, quod ab initio reddidisset votum inualidum, postea superueniens, tollere obligationem illud implendi. Vnde patet nihil esse opus commutatione ad satisfaciendum ei. Capitulum autem Quod super his, De voto: ubi ob impedimentum superueniens fit voti commutatio: Syluester ipse intelligendum esse ait, non de impedimento impossibilitatis, sed difficultatis: quam antea notauimus non tollere voti obligationem.

Ad hæc sicut superueniente possibilitate implendi partem voti, vouens tenetur, prout dictum est, illam exequi, ita etiam superueniente impossibilitate implendi, non quidem totam voti materiam, sed tantum illius partem, executio solum est ab executione eius partis, quam impossibilitas impedit. Id quod locis citatis obseruant D. Anton. Syluest. Caiet. & Nauarr. Et probatur: quia, ex recepto axioma, quæ ratio est totius ad totum, eadem est partis ad partem. Exemplum datur in hac re de femina quæ habens votum simplex castitatis, contrahit matrimonium: quo iam consummato nequit quidem integre castitatem seruare, cum debitum coniugale reddere teneatur: potest tamen seruare aliqua ex parte: nempe non petendo debitum; quod ei liberum est, non obstante matrimonio. De qua re alias cum de matrimonio.

282. De difficultate autem illa quæ hic moueri potest, An femina quæ virginitatem vouit postquam semel corrupta est obligetur deinceps ex vi voti, à Venere abstinere: quid tenendum sit, explicatur distinctione. Si enim vouendo intendit solum à prima Venere abstinere (quia solummodo volebat carnis integritatē custodire) dubium non est, quin postquam semel est corrupta, votum ipsius cesset absolute; ideoque ipsa si velit, possit & contrahere matrimonium: & reddere atque petere debitum si contrahat, prout docent Caiet. 2. 2. quaest. 88. art. 3. col. penultima in principio, & Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 43. Si vero intendit absolute virginitatem vouere, cum tale votum sit simpliciter negatiuum, pura de non cognoscendo virum, etiamsi violata sit: atque adeo virginitate amissa, votum fregerit, eaque de causa sit illi agenda penitentia: adhuc tamen tenetur ad votum ipsum deinceps seruandum, prout ei possibile est: videlicet abstinendo ab omni vsu rei Venereæ. Ita docent Caiet. Nauarr. & Sotus in iisdem locis: estque sententia D. Thome in citato artic. 3. ad 2. & supplementi Gabriellis in eadem columna 2.

283. Adhuc superest dubium circa impedimentum impossibilitatis An is qui nequit votum suum per se implere, teneatur implere per alium. Ad quod respondent Syluest. in verbo Votum 2. quaest. 10. Rosella in eodem verbo §. 13. Supplementum Gabriellis in prædicta quaest. lit. L. col. 2. itemq; D. Anton. & Angelus quos refert & sequitur Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 55. respondent non teneri regulariter. Et rationem reddunt: quia omne votum intelligitur fieri sub conditione, saltem tacita, si mihi possibile fuerit. Additum vero est regulariter propter duos casus ab iisdem authoribus memoratos, in quibus ea resolutio non procedit. Prior est, quando votum tacite saltem, ad tale quid extenditur: vt ipsum meliori modo quo potest impleatur, si impedimentum superueniat impossibilitatis, taliter ipsum implendi, qualiter emissum est. Exemplum illi adferunt ex Innocent. ad cap. Scriptura, De voto, quod est: Si quis voueat perfectionem ad Terram sanctam pro subsidio impendendo aduersus religionis hostes, & superueniat impedimentum perpetuum talis perfectionis: is inde non fit omnino liber, sed tenetur per alium, ac meliori quo potest modo id ipsum subsidium impendere.

Posterior casus est, cum quis vouet aliquid quod certus est se nullatenus per seipsum posse executioni mandare:

tunc enim tenetur per alium implere, ne votum sit derisorium. Ita post Panorm. ad cap. licet, De voto, habent Syluest. Rosella, & Nauarr. locis citatis. Refutantes eos, qui addunt casum quo quis fuerit in mora implendi votum: si quidem neglexerit illud implere quando poterat, vel sua culpa effectus sit impotens ad illud implendum. Namque ad nihil aliud quam ad agendam de sua culpa penitentiam inde tenetur: cum impossibilitas superueniens ex se vim habeat excusandi ab executione voti: quandoquidem ex regula sexta iuris in 6. nemo potest ad impossibile obligari. Si tamen votum fuerit reale, hæres illius qui vouit, tenetur supplere omissionem voti adimpletionem: sicut & soluere cætera debita ipsius, vt in præced. cap. 2. diuisione penult. iam habitum ex Palud. & aliis.

De excusatione ab ipsa voti executione, ratione intentionis vouentis.

SECTIO III.

284. Notat Caiet. in verbo Votum cap. 4. ex intentione vouentis, quando ea fuerit certa, vota recipere posse quæcumque impedimenta, excusatione seu ab executione. Ratio est: quia votum non extenditur ultra limites quos voluntas vouentis præscriperit: vnde fit vt ad illud præcise obliget, ad quod vouens intendit se obligare. Id quod satis indicant verba illa Deut. 23. Facies sicut promitti Domino Deo tuo: & propria voluntate & ore tuo loquutus es. Ratio vero est, quod votum sit quædam lex priuata quam sibi ipsi sua sponte vouens imponit: & ideo talem ac tantam obligationem inducit, qualem ac quantum sibi imponere, ipse intendit. Commune est enim omni lege eatenus obligare, quatenus legislator intendit. Quod si votum absolute emissum sit sine vlla intentione limitatione, oportet (vt ibid. addit Caiet.) casus occurrentes interpretari secundum sacros Canones, & veritatis doctrinam: atque adeo secundum exigentiam materię voti, considerata ipsius intrinseca natura, vel institutione Ecclesiastica, atque circumstantiis eamdem materiam comitantibus aut consequentibus. Sic enim comparatum est, vt intentio vouentis, quæ principaliter fertur in voti materiam, accessorie feratur in eiusdem materię circumstantias, prout illam hæc sequuntur aut comitantur: siue ex natura rei, siue ex Ecclesiastica institutione, vt contingit in Ecclesiastico ieiunio, adeo vt eo ipso quod vouens eas non excludit, nec mutat speciali intentione, censetur implicite ipsas vouere.

285. Porro ex duobus hisce documentis, tanquam fundamentis positis. Inferitur primo eum, qui vouet sub aliqua conditione, non nisi eam secuto teneri ad executionem voti, quod sic intentione ipsius limitatum est. Hoc habent Palud. in 4. dist. 38. quaest. 3. artic. 2. concl. 1. Richard. eadem distinct. art. 7. q. 3. D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 4. & satis indicat D. Thom. 2. 2. quaest. 88. artic. 3. ad 3. Patet autem aperte ex priore fundamento ante posito. Sed tamen (vt bene Richardus ibidem notat) si vouens malitiose impediat euentum conditionis, non erit immunis à peccato violationis voti, quam se velle satis ostendit eo facto. Adde ex Syluestro in verbo Votum 2. quaest. 2. quod vouens, etiam non exstante conditione, teneatur votum suum implere ratione scandali: si nimirum votum fuit publicum, & conditio fuit secreta, vel in corde retenta. Adde item ex eodem ibidem post D. Anton. loco citato: quod si votum factum fuerit sub pluribus conditionibus, nec vouens voluerit se obligare nisi omnibus illis extantibus: ipsum non ante teneri ad voti sui impletionem, quam omnes extent. Ratio patet ex eo quod ante habitum est, votum posse recipere quæcumque impedimenta ex vouentis intentione, quando ea fuerit certa. Sed si vouens sub pluribus conditionibus, nihil de dicta limitatione cogitauerit, aut an cogitauerit necne, discernere nequeat, tunc tutius esse votum adimplere. Imo (inquit Syluest.) id videtur necessarium. Pro quo facit, quod ex cap. Verum de conditionibus appositis, donatum interposita conditione, non possit postea à donatio reuocari. Vouens autem aliquid sub conditione, donat illud Deo sub conditione,

qua posita tenetur illud tradere. Nec enim obstat alias conditiones præter eam additas esse: quia inde non licet potius inferre, copulatiue esse voto appositam ad effectum continuandi suspensionem obligationis, donec omnes sint adimpleta: quam disiunctiue ad effectum terminandi in vnaquaque earum, suspensionem ipsam obligationis.

Cæterum quando ex verbis vouentis constiterit, conditiones esse ab ipso appositam copulatiue (vt cum vouit certam elemosynam si à Principe officium obtineat, & filius recuperet sanitatem) iudicari potest in dubio, tacitam intentionem ipsius fuisse non aliter obligare se voto suo, quam extantibus omnibus appositis conditionibus: præsertim si postea aduertat quod tunc nolisset alia ratione vouere. Ad hoc facit, quod ubi non constiterit de contraria intentione vouentis, is semper intelligi debeat intentionem habuisse faciendi illud quod declarauit verbis, ea accipiendo secundum propriam suam significationem: sique in hac ambigua sint, ea interpretando iuxta verbum commune personæ vouentis, aut suæ regionis: aut iuxta circumstantias alias, ex quarum obseruatione ferri solet potestque iudicium de intentione vouentis. Qua de re pluribus Suarez De relig. tract. 6. lib. 4. cap. 7. dicto 3.

286. Inferitur secundo, ex iisdem positis fundamentis, Eum qui voto adimplendo, definitum tempus sibi præscripsit, teneri si possit in eodem præcise, illud executioni mandare. Itemque eum qui vouendo voluit se ad statim exequendum obligare, teneri statim illud exequi, prout congruenter doctrinæ D. Thomæ 2. 2. quæst. 88. art. 3. ad 3. tradunt Sylu. in verbo *Votum* 2. quæst. 3. Sorus lib. 7. De iust. & iure q. 2. art. 1. circa 4. argumentum, ac Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 41. & 54. Et patet: quia tunc quoad id, certa est intentio vouentis. Quod si is qui vouit, vel nullatenus definiuit tempus voto implendo, vel æquit deprehendere ad quod tempus voluerit se obligare: tunc tempus executionis, seu in quo incipit obligatio exequendi voti, & ultra quod executionem ipsam differre peccatum est; æstimari debet iuxta conscientiam eiusdem vouentis: nimirum vt si conscientia ipsius dicat, quod per annum aut duos annos expectare non sit contra vinculum sui voti, is nõ censetur peccare existendo in mora, tardando reddere Deo tale votum, ex Caiet. in verbo *Votum* cap. 4. & ad prædictum D. Thomæ art. 3. in fine, & ex Nauar. in citato num. 41. Et certe tale votum sic esse pie interpretandum, ratio dicat: cum par sit credere, eam fuisse vouentis tacitam saltem intentionem: præsertim si probabiliter iudicet, quod nolisset tunc ad illud citius implendum obligare se sub mortali. Etenim pro regula generali habendum est ex Sylu. in verbo *Votum* 2. q. 17. in fine: quod homo per votum non obligetur ultra illud quod actu cogitauit, aut quod si cogitasset, voluisset obligari: quia sicut iuramentum non extenditur ad nõ cogitata verosimiliter, ex cap. Quomodo De iureiurando: ita nec votum, cuius par est, ac illius ratio.

287. Sed quæri potest, An si vouens nequeat ex conscientia suæ iudicio deprehendere rationabiliter, vtrum sit in mortali necne, teneatur statim votum adimplere. Ad quod respondendum videtur: quod si nequeat id ex circumstantiis per se intelligere, teneatur exposcere boni viri iudicium, illudque sequi, hoc est, statim votum adimplere, si ita ille definiat: sin contrarium statuatur, dilatio executionis probabiliter censetur licere. In definiendo autem vit ille bonus singulares conditiones personæ & materiæ pensare debet: & aduertere si votum sit intrandi religionem, ipsum de sua natura, non esse ad finem vsquo vitæ differendum: cum is qui illud emittit, intendat Deo in hac vita seruire; quod non præstaret si iam iam moriturus ingrediatur. Idemque iudicium est de cæteris, quibus aliquid vouetur quod in morte non potest satis impleri, ex Palud. in 4. dist. c. 38. quæst. 3. artic. 2. & Syluest. in verbo *Votum* 2. quæst. 5.

288. Inferitur tertio ex prædictis fundamentis: quid respondendum sit ad dubium, An qui voto præscripsit certum tempus, intra quod non impleuit illud, teneatur adhuc ad eiusdem obseruationem: v.g. vouit quis hoc anno ieiuna-

re certos dies, nec id impleuit; an liber sit, vel adhuc teneatur ad ieiunium. Respondendum est enim, quod si vouens illud præcise tempus sibi ad ieiunandum præscripserit ex deuotione, quâ ad illud in Dei, vel alicuius Sancti reuerentiam habuit: transacto eo non teneatur alio tempore ieiunium omittum implere. Id quod annotat Caiet. in verbo *Votum* in fine, Sorus lib. 7. de iust. & iure quæst. 2. art. 1. circa 4. argumentum. & Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 54. perinde scilicet ac ille qui in aliquo die Quatuor temporum aut Quadragesimæ, aut vigiliæ alicuius festi indictum ab Ecclesia ieiunium non seruat, alio die ieiunare non tenetur. At vero si vouens, tempus quidem implendi votum præscripsit sibi: non tamen ad illud, sicut in præced. casu, respiciendo principaliter: sed illud tanquâ circumstantiam externam adiungendo materiæ voti; tunc eo transacto perleuerat obligatio implendi: vt cum quis vouet ieiunare tribus diebus alicuius mensis, si votum intra eundem mensē non impleat, eo transacto durat adhuc obligatio implendi. Cui obligationi cum primum poterit, tenetur satisfacere (quod etiam lucis citatis habent Caiet. Sorus & Nauar.) perinde nempe, ac quando Confessor ieiunia certorum dierum de intentionem vouentis, teneatur Pœnitens, si ea tunc omiserit, eadem postea implere. Cæterum totum istud ex ante traditis fundamentis consequens est: quia in priore casu vouens intendit sibi aliquid imponere (v.g. ieiunium) tanquam onus certæ ac determinatæ diei; non autem in posteriore casu, vt patet per ea quæ ex Nauar. in præced. num. 235. reculimus.

Inferitur quarto ex iisdem propoſitis fundamentis, quod si quis vouit in vigilia sancti Laurentij v.g. non comedere panem: & adhuc postea vouerit nihil comedere præter panem diebus Veneris: si in talem diem vigilia illa incidat, neque vouens sit certus de sua intentione, is teneatur vtrumque votum obseruare, si potest sine periculo grauis infirmitatis: sin minus teneatur illud obseruare quod prius emisit, nisi posterius fuerit præcisius. Veritatis enim doctrina (iuxta quam ex Caiet. prædictis interpretandum esse votum factum sine limitatione intentionis) tale quid exposcit: nempe, vt seruetur votum cum potest: atque vt posterius cum incompotibile fuerit priori, non teneatur nisi sit de meliori bono. Quam resolutionem habent D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 10. & Syluest. in verbo *Votum* 2. quæst. 17.

289. Qui etiam in præced. 16. & ante ipsum D. Anon. in eodem §. 10. de voto ieiunandi in festo alicuius Sancti cum euenerit in Dominica, censet distinguendum: vt si vouentis intentio fuit, se per ieiunium affligere, teneatur tunc iuxta communem Ecclesiæ consuetudinem die Sabbati præuenire: si vero intentio fuit se ad deuotionem maiorem per ieiunium disponere, teneatur eodem die ipsum seruare: quoniam ea etiam ex parte est bonum opus concludens ad Dei gloriam. Quod si neutram intentionem habuerit, quia neuter eorum finium ei venit in mentem, debet vt in primo casu se consueta dñi Ecclesiæ conformare: sin vtrumque intendit, debet idem seruare quod in secundo casu, propter eam dem rationem.

Quo pacto sit interpretandum votum eius qui sine exceptione vouit se numquam esurum carnes in 6. feria, si in eam incidat festum Natalis Domini, habetur aperte ex cap. fin. De obseruat. ieiuniorum: quod talis debeat tunc à carnibus abstinere, prout notat Palud. in 4. dist. 38. q. 3. art. 4. conclus. 4. Addens in sequenti quinta, eum qui vouit certa die vinum non bibere, si celebret debere ablu-tionem nõ aquam sed vinum sumere, quia id præceptum est Ecclesiæ, & non tantum permissio, sicut comedere carnes in die Natalis Domini.

Nonnulla alia notanda in serendo iudicio de excusatione à voti obseruatione.

SECTIO IV.

290. Primum est, de quo Suarez in tract. 6. de relig. lib. 4. cap. 8. à num. 5. cum neque ex verbis neque ex vouentis intentione determinari potest quidnam sit, de quo votum emisit, liberum esse illi ex iis de quibus dubitatur probabili-

ter,

ter, eligere quod maluerit. Nec enim tunc tenebitur amplecti id quod fuerit rigorosius, quia non magis ad illud, quam ad aliud de quo perinde dubitat, obligatur. Hinc idem Suarez num. 6. statuit eum qui vovit, & æque est in veramque partem incertus, voueritne castitatem absolute, an cum determinatione si in aliqua religione admitte- retur, aut voueritne castitatem, non intendendo priuare se vlu matrimonij, sed solum obligare se ad abstinendum ab omni Venerea voluptate illicita: aut voueritne religio- nis ingressum ad eam probandam, an ad profitendum & perseuerandum perpetuo in ea. Statuit inquam in tali- bus, aliisque similibus vouenti liberum esse eligere par- tem minus onerosam, quando vtraque fuerit æque incer- ta. Qua tamen in re procedendum est maturo iudicio, ita nimirum vt diligentia adhibeatur, ad rei veritatem ex- plorandam: atq; verba quibus emissum est votum, ponderentur. Nam si ea ostendant votum esse factum de eo quod rigorosius est, quidquid dubitetur de intentione, qua prolata sunt, standum esse illis ob vehementem præ- sumptionem quam adferunt: nisi coniectura habeantur, quæ sufficiant ad iudicandum probabiliter, quod in- tentio vouentis non fuerit ad æquæ ipsius verbis.

292. Secundum est, de quo Suarez in eodem cap. 8. num. 9. & 10. Quando in voto determinata rei qualitas aut quantitas nequit probabiliter sciri adhibita morali diligentia, ne- que adhibito prudentis arbitrio: neque ex verbis quibus emissum est votum, neque ex circumstantiis materiæ de qua est emissum, neque ex intentione vouentis: determi- nationem eiusmodi relinquit huius arbitrio, tanquam pos- sitam in ipsius potestate, perinde ac si non vovit. At- que hinc est quod ille qui sine limitatione suæ intentionis vovit aliquid, quod potest tum maius, tum minus esse, sa- tisfaciat præstando illud quod est minus. Et ita ille qui vovit in elemosynam dare nummum aureum, cum non omnis talis nummus sit eiusdem valoris, sed alius plus va- leat, alius minus; neque ipse hunc neque illum intenderit determinare (adeo vt voti obligatio non cadat potius in vnum quam in alterum) potest quem velit dare, prout ex- pressit Armilla in verbo Votum numero 21. bene exci- piens, nisi in mente habuerit dare illud quod maius est: aut nisi minus tale sit, quod talem personam vouere Deo, ridiculum videat possit prudenti, nec bona sed mala fide in eo agi.

Pari modo ille qui vovit dare quotannis pauperibus vnam mensuram tritici, quæ in vlu, est diuersæ quantita- tis, nec constare potest quam determinauerit vouendo, potest eam quam velit dare, prout cum Hostien. tenet Angelus in verbo Votum 3. §. 22. & approbat Syluest. in eodem verbo 2. quæst. 15. quamuis iudicent melius esse, vt det eam quam tunc cogitabat, aut quam determinasset si cogitasset. Ad quod confirmandum illi inducunt textum capituli Ex parte De censibus: vbi eum non constaret, se- cundum quam mensuram debitum quoddam ex voto, præ- cise esset in obligatione: responderat illud posse secun- dum minorem mensuram exolui, cessante consuetudinis interpretatione. Qua de re Couar. ad cap. Iudicante De testamentis num. 4 & 5.

293. Tertium est, Quando in vouendo nihil determina- tum est de loco, in quo executioni mandaretur promissum, relinquit in arbitrio vouentis determinationem il- lius, sicut & præcedentium, ob eandem que rationem. Et ita ei qui vovit ingredi aliquam religionem, liberum est ex monasteriis eligere quod velit dummodo in eo religio- se viuatur, professio que feruetur. Nam Doctorum con- sensus est, vt tangit Suarez in eod. cap. 8. num. 11. non satisfieri tali voto, si eligatur monasterium in quo nec religiose vi- uitur, nec professio seruatur. Et ratio est: quia sic non fa- tiat tali voto, quoad ipsius substantiam: siquidem voue- re ingressum religionis; idem est ac obligare se Deo ad as- sumendum statum in quo religiose viuatur. Videri potest Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 45. & 46. Pariratione is qui vovit aliquas preces fundere, tenetur eligere locum in quo possit id facere cum attentione. Hæc enim est conditio, que intime includitur in actu precandi Deum: adeo vt preces illas fundens sine attentione, non satisficiat voto,

vt nec iustificet Missam audiens sine attentione; si vo- uisset audire.

Quartum est Votum negatiuum, se qui in eo naturam præcepti negatiui, quod obliget ad semper & pro semper, eo tempore pro quo emissum est; nisi; addita sit aliqua li- mitatio intentione vouentis. Sic igitur ille qui vovit nun- quam bibere vinum, quoties bibit peccat tanquam voti transgressor: qui vero vovit certo tantum tempore non bibere, toties peccat quoties intra idem tempus biberit, nisi detur iusta excofatio. Votum autem affirmatiuum, sic obligare vt perinde peccetur diu differendo illius execu- tionem, ac eam omitendo, prout iam docuimus in præ- ced. num. 232. additis in num. 233. tribus casibus, in quibus talis dilatio excusatur a peccato. Vide etiam dicta in hoc ipso cap. num. 286.

294. Quintum est, finem voti non cadere sub votum, vt nec finis præcepti cadit sub præceptum (nisi forte expresse vo- uentis intentio fuerit obligare se ad votum ex certo bono sine seruandum) neque enim is qui elemosynam dare vovit eo fine, vt satisficeret pro suis peccatis: vel vovit ieiunium eo fine vt castigaret corpus, censetur violasse votum, si ipsum executioni mandet quidem, non tamén illo ipso fine quo vovit. Ratio est, quia non eo ipso, quod quis aliquo fine motus est ad aliquid vouendum, censendus est vovisse, id ipsum promissum suum exequi ex eo- dem fine. Quare ad id non obligatur. Ad eius conse- quentiæ confirmationem facit: quod interdum datur vo- tum obligatorium, quod non potest impleri eo fine, quo factum est, cum is forte sit malus, ideoque ex eo agi non debeat.

Postremum est: modum actionis non cadere sub vo- tum de ea factum: vt nec sub præceptum de ea datum, nisi is pertineat ad eiusdem substantiam, sicut attentio pertinet ad substantiam orationis: vel nisi vouens directe in- tendat illum includere in voti obligatione. Ratio est quæ habet Suarez in eodem cap. 8. num. 15. quia votum obligat tantum ad id quod formaliter aut virtute per ipsum pro- mittitur. Modus autem actionis non promittitur per vo- tum, nisi is vel in actione ipsa includatur, vel vouentis in- tentione, directe adiungatur materiæ tanquam pars. Quare extra hosce duos casus, modus actionis quæ vouetur, non cadit sub votum ipsam: ita vt arbitrio vouentis relin- quatur secundum eum agere vel nō agere, ad voti imple- tionem. Et ita qui vovit dare elemosynam, etiam si nec ex charitate, nec ex habitu liberalitatis eam det, sed ex vana gloria non censetur voti reus: nec etiam qui vovit ieiunium licet alias imtemperate comedat, voto satisficit, si sumat tantum vnam in die refectionem circa meridiem, nec vtatur cibis vitiatis (quas conditiones ieiunium in sua substantia includit ex Ecclesiæ consuetudine) quia seruat totum quod spectat ad voti substantiam.

CAPVT XXI.

De irritatione voti.

SUMMARIUM.

- 295 Quid sit irritatio voti, & quorum sit potestas irritandi.
 296 Superiores quorum est talis potestas non possunt irritare vota ab inferioribus facta de iis quorum ipsi habent liberam dis- positionem.
 297 Vota que irritari possunt, tenent donec irritentur.
 298 De eo quod vota inferiorum intelligenda sint cum conditio- ne, si Superior voluerit, peccentur.
 299 Diuersa vis illarum conditionum: si Superior voluerit: & si Superior non veniat.
 300 Quatenus valeant vota a Religioso facta de sibi prohibitis.
 301 De aliis inferioribus idem esse dicendum ac de Religioso: & quid de Episcopo.
 302 Irritatio voti facta sine causa ab ha: ente legitimam potesta- tem, tollit illius obligationem.
 303 Ea censeri potest peccatum veniale in irritante, non tamen in illo qui ea vitatur.
 304 Eisi peccet Superior sine iusta causa irritando votum subditi, in quibus antea consensit, valida tamen est irritatio.

- 305 Et ideo subditus non tenetur ad voti sui irritati obseruationem: ne si quidem Superior penitentia ductus, concedat ipsi facultatem illud obseruandi.
- 306 Votum de licentia Superioris emissum à subdito, potest interueniente iusta causa licite reuocari per eundem Superiorem.
- 307 Sententia dicentium vota irritata nunquam reuocari, non habet locum in votis vxorum & seruorum.
- 308 In votis impuberum potest habere locum.
- 309 Item que in votis realis minorum 25. annis.
- 310 Explicatio dubii, an Superiores possint irritare vota subditorum emissam ab eis, antequam essent sub ipsorum potestate.
- 311 Que vota vxoris possit maritus irritare.
- 312 Votum vxoris de non exigendo debitum, maritus irritare non potest; perinde ac potest de non reddendo: & quatenus possit irritare illud prius.
- 313 Votum continentia ab vxore factum quatenus maritus irritare possit.
- 314 Quatenus vxor possit irritare vota mariti.
- 315 Pater irritare potest omnia vota filii emissam ante pubertatis annos.
- 316 Quomodo in hacce accipiendi sint pubertatis anni.
- 317 Que vota filii emissam post pubertatis annos pater irritare possit.
- 318 Votum ante pubertatem à filio emissum quatenus possit post eam irritari à patre.
- 319 Quis præter patrem, possit votum impuberis irritare.
- 320 Que vota serui possit dominus irritare.
- 321 Quantum Superior circa vota sui Religiosi possit, quoad irrationem.
- 322 Valere talis irritatio, etiam si Religiosus per susceptionem episcopatus, postea liberetur ab obedientia, aut etiam si illud fecisset exequendum, cum liberatus fuerit ab obedientia.
- 323 Votum quod Religiosus emisit ante religionis ingressum, Superior ipsius irritare potest, nisi is adhuc sit nouitius.
- 324 Qui comprehenduntur nomine Prælatorum habentium potestatem irritandi vota subditorum: & quod ea possit extendi ad Prælatus monialium.

295.

IRRITARE votum nihil est aliud, quam per subtractionem materie aut libertatis eius qui vouet, illud reddere cassum, seu obligandi vim ei adimere. Vnde irritare alterius votum, non pertinet ad potestatem Ecclesiasticam (& multo minus ad ciuilem, pro quo faciunt que Suarez tradit De religione tract. 6. lib. 6. cap. 2.) sed potius ad potestatem dominatiuam, prout expressit Armilla in verbo Votum §. 12. facitque significant Caiet. in verbo Votum cap. ultimo Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 64. Sotus lib. 7. de iust. & iure quest. 4. art. 1. deduciturque tum ex cap. 30. Numerorum, tum ex cap. Manifestum, & cap. Noluit 13. quest. 5. Cuiusmodi potestas varia est quidem: sed duplex in genere, vna in vouentem, qua huius voluntas ita subordinata est voluntati alterius, vt votum quod emitit, includat in se conditionem, si ipse alter consenserit, aut si non repugnarit. Huius generis sunt potestates patris in filium, tutoris in pupilum, Prælati in religiosum suum: altera vero in materiam voti, qua vouens licet alteri subiicitur, quoad illud de quo facit votum, vt in eo voluntas ipsius pendeat ab illius voluntate. Cuius generis sunt potestates mariti in vxorem, & curatoris in minorem 25. annis, quoad bona quorum habent administrationem: itemque eius, cui res que vouetur est communis cum eo qui illam vouet, aut que debetur ei ex iustitia. Nam tam hi, quam illi alij reuocare possunt tale votum, tanquam factum in suum præiudicium.

Notanda circa irrationem voti spectatam vniuersè.

SECTIO I.

296.

Primum est, ex Caiet. in verbo Votum sub finem tertii capituli: vota quidem subditorum facta de iis in quibus sunt subditi, pendere à voluntate Superiorum: nõ tamen facta de iis in quibus non sunt subditi: sed ea esse absolute valida, tanquam facta de eo quod erat in eorum potesta-

te: vt si vxor voueat non petere debitum coniugale: votum est validum etiam si nollet maritus; cui non est subdita in eo, sed ipsi par.

Secundum est, quosdam posse irritare votum qui nequeunt in illo dispensare, vel illud commutare: & quosdam nõ posse irritare, etiam si possint dispensare & commutare: quosdam demum, qui tam dominatiuam quam Ecclesiasticam potestatem in aliquos habeant, posse vota ipsorum tam irritare quam dispensare & commutare.

Tertium est, vota que irritari possunt, interim dum non irritantur, valida esse; vt notant cum Palud. in 4. distincti. 38. quest. 4. art. 2. concl. 1. Supplementum Gabrielis ead. distincti. quest. 1. lit. V. in principio, & D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 6. circa finem: ad dentes postquam votum irritatum fuerit, vouentem nec teneri illud seruare, nec debere contra voluntatem irritantis.

Sed aduersus illud de voti validitate ante irrationem, merito obicitur aliquis: Omne votum illicitum, esse inualidum. Sed votum quo quis id vouet in quo subiicitur alteri, est illicitum. Ergo & inualidum. Maior patet: minor probatur: quia per illud offert Deo rem alienam, quod non licet, vt nec alias de ea disponere inuito domino, in quo furratio cernitur. Et ita D. Thomas 2. 2. quest. 88. art. 8. in corpore, expresse ait non posse quem per votum se firmiter obligare, in iis quibus alteri subiicitur, sine illius consensu. Quod dictum refert & commendat Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 64. Cui objectioni occurrendum est, subditorum vota habere subintellectam conditionem; si suis Superioribus placuerit: vel si illi non renitentur, quemad. Diuisi ple Thomas habet in eodem art. 8. ad 4.

Cum qua conditione posse absque peccato vota ipsa emitti, est satis perspicuum. Id quod post D. Thomam annotant Syluest. in verbo Votum 3. in principio (recte addens sic vouentem peccare, quando non presunt de Superioris sui consensu: quia vouet quod non potest) & D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 6. in principio. Itaque valida sunt talia vota, quamuis non obligent absolute: sed tunc demum cum exeat conditio subintellecta: puta si Superiori placuerit, aut si Superiori non displicuerit, ex Caiet. in dicto cap. 3. versus Subiectio demum, & Armilla in verbo Votum §. 7. Quorum ille admonet ista, si placuerit, aut si non displicuerit, distinctiue poni: quia quando votum fit de iis que prohibita sunt vouenti; debet, vt ipsum validum sit, subintelligi conditio, Si Superiori placuerit quando vero fit de non prohibitis, debet subintelligi conditio, Si Superiori non displicuerit.

Hinc est, quod si Religiosus faciat votum de iis que sibi prohibentur: sine generali edicto regula, vt peregrinatio, per edictum, de non exuendo extra septa monasterij: siue particulari Superioris prohibitione: vt si quis voueat facere peregrinationem, quam Superior interdicit: subintelligenda sit conditio, Si Superiori placuerit. Sin autem faciat votum de non prohibitis, vt de fundendis aliquibus precibus, subintelligenda sit illa alia conditio, Si Superiori non displicuerit: seu, Si Superior non renitatur: vt ante habitum est ex D. Thom. 2. 2. quest. 88. artic. octauo. Ad quem locum Caiet. columna 1. eamdem doctrinam adhuc habet, & post ipsum Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 67. ac Sotus de iust. & iure lib. 7. quest. 3. artic. 1.

Aduerte autem primo: referre plurimum, vtra conditio dictarum duarum sit subintellecta. Nam subintellecta conditione, Si Superiori placuerit: quam diu deest, expectaturque Superioris assensus, Religiosus non peccat mittendo facere id quod vouit: ex Caiet. ibidem. Quod & aperta ratio conuincit: quia votum conditionatum nõ obligat ante positam conditionem. Subintellecta vero conditione, Si Superior non renitatur; quam diu Superior non renitatur inferiori, is ad voti sui obseruationem obligatur: posita nimirum conditione sub qua emissum est. Hoc etiam habet Caiet. ibid. vt & Syluest. in verbo Votum tertio quest. 3. Nauar. in eod. cap. 12. num. 69. & Sotus in cir. art. 1. Vbi post Syluestrum, refutat quod in contrarium Richar. in 4. distincti. 38. art. 4. quest. 1. absolute existimat vota Religiosorum absque licentia Prælati

facta,

facta, non obligare, esseque nulla ipso iure: adductus præcipue auctoritate Canonis Monacho 20. quæstio. 4. cuius verba sunt: Monacho non licet votum vouere sine consensu Abbatis sui; si autem vouerit, frangendum erit. Quem canonem illi retorquent in ipsum. Nam cum dicitur, frangendum est, satis indicatur tale votum non esse ipso iure fractum ac nullum: etiamsi illud emittendo, peccatum forte commissum sit, non subintellecta conditione debita.

300. Aduerte secundo, Religiosum qui de prohibitis, atque adeo sub conditione, si Superiori placuerit, votum fecit: tene-ri bona fide exquirere mature sui Superioris voluntatem: quo consentiente in votum, tenetur illud adimplere, ex Caietan. & Soto, Armilla locis citatis. Non consentiente vero, votum ipsum exinde irritum esse: si quidem is qui voluit pandat Prælato votum suum: si enim solum peccat ab illo licentiam faciendi opus quod vouit, putans bona fide sibi satis esse, nec addat se de eo votum fecisse: quamvis Prælato tunc licentiam negante ipse excusetur ab executione voti, vt notant Caietan. in verbo *Votum* cap. 3. *versu Subiectio* demum & 2. 2. quæst. 88. artic. 8. *colam. 2. ac Nauarr. in Enchir. capit. 12. numero 69.* id tamen non sufficit, vt votum dicatur esse deinceps irritum, secundum eosdem, & Sotum *libro 7. De iust. & iure quæstio. 3. artic. 1. versu At vero, ac Armillam in verbo *Votum* §. 7.* Ratio est, quod ad hoc vt votum irritetur, requiratur Superioris voluntas irritandi quam non censetur habere, si nesciat votiuum opus esse, de quo fit peti-tio.

301. Aduerte tertio quæ hæcenus de subdito Religioso eius-que votis diximus, similiter de quouis alio subdito vouente esse dicendum, ex Caietan. locis citatis: secundum quem, in eorum numero ponitur etiam Episcopus respectu voti de ingredienda religione: quod ab ipso emissum, interpretandum est subintellecta conditione, si Papæ placuerit: id-eo que tenetur exquirere an ei placeat. Ratio est, quia Episcopo prohibetur religionis ingressus sine Papæ facultate, vt intelligitur ex cap. Nisi cum pridem De renuntiatione: & post D. Thom. 2. 2. qu. 189. art. 7. docent Pallud. in 4. dist. 38. qu. 4. art. 2. concl. 3. Sylu. in verbo *Votum* 3. qu. 1. Sotus li. 10. quæst. 2. art. 4. multiq; alij. Videndus est Suarez De religione tract. 6. lib. 6. c. 2. a. num. 7. ad finem. vbi etiam declarat quatenus tale quid locum habere possit in Clericis qui tenentur Ecclesiæ seruire.

302. Aduertendum est postremo: quod dominatium pote-statem habens, etiamsi pro solo voluntatis suæ arbitrio, & absque vlla alia causa subditi sui votum irritet; nihilominus eum liberet ab obligatione deinceps seruandi quod vouit. Id quod ex Pallud. in *cit. art. 2. concl. 1. & D. Anton. 2. par. tit. 11. cap. 2. §. 6. sub finem*, Nauarr. notat. in *Enchir. cap. 12. nu. 63. & 73.* sequiturq; Sotus in *prius memorato art. 1. & alij* quos re-ferret & sequitur Suarez in *memorato lib. 6. cap. 1. num. 9.* Ratio-que confirmat, quia tunc temporis Superior iure voti vitur in voto facto sub tacita conditione, si ipse consenserit. Nota vero istud procedere quando subditi vota fuerint facta de ijs in quibus vouens subditur irritanti: facta enim de alijs, valent absolute, vt iam supra attingimus: nec per dominatium potestatem irritari possunt. Et ratio est, quia non est neces-sse, in ijs in quibus nihil præiudicatur tali potestati, sicut in alijs subintellectam esse conditionem, si Superior voluerit, aut non resiterit.

Dubia de irratione voti vniuersæ.

SECTIO II.

303. SED DVBITATUR PRIMO. An peccet Superior dum sine causa votum subditi irritat. Atque Pallud. & D. An-ton. locis ante citatis negant peccare: quibus assentiuntur Supplem. Gabr. in 4. *distin. 38. quæst. 1. lit. era X. col. 3.* Sylu. in verbo *Votum* 4. *quæst. 2. dicto 6.* Sotus vero in *lib. 7. De iust. & iure quæst. 3. art. 1.* inquit in hoc culpam saltem venialem committi. Quæ sententia est satis probabilis: quia iure suo quisq; vt debet cum ratione: præsertim in re tanti momen-ti. Pari quoque ratione teneri potest, Religiosum à Prælato suo petentem absq; causa sufficienti, irrationem voti quod emisit non peccare plusquam venialiter. Nam ipse quoque

in eo vitur iure suo. Atq; eam esse commutem sententiam Suarez notat in sequenti cap. 7. m. 16. alias rationes bonas præ ea adferens.

DVBITATUR SECVNDÒ. An si Superior in vo-tum subditi semel consenserit, possit rursus illud irritare. De quo dicendum est primo: certum esse: quod Superior pec-cet, si id faciat sine iusta causa, & pro solo voluntatis suæ li-bito: prout patet ex cap. Manifestum 33. quæst. 5. vbi id af-feritur, per illud Numerorum 30. d. Etum de voto vxoris. Sin autem contradixerit postquam resciuit, *maritus scilicet*, por-tabit ipse iniquitatem eius, nempe vxoris. idq; annotant Cai-et. in verbo *Votum*, cap. ultimo & 2. 2. quæst. 88. art. 8. itemque Supplem. Gabrielis & Sylu. ac Sotus locis citatis. Quod peccatum mortale esse post Caiet. in eodem art. 8. colu. 3. cir-ca medium, habet Nauarr. in *Enchir. cap. 12. nu. 73.* & ex alijs Suarez in *seq. cap. 8. num. 8.* Et ratio est, quia in eo cernitur, vt Caietan. loquitur, violatio & dissolutio vinculi ad Deum: in qua est notabilis irreuerentia diuinæ maiestatis. Cui vin-culo se quodammodo obligauit, quando votum confirma-uit. Concedendum nihilominus est, quod hoc non obstan-te, irritatio ipsa facta sine causa, teneat: ex Caietan. Soto & Nauarr. locis citatis & alijs quos Suarez refert & sequitur in *eodem cap. 8. numero 4.* Ratioque est: quia Superior per prædictum consensum in votum, non abdicat à se potesta-tem irritandi illud, si vult. Nec enim dans licentiam sub-dito, facit eum futuris, aut concedit ei operari vel obligare se aliter, quam à se dependenter: ita vt possit datam licentiã reuocare & impedire opus. Et ita vsu receptum esse videmus in licētis, quæ passim à Superioribus dantur ijs qui sub sunt suo regimini.

Inde autem consequens est, quod subditus interuenien-tes eiusmodi irratione possit abique peccato non adimple-re quod vouerat, quemadmodum ijdem affirmant: & Cai-etan. in dicta columna 3. probat: quia Superior consenti-ens in votum sui inferioris, ei tantum tribuit potestatem ven-tendi ad Dei obsequium re ea quam vouet: nec abdicat à se illius dominium: vt neque is qui tribuit suum vas dandum alteri in pignus, priuat se eiusdem vas dominio: sed tan-tum in dictum usum concedit. Quem usum dum impe-dit per suam dominatium potestatem, alter excusetur à præstanda promissione quæ fuerit de eo facta. Procedit au-tem istud etiam in casu in quo Religiosus de licentia sui Su-perioris tale votum fecisset ex Soto loco cit. contra Richar. in 4. *distin. 38. artic. 4. quæst. 3.* quia eo non obstante, Re-ligiosus manet simpliciter subditus, nec Prælatus ipsius or-batur sua auctoritate. Porro si Superior postquam semel votum sine causa irritauit, penitentia ductus, facultatem illius seruandi restituat subdito: is non tenetur denuo ser-uare, ex Armilla, verbo *Votum*, §. 12. in fine, Rosella *Votum* 2. §. 6. Sylu. *Votum* 4. quæst. 2. dicto 3. Ratio est: quia votum valide irritatum cum annuletur, non resumit vim obligandi, nisi quis denuo voueat. Pro regula enim habe-tur, quemadmodum Sylu. loco cit. notat, quod obligatio semel extincta non reuiuiscat, ex lege Cum ex causa, Cod. De re-missione pignoris.

Dicendum est secundo de proposita dubitatione; quod Superior votum de ipsius licentia emissum, possit si legiti-mam habeat causam, licite irritare, prout expressit Sotus li-bro 7. *De iust. & iure quæst. 3. art. 1.* recte inquit interdum fieri, vt Superior id ad quod bona de causa facultatem con-cessit, quodq; ratum habuit, rite recteq; reuocet rebus mu-tatis. Probatur vero hoc dictum: quia cum in Superiore post datam licentiam, adhuc resideat potestas ita irritandi vota per eam emissã, vt si irritatio fiat de facto, ea valeat, iuxta supradicta: sane adueniente de nouo causa iusta, irrita-tionem (quam de facto tantum, adeoq; cum peccato alias fa-ceret) potest de iure, liciteq; facere. Adde potiori etiam rati-one, posse Superiorem causã legitimã interueniente, reuo-care facultatem quam subdito ad vouendum concessit, si ad-huc res sit integra; necdum subditus ipse votum emisserit. Post illud emissum vero, negandum non est, quin si contin-gat Superiorem qui facultatem vouendi concessit, ad Præla-turam Ecclesiasticam euehi, is licite possit ex causa legitima in voto ipso dispensare: eadem profus ratione quã potuisset si facultatem vouendi non dedisset, ex Caiet. in 2. 2. quæst. 88.

art. 8. colu. 3. sub finem: ubi rationem reddit: quia concessit in sua persona, tanquam Dominus rei promittendæ; & dispensat in persona Dei cuius gerit vices. Vnde non est censendus reuocator suæ concessionis, aut inhibitor seruandæ promissionis, sicut censetur irritatio.

307. DVBITATUR TERTIO. An si vota subditorum sint irritata ab habente potestatem non perpetuam: illa statim ac cessauerit status subiectionis, reuiuiscant; seu robur vimque obligandi resumant. v.g. An seruus quando iam fuerit sui iuris, teneatur implere votum à se in seruitute emissum, etiam si Dominus illius tunc irritauerit. Ac quomuis Nauarr. in Enchir. capit. 12. num. 66. citans Panormit. Caietano ac Angelo, atque Supplementum Gabrielis in 4. distinct. 38. qu. 1. lit. X. sub initium, ac Sotus lib. 7. de iust. quæstio. 3. art. 1. paulo ante solutionem argumentorum, negent absolute talia reuiuiscere. At tamen pro resolutione huius dubij videtur dicendum: si agamus de votis vxorum & seruorum, illa irritari non posse à marito, aut à Domino, nisi pro eo tempore in quo eis præiudicare censentur. Ita vt cessante iure quod habent in tales personas, eæ ad voti executionem teneantur: quia in tantum, non plus, potest quis alienum votum irritare, in quantum ius suum se in eum extendit. Sicq; sentit Palud. in 4. distinct. 38. quæst. 4. art. 2. conclus. 4. & 5. ac idem ex eodem & ex Innocentio in cap. Scripturæ, De voto, ac ex Rosella Votum 2. numer. 7. Syluester refert in verbo Votum 4. qu. 2. dicto 3.

308. Si vero agamus de votis quæ filij impuberes emittunt; videtur omnino admittendum, quod ubi semel à Superiore, puta à patre, irritata sunt, nunquam amplius reuiuiscant restituentur. Talis enim irritatio non tam fit ratione præiudicij, quod votum adfert Superiori, quam quia intra annu 14. masculi, & intra 12. femina, non putantur sufficienti polere iudicio ad absolute & independentem obligandum se votis: ideoq; facta ab illis censentur obligare tantum sub conditione, si Superior, cuius regimini sub sunt, cõsenserit. Quæ consensum, quia irritatio omnino excludit, consequenter tollit omnino obligationem, quæ non nisi illa posita vim habet. Sic igitur quoad impuberes, recipienda est sententia Nauarri, vt & aliorum, qui absolute negat vota impuberum irritata reuiuiscere.

Nulla autem apparet ratio dubitandi quin vota vxorum, vel seruorum, vel personalia filiorum familias, quæ emiserint exequenda illo tempore, quo fuerint sui iuris, nequeant mariti vel Domini vel patres familias irritare. Quia in re omnes consentire notat Nouarr. in Enchirid. cap. 12. nu. 66. Quamquam quod Sotus lib. 7. De iust. & iure quæst. 3. art. 1. ante solutionem argumentorum docet in contrarium, admitti potest quoad vota quæ filij impuberes emiserint sub prædicta forma: seu animo exequendi ea postquam ipsi fuerint sui iuris. Nam patrum potestas in filios impuberes ea est, vt cum voluntas horum sit simpliciter illorum arbitrio alligata (vt Sotus ipse loquitur) illi possint absolute, & non tantum ratione præiudicij, vota eorundem filiorum irritare: adeo vt taliter irritata nullatenus deinceps obligent, nisi denuo legitime fiant.

309. Quod idem videtur regulariter dicendum de votis reabilibus, quæ puberes sed minores 25. annis emiserint exequenda eo tempore quo habuerint suarum rerum administrationem. Nam & hæc possunt à talium patribus, & curatoribus irritari: siquidem horum quoq; potestas irritandi non respicit ipsorum præiudicium: sed in iisdem minoribus defectum iudicij pleni, & sufficientis ad distrahendum alienandumve res suas. Ita docet Sotus sub finem citati art. 1. ad 2. argumentum, & in seq. art. 2. circa medium; & ante eum Syluester in verbo Votum 4. quæstio. 2. dicto 2. Cui doctrinæ contradicit quidem Nauarr. in cit. numer. 66. sed satis bona est ratio qua nititur. Dixi autem regulariter, propter vota filij familias, facta de peculiis castrensi vel quasi castrensi, in quibus alia est ratio propter eorum materiam, quæ non est subiecta alterius, quam vouentis potestati.

310. DVBITATUR QUARTO. An possint Superiores irritare vota subditorum emissã ab eis, antequam essent sub ipsorum potestate. Et quidem Richard. in 4. dist. 38. art. 4. qu. 1. agens de votis quæ vxores antequam nubere emiserunt, & de votis quæ Religiosi fecerunt ante professionem, af-

firmat posse: quod Rosella sequitur in verbo Votum 2. §. 7. & 14. Atq; generaliter, tam quoad ceteros subditos, quam quoad prædictos, asseuerat Sylu. in verbo Votum 4. quæst. 2. in principio. Quorum sententiæ suffragatur: tum ratio, quia per mutationem status in matrimonio, sic mutata est materia voti, vt coniux ipsum seruare nequeat, renuente altero coniuge; cui in iure quod possidet legitime, præiudicaret. Tum etiam D. Augustinus relatus in cap. Noluit 33. quæst. 5. agens de votis vxoris ait: Si adhuc innuptæ concefferat pater vota persoluere, si antequam persoluerit nupsisset, & viro eius hoc cognitum non placuerit, non persoluat, & hoc omnino sine peccato. Quæ verba tam sunt aperta vt in eam sententiam tuto ire liceat: suis tamen limitationibus restrictam. Nempe vt intelligatur de ijs votis, in quibus irritantes, superioritatem habent, iuxta tradita initio huius capituli. Quod etiam loco citato Syluester satis indicauit. Deinde vt, iuxta dicta in explanatione præcedentis dubij, sic accipitur talis irritatio; vt si agatur de votis seruorum & vxorum, ea solum proficit, dum non fuerint sui iuris. Si vero agatur de votis etiam personalibus impuberum, aut de realib. puberum quidẽ; sed minorum 25. annis, irritatio eorum facta à patribus vel tutoribus aut curatoribus, valeat absolute & in omne tempus. Si demum agatur de votis Religiosorum, irritatio illorum per Prælatos fortiatu effectum, iuxta ea quæ in fine huius capituli de illis dicenda sunt in particulari.

De mariti potestate irritandi vxoris vota.

SECTIO III.

DE votis singulorum subditorum, quoad irritationem, sunt particularia dubia, quæ præcedentibus adiungere oportet.

DVBITATUR ERGO QVINTO. An maritus omnia vxoris vota possit irritare. Ad quod Sotus lib. 7. De iustitia & iure, quæst. 3. art. 1. paulo post medium, nonnulliq; alij quorum meminit Leon. Lessius De iust. & iure lib. 2. cap. 40. num. 83. affirmatiuè respondent. Sed oppositum verius esse Suarez ostendit, De religione tract. 6. lib. 6. cap. 4. & satis indicat Palud. in 4. distinct. 38. quæstio. 4. art. 2. conclus. 5. dum vult maritum posse votum vxoris irritare tantummodo, prout per illud læditur ipsius. Idem expresse docet in Enchir. Nauar. ca. 12. n. 65. in fine, cum ait, non posse maritum vxoris vota irritare, nisi ea quæ sibi præiudicant. Item quæ Caiet. in verbo Votum ca. 3. sub finem, cum ait absolute validum esse votum vxoris de non petendo coniugali debito; quia in eo, non subdita, sed par est marito. Idem iudicandum similiter est de alijs votis, in quibus nullum mariti cernitur præiudicium, eo quod fiant de illis; quorum respectu vxor est sui iuris, nec ei subdita: vt de actionibus politis in præcepto: de mandandis executioni tempore viduitatis, si ea euenerit: aut exequendis quidem tempore matrimonij, sed quæ non sint contra mariti ius. De talibus enim emissã vota (vt iam ante ex ipso Caiet. admisimus) absolute, & independentem à marito, valent: proindeq; ab eo irritari non possunt.

Ad quod confirmandu induci potest textus in cap. Quidam, & in cap. Placet, De cõuersione coniugatorum: præsertim supposito, quod ibi agatur de irritatione voti, facta à coniuge, prout ipse quoq; Sotus in eod. art. 1. paulo ante solutionem argumentorum, concedit: vt & Supplementum Gabrielis in 4. dist. 38. quæst. 1. lit. X. circa initium & Caiet. 2. 2. quæst. 8. art. 8. col. ansepenult. Et eædem tanquam antedictis contentaneum sequendu nobis est. Et maxime cum non debeat vxor censeri esse ordinarie ea iudicij tenuitate, vt in omnibus à marito dirigi debeat, perinde ac impubes à parente: illoqui enim omnia sceminarum vota, etiam maiorum 25. annis, essent irritabilia; quod nemo dixerit.

Constitutum sit ergo, maritum vxoris vota irritare posse, non omnia: sed aliqua tantum: nimirum ea quæ præiudicant sibi in vsu matrimonij, educatione liberorum, & gubernatione familie. Non enim est alia subiectio vxoris ad virum, quam quæ nascitur ex vinculo matrimonij, per quod vire est caput mulieris, prout dicitur ad Ephes. capite 5. vers. 23. Sed ex vi talis vinculi, sequitur tantum subiectio necessaria ad matrimonialem statum, seu ad matrimonij vsu, edu-

cationem

carionem liberorum, & familia gubernationem. Ergo maritus ea tantum vxoris vota irritare potest, quæ illi in talibus præiudicant. Vnde inferre licet, quod si vxor vouerit non peccare mortaliter, aut abstinere ab hoc vel ab illo peccato veniali, maritus non possit ipsius talia vota irritare, prout notauit Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 61. Idem quoque asserens de voto ieiunandi ab ea emisso: sed negandum non est, quin si casus contingat in quo tale votum præiudicat marito, is illud quatenus tale fuerit, irritare possit.

312. Licet etiam inde inferre, maritum non posse irritare votum quod vxor emisit de non exigendo coniugale debitum, id est, de non compellendo eundem maritum ad illud reddendum. Nam in eo non præiudicat ipsi, cui non subijcitur ea ex parte, sed sui iuris est: & ideo potest sine facultate ipsius, se taliter obligare, quemadmodum notat Nauar. in præced. numero 60. & patet ex cap. Quidam, & cap. Placet supra memoratis. Secus vero dicendum est de voto non reddendi debitum, emisso ab vxore: quia tale cedit in præiudicium mariti, vt satis patet. Imo & de voto non petendi debitum ab vxore emisso, quando matrimonium inde ipsi marito reddit onerosum, in eo, quod compellatur semper petere debitum: aut quod præ verecundia plerumque petere non audeat, quemadmodum notat Sylu. in verbo Matrimonium 7. quæst. 5. dicto 4. & Nauar. in cit. num. 60. Verum est tamen, quod si vxor votum de non petendo debitum faceret non causa sui, sed tantum mariti ad ei complendum, ipsum non possit ab eodem marito irritari: quia in eius modum, & non in præiudicium emitteretur. Hoc insinuaui Nauar. cum in eodem nu. 60. dixit, votum vxoris de non exigendo & non petendo coniugale debitum, valere quatenus ei soli præiudicium facit. Idemque satis expresse docet Sylu. in verbo Votum 5. quæst. 2. numer. 5. circa medium.

313. HIC QUÆRI POTEST, AN SI VXOR FACIAT VOTUM continentiam de consensu mariti, postquam matrimonium iam est ab ipsis consummatum, maritus ipse possit illud irritare; quatenus præiudicium sibi adfert. De qua re illud certum est, quod si absque legitima causa id faciat, peccet grauiter, iuxta antedicta dub. 2. An vero irritatio totaliter facta valeat, in controversia versatur. Nam Panorm. ad cap. Charissimus, De conuers. coniug. cuius meminerunt Rosella in verbo Votum 3. §. 2. & Sylu. in memorata quæst. 2. circa finem, affirmat valere: cui consentit Sotus lib. 7. quæst. 3. art. 1. pag. 4. iniquens maritum posse omnia vxoris vota reuocare. Et vero Sylu. in ead. quæst. 2. ex sententia D. Thomæ & Ioannis de Neapoli, absolute negat valere; quod Nauar. sequitur in citato cap. 12. n. 61. & sententiam tutiorem esse notat Rosella in citato §. sub finem addens & esse communiorem; eandemque expresse habet Gratianus in cap. Manifestum 33. quæstio. 5. Procedit vero siue ipsa licentia dederit in secreto, siue in facie Ecclesie, seu coram Prelato, vt vult Sylu. ibid. Illud interea concedens, sicut & Rosella, quod si vir non consentit voto, sed solum ad tempus dissimulauit, vxor viro contradicente eidem voto, prout ipse præiudicat, teneatur obedire. Adde quod Paludanus artigit in 4. distinct. 38. quæstio. 2. art. 2. concl. prima: quod si vir facultatem quam dedit vxori votendi continentiam, reuocet antequam ea votum emittat, ipsam non possedinceps vouere, nisi renouata eiusmodi facultate.

314. QUÆRI ADHUC HIC POTEST, AN VXOR QUOQUE possit mariti vota irritare. Respondendum est autem affirmatiue, quoad vota in quibus eiusdem vxoris præiudicium cernitur, ea ex parte qua ei præiudicant; vt recte annotant Sylu. in verbo Votum 5. quæst. 1. & Nauar. in Enchir. capit. 12. num. 65. Pro quo Suarez in citato cap. 4. a num. 8. pluribus authoribus citatis, rationem adfert: quod aliqua vota viri possint esse in præiudicium vxoris; quæ iniqua erunt, ac etiam inualida (vt scilicet Deo minime accepta, tanquam facta de ijs quæ præiudicant tertio) nisi includat conditionem: si vxor consenserit, vel non repugnarit. Sic autem illa pendere ab vxore, idem est ac ea irritari posse. Eiusmodi autem sunt vota realia, quæ maritus implere non potest, nisi dissipando, alienando vel aliquid de bonis vxoris: & personalia quæ vir nequit implere, nisi priuando vxorem vsu corporis sui, aut adiutorio illi ad vitam necessario: vt fieri

potest per longam peregrinationem. Atque hinc, cum vxor & vir quoad debitum coniugale attinet, pares sint iure: vt deducitur ex D. Paulo in priorē ad Corinth. cap. 7. in initio, & ex cap. Gaudemus, De diuortijs, fit vt si maritus voueat debitum non reddere, possit ab vxore tale votum irritari. Quod idem dicendum est, si is votum emitteret de non petendo debitum, quatenus id si militer fuerit eidē vxori, vt sic dicam, præiudicabile & onerosum, prout tangunt Nauar. in citato cap. 12. num. 61. & Sotus in cit. pag. 4. versus finem. Cæterum si uterque pari consensu vouerit continentiam, neuter potest alterius votum irritare, ex D. August. Epistol. 199. quod refertur 33. quæst. 5. cap. Quod Deo. Et ratio est, quia tunc iure suo irritandi uterque cessit: cum neuter sine sacrilegio possit, siue reddere siue petere debitum coniugale. Late de hac re Thomas Sanchez lib. 9. De matrimonio, disput. 39. & quatuor sequentibus.

De potestate patris irritandi vota.

SECTIO IV.

SIXTO PRINCIPALITER DVBITATUR, QUO pacto intelligendum sit, patrem posse filij vota irritare. Ad quod respondetur duabus propositionibus.

315. Prior est. Omnia vota filij siue realia siue personalia, posse à patre irritari, si idem filius illa emisit ante pubertatis annos (qui sunt decimusquartus in masculis, & duodecimus in foeminis: Instituitis Quib. modis tutela finitur; & Cod. Quando tutores vel curatores esse desinant, lege vltima.) Hæc est D. Thomæ 2. 2. quæst. 88. art. 9. colligiturque ex capite Puella, 20. quæst. 1. Ratio vero est, quam habet Suarez in memorato lib. 6. cap. 6. numero 2. quia filius iure naturæ ita est sub potestate patris, vt ante vsum rationis, voluntate patris regi debeat, ac si ea esset suamet voluntas. Et adeptus vsum rationis, licet possit libere operari, quia tamen illam habet valde imbecillam actenuem, consentaneum est rationi, vt per aliquod tempus pendeat à voluntate patris; saltem quoad firmitatem obligationis, quæ se ad aliquid adstrinxerit, ita vt non sit firma omnino, donec pater illam approbet: & maxime in negotio grauissimo, quale est obligationis ad Deum, quæ per votum contrahitur. Quia igitur conditio impuberis vouentis, est vt dependeat à patris potestate cuiuscunque materia respectu: sit vt in omni voto ipsius includatur conditio; nisi pater repugnarit: ideoque & iocum habeat irritatio.

Aduerte autem nos supponere, impuberes vota emittentes, tales esse qui (iuxta superius dicta) eo rationis vsu polleant, vt valide vouere possint: alioqui enim superflua esset irritatio: cum vota hoc ipso quod irritantur, valida esse supponantur: adeo vt merito ab omnibus, vt habet ibidem Sui ex numero 5. reprehendatur sententia Hugonis, sententis quod si puer infra annos pubertatis vouerit apud ad perfecte deliberandum, votum ipsius non sit irritabile.

316. Quo vsque autem censeatur quis infra pubertatis annos manere ad hoc, vt vota eius per patrem ipsius irritari possint, prout iura statuunt, 20. quæstio. 1. cap. 1. Nauar. quidem in citato numero 65. & sequenti 68. ac 70. in principio, innuit non esse sensu per contentum impubere: seu adhuc infra pubertatis annos manere masculum, qui intra 14. & foeminam quæ intra 12. annum, adhuc sit: quoniam impuberes iudicantur tantum illi, qui adhuc sunt in eâ ætate in qua nondum apti sunt ad matrimonium. Constat autem aliquos (malitia supplete ætate) aptos esse ad matrimonium ante illam ætatem. Qua de re Caietan. secundæ secundæ quæstio. 88. art. nono. Sotus in quartum distinct. 35. quæst. vnica art. 5. Couarr. in epitome quarti Decret. par. 2. cap. 5. num. 2. & 3. Verum aperta est Diui Thomæ doctrina in cit. art. 9. absolute, & sine restrictione asserens votum eius qui rationis vsum iam attigit, obligare quidem, sed ita vt possit irritari per parentes; quorum curæ subiectus adhuc manet. Quod est irritari posse à masculo emissum ante 14. annum, & à foemina ante 12. neque par ratio est de matrimonio & de voto: quia annus pubertatis ad matrimonium requiritur, vt recte loco cit. Couarr. declarat, tanquam index aptitudinis ad il-

lud: quæ aptitudo, ut prædiximus, potest annum illum præuenire. Ad votum irritabile vero, talis annus requiritur, tanquam index subiectionis, quæ in puero perseverat donec attigerit annum 14. & in puella donec 12. Eandem D. Thomæ doctrinam expresse tradunt Rosella in verbo Votum 2. §. 3. & Sotus lib. septimo, De iustitia & iure quæst. 3. art. 2. Ex cuius modo loquendi haberi videtur, impuberem esse iudicandum, masculum quidem qui 14. foemina vero, quæ 12. nondum implevit annum. Quod satis aperte expressit Syluester in verbo Impubes: inquit, Impubes dicitur masculus donec cõpleverit 14. annum, foemina vero duodecimum & apertius Palud. in 4. distinct. 38. quæst. 4. art. 2. concl. 7. inquit, congruenter glossæ, ad cap. Firma, 20. quæstio prima, quod non sufficit attigisse; sed oportet esse in fine 12. vel 14. anni ætatis.

317.

Posterior propositio est. Quod si filius postquam iam est pubes; hoc est, si masculus, postquam excessit decimum-quartum annum & foemina duodecimum, vota aliqua personalia emittat, ut ingrediendi religionem, vel ieiunandi certo die, pater nequeat illa irritare; sed filius ipse, etiam illo reclamante, tenentura implere. Hæc habetur ex cap. Puella, 20. quæstio 2. & traditur à D. Thom. secunda secunda quæstio. 88. artic. 9. in fine corporis, & à D. Antonino 2. parte titul. 11. cap. 2. §. 6. dicto 3. Rosella Votum 2. §. 5. Syluestro Votum 3. quæstio 6. Soto in citato artic. 2. & ab alijs communiter. Ratio vero est, præter cæteras, quas adfert Suarez in prius memorato lib. 6. cap. 5. quod de iure naturali ad absolutum valorem voti, requiratur solummodo sufficiens discretio rationis, & materia obligationis capax, sine præiudicio alterius. At in filiofamilias pubere, est plena discretio: prout ius canonicum non temere præsumit. Ergo filiusfamilias potest votum facere firmum & validum, si materia sit honesta; etiam si pater non consentiat: dummodo ei nihil præiudicet. Exemplum est: si voueat moderatam orationem, vel abstinentiam, aliudve quod nihil impediat obsequium patri pro ratione status sui debitum in administratione rei familiaris, vel gubernatione familiae. Quod si aliquod tale votum (personale inquam filijfamilias) factum fuerit in præiudicio patriæ potestatis, id est, quod impediat expeditum domum seu familiae paternæ regimen: vel nimium subtrahat eundem filium ab obedientia & cura patris, hunc posse illud irritare, communis sententia est, ut Suarez habet in illo cap. 5. num. 9. multis in eam citatis. Et ratio est, quia cum tale votum ex parte materiae illicitum sit (utpote quo læditur patrum) nisi includat conditionem, Si pater consenserit; aut saltem, Si non repugnarit: censendum est invalidum, tanquam iniuriosum alteri, & ideo minime acceptum Deo, si illa excludatur. Inclusa autem facit votum irritabile per patrem, qui nolendo consentire, aut contradicendo, suspendet eiusmodi conditionem: & per consequens, votum sub ea factum.

Quod attinet ad vota realia puberis: tenendum est, quod filius etiam si pubes, sed sub patria potestate adhuc constitutus, vota realia emittat, pater possit ea irritare. Hoc habent, præter cæteros, Nauarr. in Enchir. capite 12. numero 70. & Sotus in citato artic. 2. paulo post medium, ac Syluest. in verbo Votum 4. quæst. 2. Ratio vero est: quia minor non habet liberam suorum bonorum administrationem; sed pater quamdiu ille manet sub eius potestate. Modos quibus à tali potestate filius liberatur tangemus in libr. 20. num. 23. eodemque; persequitur Lud. Molina De iustitia & iure, tomo 1. tract. 2. disput. 229. Iam istud de votis realibus filiorumfamilias, intelligendum est de ijs quæ principaliter sunt realia: quia cum votum fuerit principaliter personale, & accessorie tantum reale, non poterit à patre irritari: ut si filius pubes, quamquam minor 25. annis, professionem religionis faciat, non potest pater impedire quin bona illius cum persona ad monasterium perueniant; ut probari potest ex cap. In præsentia, De probationibus: traduntque; Divus Anton. in citato §. 6. dicto 2. Syluest. in citata quæstio 2. dicto 2. & Nauarr. in memorato numero 70. in fine, & in numero 65. Intelligendum est præterea dummodo vota ipsa realia non fiant à filio de peculio suo castrensi aut quasi castrensi: quia ratione huius generis bonorum, filius est sui iuris; & ideo pater nequit vota de illis facta irritare, prout annotant D. Anton.

in eodem loco, dicto 3. & Syluest. in verbo Votum 3. quæst. sexta.

318. QVÆRI AVTEM PRIMO POTEST hoc loco, An si pater vota personalia filij impuberis, dum adhuc est impubes, non irritaverit: possit postea cum iam pubertatis annos non excessit, illa irritare. Ad quod Sotus lib. 7. de iust. & iure qu. 3. art. 2. dub. ult. negativè respondet; & negationem à simili confirmat: quia si Dominus votum servit, dum in illius potestate erat, non irritavit, postquàm est libertatem consecutus, non potest irritare. Caiet. vero 2. 2. quæst. 189. artic. 5. & Nauarr. in Enchir. cap. 11. nu. 71. & communiter recentiores, ut aliquot citatis non at Suarez in memorato cap. 6. nu. 8. respondent affirmativè, & melius: quia nulla facta est mutatio in voto per hoc, quod filius egrediarur limites pubertatis; unde ipsum adhuc manet cum conditione implicita, quam ab initio habuit: nempe, nisi pater contradixerit. Cum enim, ut supponimus, nulla facta sit accessio, qua ipsum innovaretur: existimandum est nunc, sicut ab initio, esse conditionatum: ideoque; perinde irritabile esse. Neque par est ratio de seruo, quia in votis filij, irritatio patri conceditur ob defectum in eodem filio, perfecti iudicij. In votis vero servit, Domino facultas irritandi datur, propter præiudicium quod ei ex talibus votis irrogatur. Indeque; est, quod, ut infra dicitur, Dominus vota servit, quæ in ipsius præiudicium non vergunt, irritare nequeat. Vnde quia nulla vota servit, quando est iam liber est, præiudicant Domino; in quo cessant prior in illum potestas, fit ut idem Dominus nullum eorundem votorum possit irritare.

Quamquam tamen ex Caiet. & Nauarr. dictum istud de votis filiorum, sic limitandum est; ut non censetur procedere, quando vota fuerint approbata legitimo tempore; siue, quod idem est, ab ipsis filijs iam puberibus; quoniam talis approbatio voto addit vinculum, in quo non dependet filius à patre. Sed advertead hanc approbationem non sufficere, quod filij iam puberes credant vota, quæ adhuc impubes emiserunt, esse valida, ideo intentionem habeant illa adimplendi: sed oportet ut nouo actu voluntatis, de nouo superinducatur obligatio. Quod Nauarr. in fine citati num. 71. expressit, & clarius Suarez in eodem cap. 6. num. 12. inquit. Si inchoata iam pubertate aliquis ratum habeat votum, quod in pueritia fecit, iam illud emittit; & ita votum imperfectum transit in perfectum, & quod erat conditionale, incipit esse absolutum, ac tam firmum, quam si tunc primum fieret, nec vllum antea votum præcessisset. Adde ex eodem in seq. num. 15. non posse amplius à patre irritari votum impuberis, quando illud sciens, vult ipsum ratum confirmatumque; manere: si in ea voluntate perseveret usque ad annos pubertatis filij. Ratio est: quia pater in eo, iam usus est potestate sua quantum potuit: ita ut plene impleta censerit possit conditio illa inclusa in voto impuberis. Si pater ratum habeat, aut nisi pater contradixerit: adeo ut tale negotium transferat quasi in rem iudicatam.

319. QVÆRI POTEST SECUNDO, An præter patrem alij sint, qui eorundem impuberum, aut minorum 25. annis, vota possint irritare. Ad quod respondetur, nullos esse patre viuentes: qui cum solus sit caput totius familiae, & habeat plenam rerum administrationem, & personarum gubernationem: voluntas filiorum impuberum in ipsius, non alterius potestate est potestate. Deficiente vero patre, mater id potest, itemque tutor respectu pupilli, & quoad vota realia curator, respectu minoris, ex Palud. in 4. distinct. 38. quæstio. 4. artic. 2. conclus. 8. D. Anton. 2. part. titul. 11. cap. 2. §. 6. Syluestro in verbo Votum 4. quæst. 2. Soto de iust. & iure lib. 7. quæstio 3. art. 2. Idque; sequuntur recentiores, quorum meminit Suarez adhuc ibidem num. 19. satisque; probatur ex cap. Puella, 20. quæstio. 2. Difficultas tamen est, An hoc quod de matre dicimus, sit de quavis matre intelligendum; an vero de ea tantum quæ fuerit tutrix filiorum. Nauarr. enim in Enchir. cap. 12. num. 64. & Syluest. in cit. quæst. 2. insinuant, intelligendum esse tantum de matre quæ filij tutrix sit: quod expresse docent Palud. & D. Antoninus locis citatis. Idem vero Nauarr. in sequent. numero 65. absolute intelligendum esse de matre, satis indicat cum ait, matrem quæ deficiente patre, eidem succedit, posse irritare vota filiorum impuberum. Indicat etiam Sotus in eodem artic. 2. circa medium,

dium,

ditum, in quibus utrumque votum, personalem inquam & reale, posse à parentibus vel tutoribus irritari. Imò & textus in memorato cap. Puella, cum hanc potestatem irritandi tribuit absolute parentibus & tutoribus. Parentum enim nomine, matrem quoque comprehendit certum est.

Ceterum videtur dicendum, quod si deficiente patre nulli sint filiorum tutores vel curatores, mater ipsorum etiam si tutrix non sit, possit ad instar patris, cui in cura filiorum succedit, omnia vota eorumdem irritare. Si vero extent tutores aut curatores qui patris gerant vices: illorum potius sit quam matris, quæ tutrix non est, impuberum personalia, aut minorum 25. annis, realia vota irritare. Certum est enim ex cit. capit. Puella, eos quoad hoc, æquari patribus: utpote quoniam in eorum locum succedunt, iuxta illud ad Gal. 4. Quanto tempore hæres paruulus est, &c. sub tutoribus & actoribus est, usque ad tempus prænitium à patre. Id quod de matribus non tutricibus dubitant, immo & negant nobiles auctores, vt Palud. & D. Anton. prout ante annotauimus.

QVÆRI POTEST TERTIO, An sicut pater vota filij emissa ante pubertatem irritare potest pubertate inchoata, si non fuerint confirmata; possit etiam tutor. Cui Suarez in sepe memorato cap. sexto num. 24. satisfaciunt negando posse: quia eo ipso quod pupillus sit pubes, tutor transit in curatorem: cui non persona pupilli, sed tantum bonae eius committuntur. Pater vero semper manet pater, nec mutat conditionem paternæ potestatis: ratione cuius votum à filio in pupillari ætate factum inclusam habuit conditionem; si patri placuerit, aut si pater non contradixerit: vnde fuit irritabile.

De potestate domini irritandi vota serui: & de potestate Superioris irritandi vota Religiosi sui.

SECTIO V.

DUBITATUR SEPTIMO, PRINCIPALITER: Quomodo intelligi debeat quod Dominus possit seruorum vota irritare. Ad quod respondendum paucis (seruorum enim de quibus in hac materia sermo est, nempe mancipiorum, non est apud nos vsus) Dominis esse tributam irritandi potestatem, quoad ea vota seruorum, quæ vergunt in suum præiudicium. In quo omnes conuenire notat Nauarr. in citato cap. 12. num. 65. Ratio vero est quia vota facta cum alterius præiudicio, tanquam de alieno exhibita, non placent Deo. Quando igitur materia voti quod seruus emitit, talis est quæ possit Domino præiudicium parere, debet votum vt licitum sit ac validum, includere conditionem, si Dominus consenserit, aut saltem si non contradixerit. Vnde relinquuntur tale votum irritum fieri, si Dominus non consentiat vel contradicat. Atque hinc fit, vt Dominus possit irritare serui votum quod emittit de religione intranda, aut de peregrinatione facienda, & ita de alijs per quæ subtrahitur à Domini obsequio: itemque de realibus, cum quidquid seruus habet sit Domini. Secus autem putandum est de voto continentie, & de quibusdam orationibus dicendis, alijsque id genus quæ Domino non præiudicant. Videri potest Suarez de religione tractat. 6. libr. 6. capit. 3. Et addi quod cum Dominus potestate irritandi, vtatur solum ratione sui præiudicij: si seruus libertatem aliquando consecutus fuerit, teneatur prout iam antea attingimus, adimplere vota à Domino irritata, nisi interueniat aliunde legitimum impedimentum.

DUBITATUR OCTAVO PRINCIPALITER, De potestate Superiorum circa Religiosorum vota, qualis quantaque sit quoad irritationem. Ad quod respondetur, prout communiter recentiores respondent annotat Suarez in sequenti cap. 7. numer. 7. talem ac tantam esse Prælatorum potestatem hac in parte; vt omnia omnino vota quæ Religiosi sui emiserint, regulariter possint irritare: quoniam Religiosus iam non est suus, sed Dei, cuius vicem Prælati ipsius gerit: ita vt velle & nolle non habeat, sed ex illius quem vice Dei, supra caput suum posuit; & cuius imperio se subiecit, voluntate dependeat: prout dicitur in cap. Si religiosus De electione in 6. Ex qua dependentia, prout est ex voto paupertatis, prouenit vt Prælati vota omnia realia sui Religiosi ir-

ritare possit, eo quod Religiosus ob tale votum nihil potest habere proprium: nec vlla re vt, de eade disponere sine licentia Prælati sui. Vnde consequens est, quodcunque votum reale ipsius, vt licitum sit & validum, debere includere conditionem, si Prælati consenserit: atque adeo irritari posse à Prælato. Idem dicendum esse de votis personalibus, consequens est ex voto obedientie; per quod Religiosus à suo Prælato pendet in omnibus suis actionibus. Quod D. Thomas 2. 2. quæstio. 88. art. 8. ad 3. ex eo probat: quod Prælati in quolibet tempore possit occupare subditum in aliquo opere consentaneo regulæ suæ. Vnde quia omnis actio requirit tempus; nullumque est quin Prælati occupare possit in eo suum subditum: sane hic nullum facere potest votum firmum de vlla sua actione nisi includendo conditionem, si Prælati consenserit, aut non contradixerit. Quod est (vt patet ex antedictis) tale votum irritari posse ab ipso Prælato.

Aduerte autem id procedere, quantumcunque Religiosus voueat ea ad quæ alias tenetur: vt non peccare mortaliter, non dicere verbum otiosum: ita vt possint quoque talia vota ei relaxari à Prælati, quemadmodum docet Sotus in libro 7. de iust. quæstio. 3. art. 1. pag. 2. verius finem: satisfique iudicat Syluest. in verbo Votum 4. quæst. 2. dicto 5. cum vult eandem rationem esse Religiosi in hac re ac impuberis; quia ille sicut hic, non habet velle, id est, pendet totus ex aliena voluntate (ob votum nimirum obedientie nuncupatum in religione) & clarius Nauarr. in Enchir. capit. 12. num. 69. Ratio quam Sotus adfert est, quod Prælati quoad ea quæ sponte fiunt, sit suo modo Dominus voluntatum, interuenit voto obedientie religiose, sibi subditarum, adeo vt nouam illam obligationem quam subditus per votum sibi imposuit, possit ab eo auferre. Est autem additum in responsione regulariter: quia negari non potest, quin sicut nequit Prælati tria religionis substantialia vota subditi sui irritare; ita nec votum de arctiori religione ingredienda, si forte illud emittit: hoc enim voti genus superat Prælati auctoritatem. Id quod præter Caiet. & Sotum locis citatis admittit D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 9. col. 1. ac suffragatur textus in cap. Licet, De regularib.

Responsi ad nonnulla quæ sita.

Hic possunt queri nonnulla. Primum, an si Prælati irritet votum aliquod Religiosi sui; qui deinde in Episcopum assumitur, irritatio vim suam retineat, nec vlla talis voti obligatio maneat: non obstante quod vouens deserit esse sub potestate Prælati à quo irritatio ipsa facta est. Respondetur autem affirmatiue: quia potuit Prælati absolute, & in omne tempus votum irritare: quandoquidem potestas ipsius in eare, non nititur præiudicio quod per votum ei irrogetur: sed alio fundamento nempe quod iuxta antedicta Religiosus (cum habeat voluntatem suam obligatam alterius arbitrio) careat perfecta libertate vouendi. Ex qua carentia, sicut ex carentia perfecti iudicij in puero, sufficiens in Prælati respectu sui Religiosi, inest potestas ad faciendâ absolute, voti irritationem. Illud Syluester expressit in verbo Votum 4. quæstio. 2. dicto 1. Cui quoque ibidem placet, quod etiam si Religiosus votum fecisset exequendum postquam fuerit extra Prælati obedientiam, adhuc Prælati ipse possit illud absolute etiam, & in omne tempus irritare, perinde ac antea num. 308. dictum est, quoad patrem respectu votorum, quæ filius emittit in tempus, quo sui iuris fuerit.

Alterum est, An possit Prælati irritare vota Religiosi quæ ante religionis ingressum emittit. Ad quod ex glossa ad cap. Noluit, 33. quæst. 5. & Richardo in 4. dist. 38. art. 4. qu. 1. & Syluestro in verbo Votum 4. quæst. 2. in principio: respondendum est affirmatiue; quia Religiosus plus est sub potestate Prælati, quam vxor sub potestate viri. Sed vir potest irritare votum quod illa emittit antequam nuberet, ex præcitato cap. Noluit. Si tamen talis Religiosus in Episcopum posse assumeretur, eiusmodi vota reuincerent, non obstante Prælati irritatione: quoniam ea non esset facta ratione defectus libertatis vouendi, cum vouens fuerit sui iuris dum illa emitteret; sed ratione præiudicij & incommodi quod superior sentiret in eo quod non haberet subditi voluntatem, omnino

expeditam ab omni impedimento exequendi quævis sua iusta, prout ex obedientia tenetur.

Aduerte quia Nouitij sunt adhuc sui iuris, necdum in potestate Prælati; ab hoc vota illorum non posse irritari: posse autem eadem interea suspendi, cum personalia fuerint, si forent impedimento probationi nouitatus; quia votum non debet esse impeditiuum maioris boni; sicut censetur esse contrarium præpositæ probationi, requisitæ ad religionis professionem; quâ nullum est votum præstantius, cum alia omnia in se contineat eminenter. Videri potest Suarez in citato cap. 7. n. 11. & 12.

324. Tertium quod potest quæri, est, Qui in hac re comprehendantur nomine Prælati religionis. Cui satisfacit per illud quod Suarez in sequenti num. 17. Quemlibet ordinarium Prælatum religionis ab immediato ad supremum vsque, Papam inquam, comprehendi: quia ad eos omnes votum obedientiæ extenditur, & ideo omnes acquirunt potestatem in Religiosi voluntatem, ad dirigendam ac moderandam eam in spiritualibus; & per consequens ad irritanda illius vota. Sic, vt dem Suarez addit, talem potestatem habent præter Papam, non modo Generales ordinum & Prouinciales, sed etiam Abbates, Priores, Guardiani, Rectores, alijque similes, qui sunt Prælati in vnoquoque conuentu. Nam & ipsi iurisdictionem spiritalem habent, cum qua præcipere possunt in virtute obedientiæ. Non habent autem illi quos hi assumunt sibi administratores seu coadiutores regiminis, & Subpriors, aut Vicarij, aut ministri appellantur: nisi delegatam accipiant, aut in absentia Prælati, vicem illius gerant cum tota iurisdictione, iuxta vniuscuiusque religionis consuetudinem. Porro in hac Prælatorum multitudine, ne sit confusio datur ordo, quo ij qui vniuersaliorem iurisdictionem habent, cæteris superioribus censentur: & qui minus vniuersalem, inferiores illisq; subordinati ac subditi. Vnde sequuntur duo quæ idem author habet sub initium sequentis cap. 8.

Vnum est: inferiorem Prælatum non posse irritare votum confirmatum à superiore: quia dependentia inferioris à superiore exigit, vt quod hic legitime fecit, ille non possit irritum reddere. Alterum est: superiorem Prælatum posse irritare votum confirmatum ab inferiori, vel de eius licentia factum. In memorata enim subordinatione qui superior est, retractare potest licentiam, præceptum, & confirmationem datam ab inferiore. Imo & votum ab ipso factum; quod sicut censetur includere conditionem, Si non dissenferit Superior (cuius alioqui ius læderetur) ita etiam censenda est licentia vouendi, aut confirmatio voti data per ipsum inferiorem, includere eandem conditionem. Quo fit vt locus sit irritationi. Adde cum eodem authore in fine eiusdem capituli, Prælatum alteri succedentem in eodem officio, posse vota subditi sui, à prædecessore suo confirmata irritare. Ratio est, quia in vtroque, eadem omnino potestas est. Quare cum prædecessor potuerit ea reuocare iuxta antedicta in sect. 2. dub. 2. poterit & successor.

Quartum quod quæri potest, est: an Prælati monialium, respectu earum habeant istiusmodi potestatem. Ad quod Suarez in fine prius memorati cap. 7. respondet affirmatiue: quia licet non habeant iurisdictionem spiritalem: habent tamen ius præcipiendi intra limites domesticæ gubernationis, ac regiminis monasterij; & subditæ sic pendente ab illis ratione voti obedientiæ, vt sine earum consensu, nequeant obligare se firmiter, seu quin obligatio modificetur conditione, Si superiores consenserint, aut saltem si non contradixerint.

CAP. XXII.

De dispensatione voti.

SVMMARIVM.

325 Quæratione hic sumatur dispensatio, & quod ea locum habeat in voto.

326 Quomodo Papa possit dispensare in voto, quod obligat iure diuino.

327 Relicta in Ecclesia potestas dispensandi in votis.

328 Talem potestatem requiri omnino ad dispensandum: & quod

ea resideat immediate in Papa, & cum prærogatiua.

329 Quod Papa possit dispensare in voto continentia emissi in religione.

330 In Episcopis residet iure ordinario potestas in voto dispensandi cum suis subditis, rest. ita aliquot casuum reſeruatione: & quorum.

331 In omnibus votis non reſeruat dispensare potest Episcopus.

332 Nonnulla quæ Episcopus potest circa vota Papa reſeruat; & quomodo possit dispensare in voto virginis.

333 Non potest Archiepiscopus dispensare cum subditis suorum suffraganeorum: & quod votum de nunquam pretendenda dispensatione, non faciat ipsum dispensabilem.

334 Episcopus dispensare potest in voto non nubendi, & in voto continentia non perpetua.

335 Quod possit Episcopus circa votum religionis.

336 Quod circa votum perpetua continentia.

337 Si votum Papa reſeruat in ſi penal, licet tutius sit pro dispensatione, ad Papam recurrere: tuta nihilominus conscientia potest esse illi: cum quo Episcopus in eodem voto dispensauit.

338 Quando possit Episcopus in voto facto sub distinctione de materia reſeruat, & de non reſeruat.

339 Qui seculares Episcopo inferiores, dispensare possint in votis non reſeruat.

340 Qui ex regularibus ibidem possint: & quod non possit abbas, alia: & prælati monialium.

341 Quod præter potestatem legitimam ad validitatem dispensationis in voto (etiam si detur à Papa) requiratur causa iusta.

342 Causa iusta, ratione materia.

343 Iustificatione videntur.

344 Dari potest in voto dispensatio non solum ob commune, sed etiam ob priuatum bonum maius.

345 Obseruanda à Superiore dispensante in voto.

325. In hac doctrina passim vsurpari solet dispensationis nomen, prout denotat exemptionem personæ à lege, peculiari aliqua de causa factam ab habente potestatem. Vnde, inquit Couarr. in Epit. 4. Decret. part. 2. cap. 6. §. 9. num. 1. passim dispensare, pro legibus soluere dicimus: subindeque tali nomine vitur pro concessione aut indulgentia, quæ contra ius à Principe impetratur. Atq; in votis habet locum, quia in illis cernitur quædam lex particularis, quam vouens sibi indit, nonnunquam capax legitime dispensationis, perinde ac lex vniuersalis: prout annotat D. Thomas 2. 2. qu. 88. art. 10. & Sotus de iust. & iure libr. 7. quæstio. 4. art. 1. atque alij passim.

326. Sed obijci potest quod iuxta cap. Cum inferior, De maior. & obediens nullus superior, ne quidem Papa, possit relaxare ius diuinum: ac proinde nec in eo dispensare, cum dispensatio includat relaxationem. Obligatio autem voti est iuris diuini ob illius acceptationem à Deo, cui de eodem iure seruanda est fidelitas. Respondendum est autem, illud intelligendum esse de ea relaxatione, quâ iure perseuerante in sua vi, eximitur aliquis ab illius obseruatione: prout fit quando Papa cum aliquo dispensat in obseruatione ieiunij Quadragesimalis. Nam tunc contingit quod in cit. cap. habetur pro absurdo vt inferior liget potiore; & filius potestatem exerceat in parentem: non autem cum dispensatur in voto. Nam in eo dispensans cum aliquo, non facit ei potestatem, vt voto perseuerante in sua vi, ipse possit ei contrarietate: sed votum tollit omnino; illud reuocans, prout rationem habet legis humanæ, quam proprius subditus imposuit sibi, obligationem interuentu acceptationis Dei inde securam auferens: remittendo scilicet illam nomine & autoritate eî à Deo ipso commissâ. Ad eum nempe modum, quo Rex potest committere officiali suo, vt promissiones sibi factas relaxet. Neque est quod id cuiquam mirum videatur: cum peccata, quibus multo magis efficiuntur Deo debitores, quam votis; possint sine violatione iuris diuini, remitti ab homine, ipsius Dei nomine, & autoritate, Christo dicente Ioannis 10. Quorum remisistis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.]

327. Atque in Ecclesia esse etiam relictam potestatem remittendi debicum ex voto, habetur ex generali concessione ei

328. specia-

specialiter facta in D. Petro per illa verba Matth. 16. Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in caelis.] Etenim contineri concessionem relaxandi vota in Ecclesia (quae sancta, fallere: & Spiritus sancti magisterio directa, errare non potest) receptus vsus dubitare non sinit; qui est vt plerumque in diplomatibus Summi Pontificis quibus indulgentia conceduntur; condonationi poenarum peccatis debitarum addatur potestas condonandi debita votorum. Accedit quod ad suauem Ecclesiae administrationem, quae ad animarum salutem dirigitur, sit interdum necessarium vt vota & iuramenta relaxentur. Quare existimandum est à Christo relictam esse ad id potestatem iis, quos constituit; vt suorum mysteriorum (ex Apostolo 1. Corinth. 4.) sic & sibi debitorum dispensatores: etiam ea remittendo, quando expedit animarum salus, quae finis est, in quem ministerium ipsorum instituit. Hanc doctrinam plenius tractatam habet Suarez de relig. tract. 6. lib. 6. cap. 9. Vbi & dicta ab aliis expendit. Sed praedicta possunt sufficere ad iudicium nobis propositum.

Porro ad dispensationem in votis legitime faciendam, duo requiruntur: autoritas scilicet Ecclesiae, & iusta causa dispensandi: de quibus sigillatim dicendum.

De auctoritate dispensandi.

SECTIO PRIOR.

328. **A**uthoritatem à Christo (iuxta proxime dicta) relictam in Ecclesia, seu Ecclesiasticam iurisdictionem, esse necessariam ad voti dispensationem, docet D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 12. & inculcantes sequaces ipsius, Palud. in 4. distinct. 38. quæst. 4. art. 2. concl. 2. D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 6. sub finem, Sotus lib. 7. de iust. & iure quæst. 4. art. 1. & 3. & cum eo Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 75. Deducuntque ex verbis illis D. Pauli in posteriori ad Corinth. cap. 2. Nam & ego quod donauit, si quid donauit propter vos, in persona Christi. Haec enim indicant Praelati Ecclesiastici, tanquam gerentes vices Christi, esse obligationes istiusmodi relaxare propter commune Ecclesiae bonum. Id quod esse clarissimum, & de fide certum, ex traditione & vsu Ecclesiae habet Suarez in memorato lib. 6. cap. 10. num. 2. Atque hinc à dispensatione distinguitur voti interpretatio, ad quam sola scientia sufficit; cum tantum pertineat eo, vt votum intelligatur non esse obligatorium; sicut non tantum à Praelato ea fieri potest, sicut dispensatio; sed etiam à quouis alio sufficienter erudito.

Ceterum talis auctoritas in Summo Pontif. residet plenissima, ac in summo perfectionis gradus accepta immediata à Christo, qui cum illum D. Petro dederit ad regimen suae Ecclesiae, eandem in successoribus ipsius continuat, tanquam requisitam ad prouidam Ecclesiae gubernationem. Residet autem cum prerogatiua, vt à nullo alio in terris pcedat: quae vero residet in aliis quibuscumque Praelatis, pcedat à Summo ipso Pontifice, qui respectu omnium illorum, potest vota sibi reseruare. Itemque vt vniuersalis sit (tanquam residens in Episcopo vniuersali) quoad personas, & loca, ac etiam quoad vota. Quod certum est; tum quoad simplicia quaecumque; siue temporalia, seu emissa ad certum solummodo vitæ tempus: siue perpetua, seu emissa pro tota vita: & siue continua, quale est de nunquam edendis carnibus; siue discontinua, vt de non edendis carnibus omni feria 4. Esse quoque certum quoad votum continentiae, quod emittitur susceptione sacri ordinis; omnesque id concedere testatur Palud. in 4. distinct. 38. quæst. 4. art. 4. concl. 10. Quod quidem Sotus in citata quæst. 4. artic. 2. post 5. conclusionem, bene probat ex eo, quod non alio iure quam Ecclesiastico tale votum annexum sit ordini sacro; quia si annexum esset iure diuino, nunquam licuisset Sacerdotibus Graecis vxores habere ad vsum matrimonij; cum iuri diuino nulla consuetudine possit derogari, ex cap. finali, De consuetudine.

329. De voto solemnium autem continentiae, quod in religione emittitur, an ipse quoque Summus Pontifex dispensare valeat, valde controuersum est. Atque in vtramque partem varios auctores post Couarr. De testam. cap. 2. num. 10. & 11. recentiores citant: & ceteros maximo numero Thomas Sanchez De matrimonio lib. 8. disput. 8. num. 6. & 7. qui &

affirmantem sequuntur. Eam maxime ob causam, quod in dubio praesumendum sit pro gestis Papae; vt, sic qui peculiariter in Ecclesiae gubernatione ductu Spiritus sancti dirigitur. At constat ex variis historiis (quarum nonnullas referunt Azor in 1. parte Instit. Moral. lib. 2. cap. 7. quæst. 1. & Leon. Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 4. num. 111. in fine) cum variis esse dispensatum in tali voto. Ergo concedendum est, Papam posse in eo dispensare: cum contrarium non sit certum: & credendum sit Christum Ecclesiae suae non defuisse in necessariis: sed suauiter, sufficienterque prouidisse quibuscumque necessitatibus illius. Vnde quia potest necessarium aliquando esse, aut saltem maxime expedire, vt auctoritate Papae cum Religioso dispensetur in praedicto solemnium voto continentiae: non videtur negandum, quin ad id Papa ipse sufficientem potestatem acceperit: eamque legitime exercuerit causa grauissima exigente: qualis est pax & tranquillitas totius regni, quae aliter, quam ex matrimonio conciliari non posset, ob defectum successoris ac heredis legitimi. Quae in re diutius immorari non est necessarium ad nostrum institutum: cui sufficit eam sententiam proposito fundamento nixam satis probabilem esse, vt tuta conscientia possimus eam sequi. Qui pluribus tractatam vollet, videat Greg. à Valent. 2. 2. disput. 6. quæst. 6. puncto 7. & alios memoratos, referentes ac soluentes argumenta quae adferri possunt in contrarium. Quae solutiones eo recidunt ferre: vt cum monacho quidem manente monacho, non possit dispensari in voto continentiae: possit autem, si is de monacho fiat: non monachus: dispensatio scilicet cum eo in votis religionis, ea ratione quae tradita est in praecedenti num. 326.

330. Residet praeterea iure ordinario in Episcopis potestas ipsa dispensandi in votis: tamen limitata ad subditos ipsorum: quorum comparatione in iis quae sunt iurisdictionis, possunt quidquid potest Papa comparatione fidelium omnium, tanquam principes sacrorum ab ipso Pontifice (à quo instituitur) ascendi in partem sollicitudinis quam gerit totius Ecclesiae; adeo vt in ordine ad subditos sibi attributos habeant omnem potestatem necessariam ad eorum rectam gubernationem nisi illis restricta sit: prout est quoad aliqua vota. Etenim quoad solemnium votum, non modo in eo quod emittitur in religione; sed nec in alio quod emittitur sacrorum ordinum susceptione, potest alius à Papa dispensare, prout communem omnium sententiam esse notat Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 75. sub finem.

331. Quod idem sentiendum est de nonnullis simplicibus votis, quae ipsi Summo Pontifici reseruata sunt, & commemorantur in Extrauag. communi. E. si dominici. De poenitent. & remiss. nimirum votum continentiae perpetuae votum religionis approbatae (etiam si tantum sit de intranda religione ex Palud. in 5. conclusione paulo post citanda) votum peregrinationis ad inuadenda Romae limina SS. Apostolorum Petri & Pauli: vel D. Iacobi Compstellae. votum item Ierosolymitanum. Quamuis enim non aliud quam istud inueniatur iure ipso reseruatum (per cap. scilicet Ex multa, De voto, iuncta glossa, verbo incumbit; quod etiam notat Nauar. sub initium cit. num. 75.) attamen de vsu & conuetudine Romanae curiae, omnia illa quinque censentur reseruata esse Papae, prout tradunt Palud. in 4. distinct. 38. quæst. 4. art. 4. concl. 5. D. Anton. 2. parte tit. 11. art. 2. §. 9. notabili 4. Angelus in verbo Votum 4. §. 6. Nauar. in eodem numero 71. Sotus lib. 7. De iust. & iure, quæst. 4. art. 3. & Couar. ad cap. Quamuis pactum, prima par. §. 3. num. 12. vbi ait esse communiter receptum: & recentiores sequuntur inter quos satis multis de eo agit Suarez in citato lib. 6. cap. 21. Par est vero credere tempore D. Thomae huiusmodi consuetudinem non viguisse; ob eamque causam ipsum 2. 2. quæst. 88. art. 12. ad 3. in reseruato numero posuisse tantum Ierosolymitanum, & continentiae vota, prout in fine citati art. tertij Sotus annotat.

In aliis votis autem propter difficultatem adeundi Papam, omnibus Episcopis concessum est dispensare cum suis subditis, iuxta D. Thomam ibidem: expressaque habent Angelus & Sotus locis cit. ac Supplementum Gabriel. in 4. dist. 38. quæst. 1. colum. vltima. Quod autem Panormitan. ad cap. Proposuit De concess. praebend. num. 12. ait Episcopis solum

esse concessam votorum commutationem: dispensationem autem cuiuscumque voti esse Papam referuatam: satis refertur ex consuetudine recepta ab Ecclesia: & ex munere Episcopi, cuius ante meminimus: atque ex eo quod non nitatur insufficienti fundamento, prout Suarez offendit in cit. lib. 9. cap. 10. num. 6. Quae cum ita sint, inde cum Leon. Lessio De iust. & iure, lib. 2. cap. 40. num. 105. licet inferre, quod Episcopus dispensare possit, primo in voto religionis non approbata ab Apostolica sede; quia sine tali approbatione non est proprie religio. Secundo, in voto continentiae temporalis, seu aliquot annorum: nisi tot ij sint, quot & non pluribus votens videtur posse viuere: quia tunc votum esset perpetuum. Tertio, in voto non fornicandi, aut non petendi coniugale debitum: quia tale non est votum integritatis, sed tantum partis illius. Quarto, in voto suscipiendi sacros ordines, cuius adimpletionem annexum est quidem votum perpetuae continentiae, non est tamen votum continentiae perpetuae.

332. Idem Lessius addit tria digna obseruatione pro praxi. Primum est, posse Episcopum dispensare in quibusdam qualitatibus adiunctis substantiae voti referuati, vt si subditus vouerit ingredi religionem arctam, potest ex iusta causa dispensare cum eo, vt ingrediatur laxiorem: sicut & cum eo qui vouit pedes Romam ire ad limina SS. Apostolorum, dispensare potest, vt eat eques. Secundum est; Si Papa votum sibi referuatam commutat in aliud non referuatam, posse Episcopum in hoc dispensare: quia est votum nouum non referuatam. Tertium est, Episcopum non posse dispensare in voto virginittatis, nisi vouens intenderit, se tantummodo ad carnis integritatem obligare. Verum ea ratione non vouetur communiter virginittas, sed prout includit continentiam.

333. Quartum adde ex Palud. in 4. distinct. 38. quest. 4. ar. 4. conc. 8. Syluest. in verbo Votum, 4. quest. 3. dicto 4. & Soto De iust. & iure, lib. 7. q. 4. art. 3. vers. Hac autem: facultatem dispensandi quam habet Archiepiscopus non extendi ad Dioceses suorum Suffraganeorum: quia cura animarum ordinaria ei incumbit tantum in sua Diocesi. Et quantumuis ad ipsum in forenlibus causis fiat prouocatio, quoad subditos suorum suffraganeorum: dum uisitat, possit confessiones excipiendi ipsos absolueri a peccato transgressionis voti; non tamen in voto ipso dispensare: quod longe diuersum est: Videri potest Suarez in seq. num. 9. Idem in hac re quod de Archiepiscopis, iudicium est aliis superioribus Praelatis infra Papam.

Dubia aliquot de Episcopi potestate dispensandi in voto.

PRIMUM EST. An in voto nunquam petendi dispensationem ab alio quam a Papa, possit Episcopus dispensare. Ad quod responderetur affirmatiue: quia tale votum est aliud a quinque referuatis ante memoratis: & contingere potest vt eam dari expediat ad maius bonum vouentis vel Reipubl. Atque (vt idem sentiens Azor tomo 1. Moral. Instit. lib. 11. cap. 19. quest. 15. argumentatur) nemo potest taliter vouere, vt se a legitima Superioris sui potestate eximat.

334. SECUNDUM DVBIUM EST. An Episcopus possit dispensare in voto non nubendi. De quo (etiam si contradicat Caiet. in tomo 2. opusc. tract. 11. quest. 1.) tenenda est pars affirmatiua, vt passim tenent moderni cum Nauarro in Enchir. cap. 12. num. 76. & Soto in 4. distinct. 38. quest. 2. art. 1. concl. 1. sub finem, post Sylu. in verbo Votum 4. quest. 4. in fine, Angelum in eodem verbo item 4. §. 9. & Rosellam in verbo Impedimentum 4. §. 13. Ratio vero est, quod votum non contrahendi matrimonium, non sit votum castitatis: vnde violat illud qui matrimonium contrahit, non autem qui fornicatur, vt Sotus loco cit. bene aduertit, & post eum Azor in citato cap. 19. quest. 5. vbi quoque monet ex Nauarr. eandem sententiam Romae seruari in sacro poenitentiae praetorio.

TERTIUM DVBIUM EST. Vtrum in voto continentiae non perpetuae, & ad tempus tantum aliquod facto, possit Episcopus dispensare. Ad quod affirmatiue respondendum est cum Paludano in 4. distinct. 38. quest. 4. art. 4.

concl. 5. & D. Anton. 2. par. tit. 11. cap. 2. §. 9. notab. 4. Nauar. in cit. num. 76. Ratio est: quia tale non ponitur in numero eorum quae ante diximus Summo Pontifici referuari: sed solummodo votum perpetuae continentiae: cuius referuatio (vt ex Sylu. Nauarrus ibidem habet) adhuc est intelligenda cum exceptione: nisi magnum adsit periculum incontinentiae, nec Papa possit adiri.

Secus est vero de voto religionis temporali (quale est factum cum intentione probandi religionem si sibi placeat) quia votum religionis referuatam est Papa simpliciter, & sine restrictione. Ita ex Paludano habet D. Anton. in eodem notab. 4. Addens quod Episcopus possit dispensare cum eo, qui exilens in religione laxiori, vouet arctiorem: quia hoc non est simpliciter dispensare in voto religionis, aut in voto perpetuae continentiae: cum ad illud vtrumque maneat adhuc obligatus. Quae ratio confirmat etiam illud quod idem adhuc habet ibidem: quod Episcopus possit dispensare cum eo qui religionem arctiorem vouit, vt in laxiorem ingrediat: quia & tunc ad vtrumque votum manebit obligatus.

335. QUARTUM DVBIUM. An nunquam possit Episcopus in voto perpetuae castitatis dispensare. Respondetur autem, posse cum emissum fuerit ex aliquo magno metu, vt communem sententiam esse habet Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 59. argumento cap. Veniens, Qui Clerici vel vouentes. Deinde cum tale votum fuerit conditionale, necdum impleta fuerit conditio. Ita tenet Toletus in summa lib. 4. cap. 18. sub finem, & alii citatis sequitur ac late tractat Suarez in cit. lib. 6. cap. 22. Probatur vero, quia tale votum pendente conditione imperfectum est: nec Papa censetur referuare aliud votum quam perfectum.

Postremo, quodcumque est magnum periculum incontinentiae: nec facilis est ob paupertatem, aut aliam iustam causam, ad Papam vel legatum ipsius recursus, prout post Syluestrum in verbo Votum 4. quest. 4. habet Nauar. in citato num. 76. Ratioque est: quia cum necessitas tunc urgeat, Papa non censetur intendere referuationem; sed Episcopo permittitur, vt vtatur potestate ordinaria, quam habet seposita referuatione. Contentaneum est enim sentire de pio patre, quod nolle suam referuationem esse in destructionem animarum, sed in adificationem. Quando autem ad ipsum aut legatum ipsius facilis est recursus, tunc non est necessitas, ex qua ipse iudicetur nolle esse locum referuationi.

336. QUINTUM DVBIUM EST. An si votum religionis sit poenale, possit in eo Episcopus dispensare. Respondet autem Sotus lib. 7. de iust. & iure, quest. 4. ar. 3. circa medium, si huiusmodi votum fiat sub hac aut alia simili forma: Voueo a ludo abstinere, sique contra faciam, me ingressurum religionem: Episcopus post adimpletam conditionem non posse in eo dispensare; posse autem ante adimpletam. Cuius responsionis pars posterior, patet ex paulo ante dictis. Probaturque prior hac ratione quia statim ac adimpleta est conditio sub qua imponit sibi quis poenam in tali casu, contracta est ex voto obligatio ad religionem; ideoque ad Romanum Pontificem pertinebit dispensatio in illa. Et sic partem hanc tutiorem esse dicit Couar. ad cap. Quamuis pactum 1. part. §. 3. num. 12. & in eand. eum Nauarro in Enchir. cap. 12. num. 43. propendet Azor in antea citato cap. 19. quest. 13. Nihilominus in praxi Confessarius potest contrarium sequi; nimirum quod Episcopus possit in tali casu, etiam post impletam conditionem, dispensare. Nam id probabile est, vt Sotus ipse fatetur: & patet, tum quia multi nobiles auctores qui post Sotum scripserunt, id contra eum tenuerunt, quorum plures Azor ibidem refert: tum quia id probatur satis bona ratione. Nempe quod cum referuationes votorum sint contra potestatem ordinariam Episcoporum, ex interpretanda sint stricte, vt Sotus quoque fatetur. Quia igitur per votum castitatis & religionis communiter intelligi solet, illud quod directe fit ex deuotione & affectu ad castitatem aut religionem, de illo debet intelligi Papalis referuatio; non autem de poenali, in quo mens & voluntas vouentis, a qua ipsum habet vim, non est obligandi se ad castitatem vel religionem, ad quam aliqui non afficitur, sed tantum cohibendi se a vicio ludendi, aliove. Qua de re late Suarez in memorato lib. 6. cap. 23.

Cum igitur vouens sub illa forma, id non faciat ex affectu ad religionem: sed tota intentio ipsius feratur ad ludum: ad eo ut in voto ipso non ludendi fundetur votum penale ingrediendi religionem: quia Episcopus in voto de non ludendo dispensare potest sicut & in ceteris non reseruatis, poterit consequatione quadam, & in voto religionis emisso sub forma ea que propolita est, dispensare: tanquam sublato scilicet fundamento, in quo ipsum subsistebat. Quod si quis religionem voueat tantummodo in penam si luserit, nec voueat non ludere, non poterit Episcopus dispensare: quia tunc vouens intentio directe fertur in religionem: non autem in ludum cauendum: neque talis obligatio est voti non ludendi, sed ingrediendi religionem si contingat ludere. Ceterum sicut possunt eadem dubia proponi de ceteris votis reseruatis, quæ de votis religionis & continentie perpetuæ: ita & possunt eadem responsiones adhiberi, cum ratio difficultatis eadem sit omnium.

338. **S**EXTUM DVBIUM EST. An possit Episcopus dispensare in voto sub distinctione facta, de materia reseruata, & de non reseruata: vt de castitate perpetua, vel de abstinencia perpetua à carnibus. Ad quod Azor in prima par. Moral. Infit. lib. 11. cap. 19. quæst. 10. responder bene: si vouens nolit seruare votum de materia non reseruata, vt de nunquam edendis carnibus, opus habeat dispensatione Papali ad liberandum ipsum ab obligatione seruando perpetuum continentiam, ad quam manet obligatus. Sin perueniret in prima in differentia; potest, sicut implere votum, seruata sola perpetua abstinencia à carnibus: ita & liberari ab illius obligatione per dispensationem ab eadem abstinencia: quam dispensationem dare potest Episcopus. Ea de re paulo plenius Suarez in seq. cap. 24.

De potestate in voto dispensandi, eorum qui sunt Episcopo inferiores.

339. **H**il vel sunt Prælati, vel in dignitate aliqua constituti, vel simplices Parochi. Et Prælati, vel seculares vel regulares. Atque de simplicibus Parochis certum est non posse dispensare in votis etiam non reseruatis: cum nullam iurisdictionem officio suo annexam habeant pro foro externo: qualem requirit dispensatio in voto cum spectet ad externum regimen subditorum. De Prælati vero secularibus, quod nec possint cum sibi subditis dispensare in votis, quantum non reseruatis, communis sententia est; prout meminit Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 75. exceptis iis qui habuerint ordinariam iurisdictionem quasi Episcopalem: ita nimirum vt suam velut diocesim habeant, suumque tribunal (vt pro regula tenendum esse habet Suarez De relig. tract. 6. lib. 6. cap. 10. num. 14.) qualem Archidiaconus acquirere potest per consuetudinem legitime præscriptam, ex Paludano in 4. dist. 38. quæst. 4. art. 4. conclus. 6. D. Anton. 2. par. tit. 11. cap. 2. §. 9. colum. 3. ac Syluest. in verbo Votum, 4. quæst. 3. dicto 7. Ac de facto acquirunt illi, qui potestatem ad id acceperunt per aliquod Papæ vel Episcopi priuilegium, aut commissionem.

Meminerunt igitur Parochi, quod non solum simplex sacerdos, sed nec ipsi possint dispensare, quando neutro eorum modorum habent dispensandi potestatem, in votis suorum Parochianorum, possunt dispensare. Id quod Sotus expressit in præcedenti art. 3. ea que est omnium Doctorum mens ex Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 79. Et procedit etiam si vouens sit in articulo mortis; quia licet tunc possit à quouis Sacerdote absolui à transgressione voti, iuxta Concilium Trident. sess. 14. cap. 7. in ipso tamen voto dispensari nequit, nisi ab eo qui peculiarem ad id habuerit auctoritatem ordinariam vel delegatam. Quod enim ad talem dispensationem auctoritas eiusmodi necessaria, iam docuimus initio huius capituli. Neque sequitur si quis possit ab omni peccato absolui, possit in voto non reseruato dispensare: namque aliud est absolutio contra votum commissio, & aliud dispensatio in ipso voto. Ita notant Sotus ibidem, & Syluester in sequenti dicto 10.

Potest vero moueri dubium, vtrum facta alicui per priuilegium facultate commutandi vota, censetur etiam facta dispensandi. Et contra, An facta dispensandi, censetur facta commutandi. Illud autem tractans Suarez in memorato

lib. 6. cap. 12. ad priorem quidem dubij partem aliis citatis, responderet negatiue: quia dispensatio est quid aliud à commutatione (quod constabit ex dicendis in seq. cap.) hæcque est quid illa minus, quandoquidem dispensatio tollit omnino vinculum voti, & commutatio illud solummodo transfert in aliquid aliud. Quare non potest priuilegij extensio fieri à commutatione ad dispensationem; vt nec alias, ex voluntate dandi minus, colligi potest voluntas dandi logemaius. Ad posteriorem partem vero, affirmatiue responderet: & satis late eam persequitur.

Nobis sufficere potest eam ab eadem probari per illud quod habet regula 53. iuris in 6. Cui licet quod est plus, licet utiq; quod est minus. Si enim id in aliquibus habeat locum, maxime in iis habeat quæ ita subordinata sunt, vt vnum affectum sit ad alterum, tanquam pars ad totum in quo includitur: prout affectam esse potestatem commutandi vota ad potestatem in eis dispensandi; patet ex commutatione voti quæ fit in aliquid minus, atque adeo cum remissione partis eius quod debetur ex voto: cum enim certum est rationem habere cuiusdam partialis dispensationis: etiam si non sit dicenda dispensatio, quia non tollit voti vinculum. At ille qui potestatem habet dispensandi, habet & potestatem faciendi eius generis commutationem, qui enim potest remittere totum debitum, potest & partem. Et qui potest commutare votum in minus, potest multo magis commutare in æquale: & multo maxime in aliquid maius. Ex quibus satis liquet habentem potestatem dispensandi in votis habere ea quoque commutandi.

340. Quod attinet ad Prælatos regulares, dubium est; An possint in votis suorum Religiosorum dispensare. Ad quod Palud. in citato art. 4. conclus. 7. & D. Anton. vbi supra: partem negantem sequuntur. Affirmantem vero Angelus & Syluester Votum 4. ille quæst. 6. & hic quæst. 3. dicto 9. Richardus in 4. dist. 38. art. 9. quæst. 2. & Sotus in memorato art. 3. Qui addit Prælatorum nomine hic comprehendit, non tantum Generales, & Prouinciales, sed etiam conuenticuales Prepositos. Accedit ad eorundem sententiam Caiet. 2. 2. quæst. 88. art. 8. sub finem.

Videtur autem esse distinctione vtendum cum Nauar. cap. 12. num. 75. dum asserit Prælatos religionis si exempti sint, posse in Religiosorum suorum votis dispensare; non item alias. Ratio est: quia non exempti, Episcopis potius, quàm illis subduntur tanquam propriis Prælati. Ex exemptione vero sequitur, vt Superiores ipsorum participant Episcoporum iurisdictionem, in quorum loco succedentes habent illam: alioqui exemptio præiudicaret exemptis; quandoquidem priuarentur commoditate quæ gaudent, qui sub iurisdictione Episcopi manent: vt non compellantur recurrere ad Summum Pontificem, quando opus habent dispensatione in votis. Videri potest Suarez in supra memorato cap. 10. num. 13. Et addi ex Azorio tomo 1. Moral. Infit. lib. 11. cap. 19. quæst. 21. tales Prælatos non posse in votis suorum Nouitiorum aliter dispensare, quam in votis laicorum: nimirum si aliquod habeant priuilegium, per quod tale quid valeant. De Abbatiis autem vel Prioriis absolute negandum est, posse suis monialibus in votis dispensare; quia iurisdictionem illam spiritualemente ad quam pertinet facultas dispensandi, ex non habent: iuxta tradita à Soto in 4. dist. 20. q. 1. art. 4. conclus. 2. sub fin. & à Couar. ad cap. Alma mater, 1. par. §. 11. num. 2. ac ea quæ antea habita sunt lib. 9. num. 116.

De causa dispensandi pars posterior capituli.

341. **A**D validitatem dispensationis in voto propter auctoritatem ex parte dispensantis, de qua hactenus dictum est; requiri ex parte dispensati iustam causam, ex qua fieri debeat, merito consentiunt Doctores tam Theologi cum D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 12. ad 2. quam Canonista, cum glossa ad cap. Non est, De voto; ad verbum Adimple. Nam vt recte D. Th. argumentatur: Cum spiritualis potestas Prælati (qui non est Dominus, sed dispensator) data sit in ædificationem, non autem in destructionem ex cap. 10. prioris ad Corinth. sane per eam nequit tollere illud quod acceptum est Deo, nisi ob aliquid aliud, quod sit eidem acceptius; nam alioqui non ædificaret, promoueretve subditum ad pietatem in Deum; sed potius destrueret, reuocaretve ab eadem pietate.

Intelli-

Intelligitur autem istud tam de dispensatione faciendi per Papam, quam de faciendi per inferiores Praelatos, prout expresserunt Palud. in 4. dist. 38. quaest. 4. art. 2. concl. 2. Caiet. in verbo Votum, cap. ultimo, D. Anton. 2. par. tit. 11. cap. 2. §. 9. notab. 3. Sylu. verbo Dispensatio, quaest. 3. Sotus lib. 1. De iustitia & iure, quaest. ult. art. ult. Quod adeo verum est, ut si absque iusta causa Summus Pontifex cum aliquo dispense in voto, non solum ipse peccet, sed etiam is cum quo dispensat, tutus non sit in conscientia, ut iidem auctores adhuc annotant, & cum eis Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 76. ex citata glossa, quam ad id ipsum cap. Non est, Panormit. sequitur. Inde merito inferens, quod si Papa absque iusta causa cum professo dispensauerit, ut ad laxiorem religionem transiret, is non sit securus quoad Deum. Potest etiam merito inferri cum Soto in 4. dist. 38. quaest. 2. art. 1. concl. 1. quod is cum quo Papa in voto castitatis sine causa dispensauit, non maneat tutus in conscientia. Quod idem est eadem ratione, de similib. dicendum: ac multo magis cum aliquis inferior Papa in votis absque causa dispensauerit.

Verumtamen id intelligendum est procedere, quando nulla apparens adest causa dispensandi. Communitur enim receptum est, quod ibid. habet D. Thom. si causa apparens adest ex qua dubium saltem esset, num ob eam data dispensatio sit legitima, dispensatum stare posse iudicio Praelati sui dispensantis, illiusque iudicio suum proprium postponere. Caeterum causa dispensandi in votis possunt tripliciter esse iustae, prout notat Sotus 7. De iust. & iure, quaest. 4. art. 3. vers. Ad istorum, nempe ratione materiae, ratione voutentis, & ratione boni communis.

342. Ac ratione materiae, sunt omnes illae ex quibus efficitur, ut maius bonum in voti dispensatione cernatur, quam in illius executione, prout Caiet. expressit in verbo Votum cap. ultimo, & D. Thomas loco citato attingit. Solet vero, ut addit Caiet. huiusmodi maioritas boni oriri ex eo, quod executio voti reddatur vel illicita, vel inutilis, vel maioris boni impeditiva: quas tres causas dispensationis tanquam legitimas D. Thomas posuit in memorata quaest. 88. art. 10. & post cum Syluest. in verbo Votum 4. quaest. 6. Sotus in memorato art. 3. ac Nauar. in memorato item num. 76. Qui & admonet ex eodem D. Thom. id non procedere, cum clarum fuerit & apertum, aliquam ex talibus causis interuenire, quia tunc dispensatio necessaria non est, sed iustitiae interpretatio, qua declaratur votum in eo casu non habere vim. Nam sicut votum non habet vim, si tunc cum ipsum sit talis est materia qualem praediximus, illicita inquam, aut inutilis, aut maioris boni impeditiva, ita & postea id ipsum vim suam amittit, quando materia facta est talis; nempe illicita vel inutilis vel maioris boni impeditiva: ac proinde non eget dispensatione, si res sit aperta. Id quod Caiet. notat 2. 2. quaest. 88. art. 2. Dubio Virum in differentia possint esse voti materia, & in responsione ad tertium.

Aduerte vero quod hic dicitur de materia inutili, aut impeditiva maioris boni: dici aequae debere de ea, quae possit moraliter esse causa spiritalis ruinae; quia talis occasio multum derogat fini voti: ideoque cauenda est per dispensationem: ne quod introductum est pro charitatis perfectione, in dispendium illius vergat. Et ita in voto nunquam peccandi mortaliter, datur sufficiens causa dispensandi ob materiae periculosam; itemque in coniugali voto non petendi debitum, & similibus periculosos. Videri potest Suarez in saepe citato lib. 6. cap. 17. num. 9.

343. Ratione vero voutentis, legitima dispensandi causa censetur infirmitas ipsius, ac debilitas ad implendum votum. Ea enim potest tanta esse (de quo dari nequit certa regula: ita ut debeat arbitrio Superioris relinqui definiendum, inquit Nauar. in seq. num. 77.) ut non solum possit ei votum commutari, sed & ab eo per dispensationem tolli obligatio illius, prout fatentur Sor. in eod. art. 3. vers. Imo tanta: & Nauar. in eod. num. 77. insinuatque Caiet. 2. 2. quaest. 88. art. 12. col. 2.

Additque ibidem Sotus (& in lib. 1. De iust. & iure, quaest. ult. art. ult.) quod implere votum, difficile molestumque sit, esse vero legitimam causam in eo dispensandi, quando difficultas & molestia ex ipsa nascitur: nempe quia res est ardua & viribus voutentis impar: ut austerum aliquod ieiunium, vel longa peregrinatio: non tamen quando ex corrupta eiusdem

voutentis affectione procedit; quia cum votum Instituitur ad medendum prae affectioni, haec non potest illius tollendi causa esse legitima. Exemplum est, si quis ideo tantum moleste ferat ieiunium, quod sit deditus gula.

Aliae adhuc ex parte voutentis assignari possunt iustae causae dispensandi votis: quales sunt, quod dubitatur de consensu voutentis, id est, quod ambigatur consenserint in votum. Deinde quod factum sit repentina deliberatione, ut solet ex timore repetitorum malorum. Vide antedicta in cap. 19. sect. 2. Praeterea quod factum sit ex animi lenitate aut subita perturbatione, aut facilitate in voutendo, quemad. ex Panor. & D. Ant. habet Nauar. in eod. quoque num. 77. aut metu, vi, dolove extortum sit: qua ratione emissum Ecclesia relaxat perinde ac iuramentum praestitum de visuris soluendis; vel praestitum latroni aut tyranno ad vitandam illorum vexationem. Adde & quando probabiliter creditur voutentem ita affectum esse, ut votum lapsus vel olaturus sit aut obliuioni traditurus. Illa enim infirmitas animi censeri potest causa sufficiens, sicut infirmitas corporis.

Denique ratione boni communis, iusta causa datur dispensandi in voto; quando ipsum obstat eodem bono: ut votum ieiunij in doctore qui propter illud, concionandi aut docendi munus Reip. vtile exercere non potest; & votum continentiae emissum a puella, quo impeditur ne matrimonium inire possit ad auertendum graue damnum Reip. aut ad tollendam ab ea multa scandala; quod est bonum maius, quam ad coniugio abstinere. Addit vero Sotus, ut & Caiet. loco cit. bonum illud propter quod dispensatur in voto, debere esse melius & pretiosius atque adeo iudicari magis ad Christi gloriam conducere, quam voti materiae & vinculum simul.

Ratione autem boni tantum particulario, Sotus ibidem negat licitum esse in voto dispensare: quod Nauar. in cit. nu. 77. improbat: inueniens ad id sufficere vtilitatem priuatam, quae talis sit ut ad Dei gloriam magis conducatur, quam voti materia & illius vinculum simul. Tunc enim votum merito censetur esse de bono impeditiuo maioris. Sic votum patrisfamilias peregrinandi Ierosolymam, dispensabile est, ob grauem aliquam familiae necessitatem, cui subuenire tenetur.

Caeterum Superiores cauere debent ne dispensatione vatur sine necessitate; sicut fieret si impedimento quod votum adfert obutare possint per illius commutationem. Etenim peccarent aliqui tanquam dispensatores infideles, ut Sotus ipse ibid. ait. Qua de re plenius Suarez in cit. cap. 17. num. 16. Verumtamen quando causa non est omnino iusta: ille qui potestatem habet tam ad dispensandum, quam ad commutandum votum, potest ipsum partim dispensando, partim commutando relaxare: nimirum imponendo voutenti aliquid voti siue aequale, siue etiam eo minus; ex doctrina Caiet. 2. 2. quaest. 88. art. 12. quam approbat Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 63. Adde ex Angelo in verbo Votum, 4. quaest. 12. dispensanti in voto, attendendum esse quid liceat secundum aequitatem, quid deceat secundum honestatem, & quid expediat secundum vtilitatem vel necessitate. Adde etiam dispensantem in voto sine iusta causa, peccare mortaliter: quia potestatem sua abutitur in re graui illamque excedens nihil facit, & sic decipit subditum suum, fatagendo auferre ab eo vinculum, quod auferre nequit.

CAP. XXIII.

De commutatione voti.

S V M M A R I V M.

- 346 Quid sit votum commutare, & quid redemptio voti à commutatione differat.
- 347 Ad voti commutationem necessaria est Ecclesiae auctoritas, nisi fiat in euidenter melius.
- 348 Quid requiratur quando commutatio fit in bonum quod non est euidenter melius, aut euidenter est aequale.
- 349 Praeter Praelati auctoritatem requiritur iusta causa.
- 350 Qua ratione ad voti commutationem, estimandum sit melius esse, aut aequale, aut deterius bonum illud in quo fit voti commutatio.

- 351 *Communitas votum debet ad id habere potestatem vel ordinariam vel delegatam: qua vtrag, carens Confessarius, nihil facit si commutare tenet.*
- 352 *Probabile est cum per Bullas Iubileorum committitur facultas commutandi vota, intelligendam esse de commutatione in æquale.*
- 353 *Notanda pro usu facultatis concessæ alicui ad eligendum aliquem, à quo votum ei relaxetur.*
- 354 *Delegatus in hac debet servare formam sibi præscriptam, & quid circa reservata possit, aut non possit.*
- 355 *De promissione facta Deo dandi aliquid certo loco, aut certa persona.*
- 356 *Consideranda in commutatione votorum.*
- 357 *Commulationem voti fieri debere saltem in æquale.*
- 358 *Explicatio dubij, An semper sufficiat commutationem fieri in æquale.*
- 359 *Ad commutationem voti in minus bonum requiritur cum iusta causa, coninccio potestatis dispensandi cum potestate commutandi.*
- 360 *Non valent dispensatio & commutatio voti, nisi proveniant à voluntate libera, tanquam actus humani.*
- 361 *De forma dispensandi aut commutandi vota.*
- 362 *Quando facta commutatione voti in quam vouens consentit, is possit id in quo illa facta est ommittere, & suum votum servare.*

346. **C**OMMUTARE votum nihil est aliud, quam materiam de qua emissum est, mutare in aliam: vt peregrinationem in orationes, aut ieiunia, ex doctrina D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 10. communiter recepta. Solet vero commutatio peculiari nomine redemptionis appellari, quando votum mutatur in pecuniam, vel in aliud quod æstimabile est pecunia: vt si votum peregrinationis ad D. Iacobum mutetur in tantum pecuniarum erogandarum in elemosinam, quantum expendum fuisse eundo & redeundo: prout habet Palud. in 4. distinct. 38. quæst. 4. art. 3. Qui quamvis velit à commutatione redemptionem differre, sicut emptionem à permutatione: non videtur tamen quoad rem esse inter utramque distinguendum; sicut nec D. Thomas loco cit. distinguit, vt bene notat Syluest. in verbo Votum, 4. quæst. 1. sub finem.

Ex quibus sequitur, quod etiam si per dispensationem vinculum voti soluitur: prout in præced. cap. habitum est: per commutationem tamen, & redemptionem non soluitur: quemadmodum notant Caiet. in verbo Votum, cap. vltim. Couar. ad cap. Quamuis pactum, 1. part. §. 3. num. 4. & Nauar. in commentario de indulgentiis notabili 27. num. 2. adeo vt ex eodem Caiet. ad cit. D. Thomæ, art. 10. in commutatione sola materia voti transmutetur, manente eodem vinculo: atque vouens, ad id in quod commutatum est votum, teneatur ex eiusdem voti vinculo: non autem ex vi alicuius alterius præcepti. Quod idem sentit Sorus de iust. & iure, lib. 7. quæst. 4. art. 1. Ex eo autem sequitur Syluestrum verbo Votum, 4. in principio, perperam sensisse in commutatione & redemptione, annulationem obligationis voti interuenire: nisi dicas ipsum tantum voluisse obligationem voti cessare circa illam materiam præcise, circa quam antea versabatur. Cum vero hæc ita sint apertum est plus esse dispensare in voto, quam votum commutare, quandoquidem per dispensationem tollitur voti vinculum, non item per commutationem.

De potestate commutandi votum.

SECTIO I.

347. **C**eterum, vt ad votorum dispensationem, sic & ad commutationem necessaria est Ecclesiæ autoritas ex communiter recepta D. Thom. sententia in seq. art. 12. vbi eam probat: qui cum votum sit promissio Deo facta, de eo quod ipsi gratum, acceptumque est; vt ci commutatio fieri debet tantum in id quod Deo gratum est & acceptum. Quid autem tale sit, pendet ex ipsius arbitrio; quod declarare spectat ad Prælatos Ecclesiæ, vices illius gerentes: de quibus dixit Lucæ 10. Qui vos audit me audit.]
Difficultas est autem, cum mutatio vnus in aliud fieri

possit; vel in melius, vel in æquale, vel in deterius: An eiusmodi necessitati locus sit, quando votum mutatur in aliquid certo & euidenter melius. Nam nec tunc commutationem fieri posse propria autoritate, alique sentiunt: plures vero sentiunt posse; vtrisque referunt Suarez in memorato lib. sexto, cap. 18. & Azor in ante citato lib. 11. cap. 18. quæst. 1. qui posterioribus merito assentiuntur. Quia, vt bene ibidem num. 6. Suarez argumentatur, talis voti commutatio consentanea est fini voti, qui est promouere homines ad bonum melius, & Deo gratius. Cui promotioni propria etiam autoritate consulere per eiusmodi commutationem non esse alienum à ratione patet: quia quando in promissione moraliter certum est creditorem acceptare solutionem, certum etiam est eam sufficere ad promissionem implendam. Sed certum est moraliter acceptari à Deo obsequium maius, ei delatum loco minoris: cum velit semper fieri à nobis quod melius; atque adeo ipsi gratius est. Ergo in delatione eiusmodi per voti commutationem, nihil est opus Prælati autoritate: cum hæc ex D. Thoma in citato art. 12. ideo illa requiratur ad voti commutationem; vt ipse definiat, id in quod fit voti commutatio, esse Deo gratius & acceptius. Accedit illud, ex cap. Peruenit 2. De iureiur. Non infringit propositum aut promissum, qui illud in melius commutat. Et illud in cap. Scripturæ, De voto. Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam nofcitur religionis obseruationem commutare. Et quod in cap. Licet, De regularibus, concedatur transitus de laxiore religione ad arctiorem non obtenta Superioris licentia.

Illud autem quod habetur in cap. 1. De voto. Ex eius qui prædicit, pendet arbitrio, vt consideret diligentius qualitatem persone & causam commutationis. Illud, inquam, pertinet ad casum, in quo incertum est, an id in quod fit commutatio voti, sit quid melius. In quo ad voti commutationem requiri auctoritatem Superioris, nemo negat: quia cum votum sit promissio facta Deo de re ei grata: in tali casu opus est exploratione voluntatis Dei, ad quam necessaria est auctoritas Prælati: qua tanquam gerens Dei vices, in persona illius declaret ac determet, an illud in quod fit commutatio, sit quid gratius & acceptius Deo.

Porro ad voti commutationem in minus bonum, necessariam esse Prælati auctoritatem negari non potest: quia in illa admiscetur dispensatio, qua condonetur pars eius, quod ex voto debetur Deo. At Prælati auctoritatem necessariam esse ad quamvis dispensationem voti, satis patet ex dictis in præcedenti cap. Quare erit ad propositam commutationem. Licet autem aliqui negent talem auctoritatem esse necessariam ad voti commutationem in æquale, quorum Suarez meminit initio sequentis cap. 19. multo plures tamen sunt affirmantes contrarium, quos ibidem num. 3. refert & sequitur Suarez ipse, assentiturque Azor in memorato cap. 18. quæst. 2. Nec immerito; quia quoties in commutatione voti incertum est, an ea fiat in id quod est Deo gratius, auctoritas Prælati est necessaria, vt satis indicant verba ante proposita ex cap. 1. De voto. Cum ergo difficillimum sit in eadem commutatione æqualitatem attingere; ita vt homines ordinarie sint de ea incerti, facileque errare possint in propria causa; non est probabilis talem commutationem esse relictam vouentis arbitrio: sed potius ad eam, sicut ad cæteras, requiri Prælati auctoritatem, qui Dei gerens vices, eam ipsam æqualitatem determet.

De his latius pro scholastico instituto Suarez, in vtroque illo cap. 18. & 19. vbi num. 5. bene etiam docet commutationem in æquale fieri non posse absque iusta aliqua causa: quia hoc ipso quod opus, in quod commutatio fit, non est secundum se melius eo, in quod commutatur: magis consentaneum est excellentiæ diuinæ ac fidelitati ei debita, vt illud ipsum, quod promissum est, reddatur in propria sua specie. Ergo aliqua iusta causa exigitur vt secus fiat; adeoque vt debitum ex voto, commutetur in aliud, etiam si æquale: præsertim cum id sine iusta causa factum, non habeat rationem honestatis, seu actus virtutis: ideoque præsumendum non sit Deum illud velle, talique debiti solutione contentum esse.

Necesse

Necesse tamen non est talem causam, grauem esse; quia parum est id, quod tali commutatione remittitur. Tantum enim est onus reddendi in propria specie, quod ex voto debetur: cum interea, *vt supponimus*, æquale restituatur, licet in alia specie. Aduerte obiter ad commutationem quæ fit in euidenter melius, non requiri iustam causam ultra eam, quam intrinsicè continet, bonitatis maioris. De quo idem Suarez in cit. cap. 18. num. 9.

De eo in quo commutatur votum.

SECTIO II.

350. **I**llud in quod votum commutatur, potest esse vt prædiximus, bonum melius aut æquale, aut minus. De primo notandum est, in hac re, bonum melius æstimandum esse, non tam ex eo, quod sit actus excellentioris virtutis, quam ex eo quod aptius sit accommodatus ad finem vouentis. Quia Deus bonorum nostrorum non indiget, id quod ei per votum offertur, eo ipsi acceptius est, quod accommodatus vouenti, ad finem voti sibi propositum. Itaque ad votum commutandum in melius, non est consideranda sola excellentia operis, in quod fit commutatio, sed etiam utilitas vouentis in ordine ad finem voti. Hinc qui ad carnis macerationem ieiunium vouit, sed illud commutet in orationes vel eleemosynas, non censetur facta commutatio in maius bonum. Quia licet oratio & eleemosyna præcellant ieiunio (cum hoc sit actus temperantiæ, & illæ, actus religionis & charitatis, quæ sunt virtutes excellentiores) non adeo tamen conducunt ad carnis macerationem. Censetur vero facta illo modo, si ieiunium recepto modo seruandum, commutetur in ieiunium seruandum sumendo tantum panem & aquam, aut in aliam austeriorem penitentiam, vt flagellationis vel cilicij, accommodatiorem ad domandam carnem. Hinc etiam, qui in Dei obsequium vouit, se alicui Ecclesiæ aliquid daturum, si comperit euidenter, obsequium gratius futurum, si illud in dotem dederit puellæ, quæ se alioqui prostituta est, poterit vt commutatione. Aduerte obiter tunc maxime tutum in conscientia censeri eum qui votum propria autoritate commutat, quando id facit in bonum continens illud quod vouit, & aliquid amplius, vt qui vouit ingredi religionem laxiorem, & ingreditur arctiorem; & qui vouit seruire hospitali in quo parum laborandum est, & seruit hospitali in quo ob multitudinem infirmorum est multum laborandum ad maius suum meritum; & sic de aliis casibus in quibus euidenter constat illud in quod fit voti commutatio, maioris meriti esse apud Deum tanquam ei gratius.

De secundo, hoc est, de bono æquali: aduertendum est, quod etsi valde difficile sit in commutatione voti attingere æquitatem; nihilominus commutantem debere ad eam attingendam conatum adhibere, prudenter inspectis, ponderatiue circumstantiis, prout in sequentibus dicitur. Quod si bona fide seruet commutando, valida erit commutatio, etiamsi ea forte fiat in minus bonum: quia facultas ad istiusmodi commutationem, tanquam moralis, latitudinem requirit ad suum exercitium, in quod vixaliter exire possit: ita vt eum de contrario non constet, censetur non aberrasse; aut si parum aberrasse deprehendatur, pro nihilo reputetur. Ita Suarez in citato cap. 19. num. 9. Addens, quod si fit tam de excessu quam de defectu dubium, æqualitas adesse censetur, quando ipsum in vtramque partem vergit æqualiter: quia per humanum arbitrium nihil potest certius iudicari.

De tertio demum, hoc est, de bono minori iudicandum est, non tam ex eo quod sit minus excellens, quam quod sit minus accommodatum ad voti finem: sicut de eleemosyna ad carnis macerationem est minus accommodata, quam ieiunium.

De commutante.

SECTIO III.

351. **D**E commutante notandum est: quendam esse ordinarium qui ex officio quod gerit regendi alios, potestatem habet commutandi votum: vt censetur habere omnis ille, de quo dictum est in præced. cap. potestatem habere dispensandi in voto. Quendam vero esse delegatum, vt est is cui

aliquis ex ordinariis commisit faciendam vice ipsius commutationem. Vbi aduerte pro praxi quod cum iuxta ante habita in sect. i. alterutra earum necessaria sit ad talem commutationem, patere eam non posse fieri arbitrio iudicis Confessarij, qui ne delegatam quidem habuerit. Nec enim potest ratione sacramenti penitentia, quia votum non est illius materia, cum non sit peccatum: nec ratione doctrinae & prudentiæ eiusdem Confessarij. Nam inde dici potest quidem idoneus ad iudicandum de æqualitate seruanda in commutatione voti; non tamen ad faciendam ipsam commutationem; sicut nec potest alius perinde doctus & prudens, qui non est Confessarius.

Aduerte quoque dubium esse, an cum in Iubilæis aut alias Confessario datur vice restrictio facultas commutandi vota, id intelligi possit de ea etiam commutatione quæ fit in minus bonum. In vtramque partem Suarez in memorato cap. 19. num. 7. author. refert, & negantem veriorum indicat: addita moderatione, quam paulo superius attingimus seruandam in iudicando de æqualitate quam istiusmodi commutatio requirit. Fundamentum illius est, quod est privilegia fauorabilia sint, extendenda tamen non sint ultra verborum proprietatem: & commutationis verbum proprie significet mutationem in æquale: præsertim cum habeat rationem contra actus onerosi, id vnus non debet grauari, præ alio, ne iustitia violetur. Accedit, quod commutatio in minus bonum requirit coniunctionem facultatis dispensandi, cum facultate commutandi, cum pars debiti condonetur in ea: quod est facultatis dispensandi: quæ non contingit nisi ipsa expresse detur, iuxta tradita in præced. num. 339. Et confirmatur quia si contingeret, is qui potestatem habet delegatam votum commutandi, posset illud commutare in quoduis minus, ad instar ordinariorum, adeoque simpliciter dispensare, quod nemo dixerit.

Aduerte tertio, Cum quis facultatem habet, vt Confessarium eligat, qui cum ipso dispensare possit in aliquo voto, non censeri eum eodem dispensatum, nisi electus dispense actu: quantumcumque; pro potestate sibi commissa, ab omnibus peccatis, & censuris ipse legitime absoluerit, indulgentiasque concesserit, ex Nauar. in Enchir. cap. 11. nu. 79. Et ratio est, quod relaxatio voti, nec culpa, nec pena remissio licet ad alterius debiti, vt de se constat.

De ipsa facultate eligendi personam, quæ possit vota commutare vel in eis dispensare, Suarez in eod. lib. 6. cap. 16. agit multis. Duo vero præcipue occurrunt notanda pro quotidiana praxi. Alterum est ex parte eius cum quo dispensandum est: nempe vt eligat personam præditam qualitatibus illis, quas in adultum seu scriptum exigit: vt quod sit Confessarius, in aliquo certo gradu constitutus, & ab Ordinario approbatus: cuiusmodi qualitates exigi solent in delegationibus ad dispensandum in votis religionis, aut castitatis. Alterum est ex parte dispensati, nimirum vt seruet formam in concessione præscriptam: ad quam cum restricta sit facultas delegata dispensandi, nisi ea seruetur, exceditur illius limites, ac proinde irritus erit conatus. Quenam autem sit talis forma, colligendum est ex verbis scripti, quo facultas conceditur. Solet autem potissimum præscribi examinatio causæ necessariæ ad iustam dispensationem: cetera quæ non præscribuntur expresse, censentur relicta prudentis arbitrio. Intellige autem quæ de dispensatione dicimus, pariter dicta de commutatione: quia in hac re, vtriusque ratio eadem est.

Documenta quadam notanda commutanti vota.

SECTIO IV.

354. **I**S vero qui prædictam potestatem habet, dum vti vult illa, quorundam documentorum meminisse debet. Primum est, vt is cui concessa est ab Ordinario potestas commutandi votum, formam concessionis obseruet; adeo vt facienda sit commutatio, in utilitatem horum vel illorum locorum, aut personarum, nec aliter: si in facultate id exprimitur: vt notat Nauar. in Enchirid. cap. 12. num. 79. verius Monemus.

Secundum est: Cum ea sit vis reservationis casuum, vt inferiores nihil in eis possint, ex Concil. Trident. sess. 14. cap. septimo, in fine: illos quos in præced. cap. Papæ quoad dis-

pensatio-

penfationem referuatos diximus: patet dicendos esse quoad commutationem referuatos. Dubitatur autem; An per generalem à Papa factam concessionem commutandi vota possint referuata commutari. Ad quod esse respondendum negatiue, satis significat Suarez in eodem lib. 6. cap. 26. sub finem. Et probatur: quoniam talis concessio interpretanda est iuxta regulas iuris: inter quas 81. in 6. sic habet: In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter concessurus. Ex qua regula in cap. Si Episcopus, De penitent. & remissio in sexto, probatur: quod si Episcopus suo subdito generaliter concedat facultatem eligendi sibi Confessarium, non ideo possit electus absolueri in casibus eidem Episcopo referuatis. Adde ex Extrauag. Et si dominici 2. sub finem, De penitent. & remissionibus, alium votorum commutationem non concedi nisi ex speciali causa, & certa scientia Papæ.

Aduerte nihilominus non esse negandum, quin talis concessio ad vota peregrinationum referuata extendatur, quando in bulla eiusdem concessionis (vt plerumque solet in bullis quibus per modum Iubilæi indulgentiæ conceduntur) vota castitatis & religionis excipiuntur. Receptum est enim exceptionem firmare regulam: seu efficere vt ipsa locum habeat in omnibus casibus minoribus eo, qui excipitur, sicut sunt casus obeundarum peregrinationum referuatarum, casibus seruandæ perpetuæ castitatis, & amplectendi religionem. Vbi aduerte obiter quoad casus maiores eo qui excipitur, non firmari similiter regulam. Et ita si ab eiusmodi concessione exciperetur votum peregrinandi ad SS. Apostolorum limina, non esset censenda concessa facultas dispensandi in voto peregrinationis ad loca sancta Ierosolymis, quæ censetur longe maior, vt longe difficilior.

355. Tertium est ad commutationem votorum, quibus aliquid promissum est Deo, dandum certo loco aut certe personæ; non requiritur consensus illius qui commotum accipere deberet: imo nec facta dispensatione aut commutatione, necesse esse aliquid ei dari. Ita habet ex D. Thoma, Angelo, Syluest. & Caietan. Nauarrus in Enchir. cap. 12. num. 78. & post ipsum Azor. 1. part. lib. II. cap. 19. quæst. 12. communemque esse, alius adhuc pro ea citatis, habet Suarez in eodem lib. sexto, cap. 15. num. 3. eam consequenter tractans: & ante eum Nauar. ipse in tract. De rebus Ecclesiasticis quæst. 1. monit. 60. Præcipua autem ratio est, quod per talia vota perinde ac per alia, obligatio contrahatur tantum eum Deo, ex cap. Magnæ, De voto: cum illis alius vero non item, nisi ex accidenti, & materialiter: cum non habeant rationem personarum concurrentium ad naturam contractus; sed tantum externarum circumstantiarum: quo fit vt non sit eis acquiritum, sed tantum Deo, cui soli vouens se adstringit.

Vnde inferre licet, talis voti perinde ac alterius non referuati, commutationem fieri posse priuata autoritate in bonum euidenter melius: vt si Deo voui me daturum centum in commodum certi monasterij, videns pauperes in annonæ penuria mori fame, possum in eorum subsidium illa donare, tanquam in opus tunc euidenter gratius Deo. Quod si votum emissum sit in conformationem alicuius promissionis factæ alicui personæ, quæ eam acceptauerit, ideoque ius acquisierit in re promissa, ipsum non poterit commutari sine eiusdem personæ consensu: quia commutatio cedere in illius præiudicium, fieretque illi iniuria: nisi quod possit propter publicam necessitatem, cogi iure suo cedere. Hanc quoque communem assertionem habet Suarez in sequen. num. 7. Addens in numero vndecimo, tam eidem, quam præcedenti locum esse, non modo comparatione ordinariæ potestatis dispensandi; sed etiam potestatis delegatæ, absolute concessæ ad tollenda vota. Quia enim ratione potestatem ordinariam habens potest, vel non potest tollere voti obligationem; potest vel non potest per alium à se delegatum.

356. Quartum est, de quo in præcedenti num. 77. Nauarr. ex Angelo in verbo Votum, 4. §. 12. commutanti votum considerandam esse vouentis qualitatem: nempe si commutet votum peregrinationis, spectando expensas quas vouens pro sua conditione faceret eundo & redeundo, iuxta cit. cap. Magnæ,

(de quo Suarez in seq. cap. 19. num. 20.) ultra eas quas domi erat facturus: illas conuertat in alia pia opera: laborem vero itineris, in ieiunia & orationes. Item quoad alia vota personalia, quæ in pecuniam aut aliquid pecunia æstimabile commutantur: quando emissa fuerint à pauperibus, minus imponat pro illorum redemptione, quam si essent à diuitibus emissa: videlicet habita ratione qualitatis personarum; pauperi enim solutio paucorum nummorum pius est, quam diuiti multorum: ac plus etiam apud Deum, ex cap. 12. Marci sub finem, & ex cap. 21. Lucæ in princip.

Quoad vota realia autem, conuenit ea fieri in aliquid reale, nisi paupertas obstat, aut euidenter constet ad maius Dei obsequium spectare, vt loco voti aliquod pium opus fiat. Aduerte adhuc oportet quod Suarez habet in eodem cap. 19. num. 21. in voti commutatione seruandam esse, quoad fieri potest, illius conditionem: non tamen esse necessarium: & ita nihil obstat quin votum conditionale mutari possit in absolutum cum aliqua diminutione quantitatis; vt qui vouit se in eleemosynam daturum octo, si nauis appulerit salua, mutari poterit in solutionem quinque tantundem valentium, quia certa sunt, ac illa octo, quæ sunt incerta. Nec item obstat quin votum de danda quotannis certa eleemosyna per totam vitam, redimi possit vna magna eleemosyna: in iudicio viri prudentis adæquet illam quotannis repetendam.

357. Quintum est, quod paulo superius attingimus, & Caiet. verbo Votum, cap. ultimo, Syluest. Votum 4. quæst. 8. dicto 2. & Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 63. expresserant: votum debere commutari in æquale, quomodo reducendum sit ad praxim, non posse certis documentis doceri: sed tanquam varium ex varietate circumstantiarum relinqui prudentis arbitrio, ex illis iudicantis vitata omni fraude & lata culpa. Ponderandæ sunt autem ab eo, inquit loco citato Suarez, conditiones personarum, qualitates operum in ordine ad diuinum cultum in primis: deinde in ordine ad bonum commune, vel utilitatem proximorum, præsertim spiritalem: maxime autem ipsius vouentis: præterea in ordine ad merendum coram Deo, vel ad satisfaciendum pro peccatis; & demum in ordine ad vitanda peccata futura, & eorum occasiones.

358. Verfatut autem in questione; An semper sufficiat commutationem fieri in æquale: an vero necessarium aliquando sit fieri in melius, vt valida censetur. Syluest. loco citato existimat, quando ex parte vouentis non ex alia causa commutandi, quam voluntas ipsius, non esse satis eam fieri in æquale: sed requiri vt commutatio fiat in aliquid melius. Secus vero si intercedat causa commutandi: vt impotentia, vel incommoditas seu difficultas implendi quod promissum est: quia tunc sufficere potest commutationem in æquale fieri. Idem etiam docet Nauar. in citato num. 63. Sed magis placet dicere cum Caiet. in cit. cap. ultimo, & 2. 2. quæst. 88. art. 12. versu in commutatione: de iuris rigore, sufficere commutationem fieri in æquale, etiam si nulla commutandi causa interueniat quam vt vouenti misericorditer à commutante descendatur in persona Dei: cui non displicet gerentem vices suas gratiosum se præbere ei, qui suæ maiestati sponte se obligauit; præsertim cum gloriæ diuinæ nihil inde detrahatur: quando quidem non vinculum, sed sola materia commutatur; idque in aliam, vt supponimus, Deo æque gratam, & ad quam exequendam promptior est voluntas vouentis, vt non quasi gemens sed hilaris soluat promissum: quando quidem hilarem datorem diligit Deus, 2. ad Corinth. cap. 9. Quamquam vt ille addit in eodem cap. vlt. vt commutans tutior sit, conari semper debet vt commutet in aliquid, parum saltem melius.

359. Vt autem in aliquid minus bonum commutare possit cum iusta causa & potestate commutandi, in ipso requiritur potestas dispensandi, vt cum commutatione miscetur dispensatio, cuius virtute à vinculo voti subtrahatur illud quod ab æqualitate deficit. Quæ doctrina est eiusdem Caiet. in cit. art. 12. & Nauar. in memorato num. 63; ac Soti de iust. & iure lib. 7. quæst. 4. art. 3. circa medium.

360. Postremum est: ad valorem tam commutationis quam dispensationis; necessario requiri, vt ea ex libera commutantis aut dispensantis voluntate procedant: sunt enim actio-

nes humanæ, quæ liberum agentis consensum requirunt. Vnde fit, vt si constet sufficienter Prælatum tantum finxisse, nec in cõtionem huiusmodi commutandi, commutationem esse nullam. Similiter si contigerit ipsum deceptum fuisse, siue exponendo ei falsum, siue tacendo ei verum: per talem enim fraudem & errorem dispensatio aut commutatio est inuoluntaria: quandoquidem Prælatus non esset dispensaturus aut commutaturus, si veritas fuisset ei expressa, aut res sine fallitate narrata. Videndus est Suarez in sæpe memorato lib. 6. cap. 27.

361. Vbi inter cætera habet sub finem, necessarium quidem esse dispensantis voluntatem sufficientibus signis manifestari exterius, quoniam ea non potest aliter innotescere & operari inter homines: attamen nullam formam præscriptam esse, à qua dispensationis aut commutationis validitas pendeat; neque id fuit necessarium, sed relinqui potuit arbitrio Prælati: quem nihilominus est contentan eum verbis potius, quam alio signo vti, tanquam institutus ad aperienda aliis animi nostri sensa. Quam doctrinam habet Palud. in 4. distinct. 38. quæst. 4. art. 4. concl. 2. & post eum D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 11. §. nono. & Syluester in verbo *Votum*, 4. quæst. 8. dicta primo. Ex qua intelligitur, quod Nauar. habet in Enchir. cap. 12. nu. 80. Sacerdotem cui confitetur aliquis habens priuilegium, quo potest cum ipso dispensare in voto, non censeri dispensasse eo ipso, quod post legitime factam confessionem, ipsum absoluerit ab omnibus peccatis suis, & censuris, quoniam talis absolutio non prouenit à voluntate dispensandi in voto, aut illud commutandi, quæ fuerit expressa exteriori signo.

362. Tandem facturi finem monebimus illud quod latius tractat Suarez in eodem libro cap. 20. cum commutatio fieri possit, tum in bonum melius, tum in æquale, tum in minus: factam in melius sic seruandam esse, vt uouenti qui illam acceptauit non sit liberum relicta materia in quam facta est commutatio, resumere eam de qua fecit votum. Ratio est: quia acceptatio talis commutationis vim habet noui voti, quo acceptans obligauit se ad reddendum Deo aliquid melius, quam antea promiserat. Vnde hoc implere uelle illo relicto, est virtute commutare votum ex meliore in minus bonum, quod non licet. Sic enim is qui uouit clericatum, & tale votum mutauit in votum religionis, non potest sine dispensatione religionem non ingredi, contentus clericatu. Factam autem commutationem in æquale bonum non ob stare quin uouens possit satisfacere voto, implendo quod uouit, relicto eo in quod commutatum fuit ipsius votum. Ita citato Azorio idem author ibidem numero quarto statuit. Et ratio esse potest, quod talis commutatio merito uideatur facta in fauorem uouentis, tanquam gratia quædam, sicut paulo superius proposuimus: atque adeo non immerito dici possit eiusmodi commutatio eo sensu facta, vt uouenti liceat adhuc si velit votum in sua materia implere, cum in eo nec repugnantia nec iniustitia cernatur: vt nec cum dispensator ei qui domino suo aliquid liberaliter promisit, gratiose permittit, vt aliud æquale, & ipsi domino perinde gratum det si velit. Factam denique commutationem in minus bonum, non ob stare, quin votum possit in sua materia impleri, patet; quia sicut illa est bonum melius, ita est & Deo gratus.

TRACTATUS IV.

vt præcedentis appendix.

De statu Religiosorum.



VONIAM voto potissimum Religiosorum status constat: conuenienter de eo præcedenti subiungitur tractatus. Ad quem spectant quæ habentur in secunda parte decreti causa 18. 19. & 20. & in reliquis iuris canonici partibus, quæ habentur quinque titulis: quorum primus est de regularibus & transeuntibus in religionem. Secundus, de conuersione coniugatorum. Tertius, de statu monachorum & regularium. Quartus, de religiosis domibus. Quintus, ne clerici vel monachi secularibus negotiis se immisceant:

Quibus accedit Concilium Tridentinum multis in locis quos Azor collegit in prima parte Moral. Institut. lib. 12. cap. 18. De eodem uero post Diuum Thomam 2. 2. in quatuor ultimis quæstionibus, agunt præter Summularios in uerbo [Religio, aut in uerbo] Religiosus, & in uerbo [Nouitius] multique alij: & inter cæteros ad iudicium de peccatis nobis propositum accommodate Nauar. in quatuor commentariis seu tractatibus de regularibus tomo primo suorum operum, & Azor in citato lib. 12. & seq. 13. apud quem, & adhuc apud Emanuelem Rodericum in tribus tomis quæstionum regularium relinuemus uidentia, quæ sunt particularia diuersorum ordinum religiosorum: contenti communibus, ex quibus Parochus aut alius audiendis confessionibus expositus, cuius instructionem intendimus, habet unde non censetur cæcus cæcum ducere, religiosi confessionem audiens, sicut non nunquam ei datur occasio. Primo autem dicemus de requisitis ad statum Religiosorum. Secundo, de iis quæ incumbunt religionem ingressuris. Tertio, de iis, quæ ingressis. Quinto de iis, quæ egressis.

CAP. XXIV.

De requisitis ad statum Religiosorum.

SVMMARIVM.

- 363 Denomine Religiosi & necessitate uotorum paupertatis, castitatis, & obedientie ad statum religiosum.
- 364 Religiosus status præter eadem uota, requirit Sedis Apostolicæ approbationem.
- 365 Ad statum Religiosorum, nec illa tria uota sine istiusmodi approbatione, neq; hæc sine illis sufficere potest.
- 366 Tria memorata uota esse solemnia, non est necessarium ad statum religiosum.
- 367 Ratio eius rei.
- 368 Solutio eorum que in contrarium obijci possunt.
- 369 Tres uita spiritualis modi: ex quibus distinguuntur tria genera ordinum Religiosorum.
- 370 Inter varios ordines religiosos quis cui præstare consensus sit.

369. PRÆNOTANDVM est, Religiosos quidem dici posse omnes qui sancte ac pie Deum colunt: eo quod religionis uirtus sit, qua Deo cultus debitus exhibetur: per antonomasiam tamen quandam Religiosos in Ecclesia nominari consueuimus eos qui peculiari uitæ instituto, & nominatim tribus uotis paupertatis, castitatis & obedientie se totos diuino cultui addixerunt. Vnde illorum status requirit tanquam necessariam conditionem eadem tria uota: quæ ea de causa religioni essentialia esse dicuntur. Ratio uero talis necessitatis est, quod is status sit hominum tendentium ad perfectionem, consistentem in coniunctione cum Deo sine ipsorum ultimo. Quæ quidem coniunctio fit per charitatem, iuxta illud primo 1. Ioan. 4. Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo:] atque illud ad Coloss. 3. Super hæc autem omnia charitatem habete, quod est uinculum perfectionis.] Iam uero ad charitatem habendam, & ut quis Deum perfecte diligit, debet se totum tradere, omniaque talis dilectionis impedimenta remouere, ad quod utrumque consequendum, opus habet obedientia castitate, & paupertate perpetuis, quibus Deo se omnino tradat: per obedientiam quidem quoad animum: per castitatem uero, quoad corpus: & per paupertatem quo ad bona externa.

Impedimenta uero sunt mundanæ cupiditates: iuxta illud 1. Ioan. 2. Si quis diligit mundum non est charitas Patris in eo; quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & superbia uitæ.] Quibus uerbis significat tres esse impedimentorum charitatis quasi fontes: qui ut obstruantur tribus memoratis uirtutibus est opus: castitate quidem, ut obstruatur concupiscentia carnis: paupertate uero, ut concupiscentia oculorum: & demum obedientia, ut superbia uitæ. Non sufficiunt autem eadem uirtutes ad religiosum statum, nisi ad eas uotum accedat, quo promissione facta Deo obstringat se quis ad

earum

earum perpetuam obseruationem: quia religio, prout de ea loquimur, status quidam est consistens in conditione vitæ immutabili ex D. Thom. 2. 2. quæst. 183. art. 1. Vide Azorium in 1. par. Moral. Institut. lib. 1. cap. 23. & Leonard. Lessium De iur. & iure, lib. 2. cap. 41. dubit. 1.

364. Requirit quoque religiosum statum (quod plenius iidem ibidem tractant) vt approbatus sit à Summo Pontifice. Ratio est, quia is nequit esse supra communem Christianorum statum, cuius obligationi obseruandi diuina precepta, superaddit obligationem obseruandi consilia diuina: nisi modo peculiari à Christo descendat (mediante scilicet ipsius in tertis Vicario Summo Pontifice; perinde ac descendunt ceteri gradus Ecclesiastici, & iurisdictiones spirituales) iuxta illud Apostoli ad Ephes. 4. Ex quo omne corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subinfiltrationis, &c. Atque inde est, quod in statu religioso peculiariter vitatum sit, vt religiosus obediatur Prælato tanquam Christo; in eoque ille Christum intueatur, vt in eo qui potestatem à Christo habet ad gerendum per eam, vices ipsius.

Accedit quod Ecclesia seuerè prohibeat vllum religionis nouum ordinem institui sine approbatione Sedis Apostolicæ. Sic enim ex Concilio Lateran. sub Innocentio III. habetur in cap. finali, De religiosi domibus. Ne nimia diuersitas diuersitas grauem in Ecclesia Dei confusionem inducat: firmiter prohibemus ne quis de cetero nouam religionem inueniat. Quam constitutionem Concilium Lugdunense renouat, prout refertur in cap. Religionum, eodem tit. in 6. vbi de hac dicitur: Religionum diuersitatem nimiam, ne confusionem induceret generale concilium consulta prohibitione vetauit. Et paulo post subiungitur: Repetita constitutione districtius inhihentes ne aliquis de cetero nouum ordinem aut religionem adinueniat. Id quod vsus ostendit intelligendum esse de adinueniente mandando executioni inuentam, sine Summi Pontificis approbatione. Nam constat post talem constitutionem nouas religiones fuisse approbatas ab ipso Summo Pontifice, quod nemo improbare audeat: approbati autem non potuisse nisi iam inuentæ eidem proponerentur.

365. Hinc autem sequitur, nullum statum vitæ, post Concil. Lateran. institutum, quantumuis perfectum, & tribus ante dictis votis perpetuis muniti, nisi sit approbatus à Summo Pontifice esse veram religionem: sicut neque est, quantumuis vitæ uersa approbatus sit à Summo Pontifice, si non liceat eadem tria vota perpetua. Quia de causa militares ordines qui matrimonio vtiuntur, religiones simpliciter esse negat D. Thom. 2. 2. quæst. 186. art. 4. ad 3. (de qua re Azor plenius in 1. par. Moral. Institut. lib. 13. cap. 3. quæst. 2. & 3.) ita vt non sufficiat cum eadem approbatione vnum talium votorum habere, vel etiam duorum, g. votum obedientiæ, non autem paupertatis & castitatis, aut vota obedientiæ & castitatis, sed non paupertatis. Quamquam istiusmodi aliquem statum complectens in materia fauorabili, in qua verba sumuntur in lata significatione, comprehenduntur sub nomine Religiosorum: nõ item in materia odiosa, in qua voces proprie accipiuntur. Secus vero quãdo status vitæ fuerit ab Ecclesia permittus quidem, non tamen approbatus: quia talem sequentes, ne quidem in fauorabili materia comprehenduntur nomine Religiosorum: cuius modi sunt ea, quæ iuxta cap. Indemnitatibus, 8. penult. de elect. in 6. vocantur Canonice seculares. Itemque ea quæ Beguinæ, quarum mentio habetur in Extrauag. vnica, De religiosi domibus.

366. Ceterum sicut tria illa vota ad statum religionis vere proprieque dictum requiruntur: ita etiam ad illum constituendum sufficiunt hoc ipso, quod in aliquo ordine per Sedem Apostolicam approbato emittuntur tempore & modo debito; neque Ecclesiasticis institutis cõtrario: siue illa sint solemnitas, siue simplicia: ita vt non repugnet aliquem vere proprieque Religiosum esse, quantumuis votum solemnitas seu professionem non fecerit, sed solum triplex, votum simplex perpetue paupertatis, castitatis, & obedientiæ. Ad cuius rei confirmationem Gregor. à Valent. 2. 2. disput. 10. quæst. 4. puncto 2. assert. 5. adfert autoritatem Summorum Pontificum, qui nostræ Societatis institutum approbarunt. Eorum aliquot bullas ad rem præsentem facientes habet Azor in cit. lib. 13. cap. 7.

In ter cetera enim, id ipsum nostram institutum continet, vt qui absoluto biennio Nouitiatus, modo apud nos confucto, tria propostia vota simplicia emittunt, eo ipso desinant esse Nouitij: ita vt censentur eo ipso cooptati esse in statu Religioso per Sedem Apostolicam approbato. Id quod est abur de declaratum à Gregorio XIII. in Bulla quam voco cit. A. 201. habet versus finem. Et confirmatur per illud q. Concil. Trident. sess. 25. cap. 16. De reformat. regul. id ipsum institutum approbati: ac tanquam pium commendat, nominatim quoad morem ipsum emittendi absoluto nouitiatu, vota illa tria non solemnitas sed simplicia: per quæ is qui emittit desinit esse Nouitius, & incipit vere ac proprie esse Religiosus. Postquam enim statuit, vt finito tempore nouitiatus Superiores quos Nouitios habiles inuenerint ad proficendum, admittant, aut è Monasterio eos eiciant, subiungit hæc verba: Per hoc tamen sancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere quin religio Clericorum Societatis Te s v iuxta pium eorum institutum, à sancta Sede Apostolica approbatum Domino & eius Ecclesiæ inferuire possint.

367. Rationem reddit Gregor. à Valent. ductam ex ipsa natura religiosi status: in quo aliquis vere ac proprie constituitur per hoc, vt quæ iam cum immobilitate, & cerimonia, actione ue externa (ex qua res pateat Ecclesiæ iudicio) totus per votum paupertatis, castitatis, & obedientiæ diuino obsequio addicitur in certo vitæ genere, & instituto. At quin possit cum emissionem votorum simplicium adesse ceremonia seu actio externa, ex qua Ecclesiæ pateat de illa; nulla ratio datur dubitandi. Quod vero eadem emissio ad iudicandum status vitæ immobilitatem sufficiat, hinc constat: quia non est in eius qui prædicto modo vota memorata emisit, arbitrio positum retrocedere, seque eximere ab eo vitæ genere, cui per illa se addixit. Ea enim sunt promissio perpetua, perinde ac professio, ideoque obligant in perpetuum ab eo instanti, quo emissio sunt; non secus ac cum quis promittit alicui se in perpetuum ei seruiturum; vere eo ipso se mancipat eius seruitio atque ab illo tempore seruus eius est. Nec refert quod possit quis liberari à conditione talis status. Nam ad immobilitatem status vere & proprie dicti, non requiritur vt nullo modo possit quis de eo dimoueri, sed tantum vt ab eo nequeat suo arbitratu liberari. Sic enim is qui est in vere proprieque dicto statu seruitutis, ideo est tantum, quod non possit ab eo pro arbitratu suo se liberari. Nam manumitti potest à domino suo, & liberæ conditionis fieri. Imo, & qui professionem, seu vota solemnitas emisit in religione approbata, ex rationabili causa potest autoritate Summi Pontificis, ab eodem statu liberari: vt ipse Gregor. à Valent. bene ostendit in præced. disput. 6. quæst. 6. punct. 7. vt & Azor in 1. par. Moral. Institut. lib. 12. cap. 7.

368. Verumtamen quia communis vsus in Ecclesia fuit; vt qui religiosum statum sequerentur, vel Nouitij essent vel professi: authores (quorum meminit Azor in præced. lib. 11. cap. 23. quæst. 3.) dixerunt Religiosum vere & proprie neminem esse, nisi solemnitas votorum professione deuinctum: significantes scilicet, non sufficere ad eum statum, quod quis religionem ingressus, factus sit Nouitius; prout habetur ex cap. Religioso, De sentent. excommunicat. 1. 6. 8. Quamuis. Cetera autem quæ in contrarium obici possunt soluntur dicendo, rationem religionis proprie vereque dictæ, esse quidem vnã, consistentem in anteceditis votis & Sedis Apostolicæ approbatione: tamen varias esse determinationes ipsius ad varios illos instituti vitæ modos, ex quibus pendet diuersitas & multitudo quæ in Ecclesia cernitur Religiosorum ordinum. Pro quo vide Lessium De instit. & iure, lib. 2. cap. 41. dubit. 2.

369. De quibus omnibus in particulari quæ difficultatem videntur habere, Azor persequitur in cit. lib. 12. ad cap. 19. & toto lib. 13. Tantum notabimus eos ad tria genera reduci, iuxta tres modos quibus Deum diligere, eique seruire possumus. Primo quidem inhaerendo ipsi per cõtemplationem: secundo, seruiendo ei in membris suis per actionem: vt aledo pauperes, suscipiendo peregrinos, armis protegendo Ecclesiam: tertio obsequium est præstando per cõiunctionem cõtemplationis cum actione, id est, pari cura & diligentia posita in actionis & cõtemplationis studio. Ex his enim modis tria

genera distinguuntur ordinem Religiosorum: vnum eorum qui solam vitam contemplatiuam profitentur: vt in situ autus à S. Brunone, Carthusianorum alique similes. Alterum eorum qui profitentur solam vitam actiuam: vt ordo equitum Melitenfium & aliorum qui Deo inferuiunt, Ecclesiam in armis protegendo, aut agrotorum curam gerendo in Xenodochiis, aut alia misericordiam corporalia erga egentem exercendo, gratum Deo obsequium præstant. Tertium est lenique eorum, qui profitentur vitam ex contemplatione & actione mixtam: videlicet vacantes tum sibi, meditatione diuinorum, curando adhaerere Deo; tum etiam proximo, sacramentorum administratione, aliisque spiritualibus remediis salutem eius procurando. Tales censentur ordines instituti à Sanctis Dominico, Francisco, nonnullisque aliis et iam nostris temporibus.

370. Atque primum genus præstare secundo, & vtroque eorum tertium præstantius esse D. Thom. 2. 2. quæst. 188. art. 6. definit, quia vita contemplatiua (excepto casu necessitatis) potior est vita practica, prout in præced. quæst. 182. art. 1. ipse probat: tum per illud Lucae 10. Martha Martha sollicita es & turbaris ergo plurima. Porro vnum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea:] tum per rationes quibus Aristot. idem ostendit in 10. Ethic. cap. 7. & 8. Vita vero mixta potior est quam contemplatiua, quia (inquit D. Thomas in art. 6. ante memorato) sicut illuminare maius est quam lucere solum: ita maius est contemplata tradere aliis, quam solum contemplari. Accedit ad confirmationem exemplum, tum Christi, tum etiam Apostolorum qui accenderunt lucernam, non vt ponerent eam sub modio, sed super candelabrum, vt alios illuminarent. Accedit quoque status Episcoporum, qui cum sit status perfectionis, vitam mixtam requirit.

In eodem vero genere, ordo ille prior ceteri potest: primo, qui maxime excellit in obedientia: cuius votum potissimum esse inter vota religionis, præclare docet D. ipse Thom. 2. 2. quæst. 186. art. 8. quem satis familiariter perspicueque loquentem qui vult videre potest. Secundo, ex eod. D. Thoma in seq. 188. art. 6. ceteri potest in eodem genere ordo ille potior, qui ordinatur ad præstantiorem actum instituti vitæ: quod ipse amplectitur. Sicq; inter ordines amplectentes vitam actiuam, præstantior est ille qui instituitur ad redemptionem captiuorum, quam qui ad receptionem hospitem. Tertio, ex eodem D. Thoma ibidem is quoque potior est qui ad plura charitatis opera ordinatur quam alius: vel qui habet statuta conuenientiora ad consequendum finem sibi propositum. Qua de re videri potest Gregor. à Valent. 2. 2. in fine: & plura de istiusmodi eomparatione particulari, Azor in præced. lib. 11. cap. 24. vt & de eomparatione status religiosi cum statu Episcoporum & Parochorum: in quibus immorari non videtur necessarium ad nostrum institutum.

CAPVT XXV.

De ingressu religionem.

SUMMARIUM.

- 371 Non est quidem necessarium per se longa deliberatione vti ante ingressum religionis, est tamen per accidens.
 372 A Deo petendum consilium per preces, &c. & à seipso per probationem propriarum virtutum.
 373 Non est illicitum inducere aliquem ad ingressum religionis, nisi id fiat metu incusso.
 374 Aut largitione munerum simoniaca, aut mendacijs, aut si inductio sit ad monasterium in quo male viuunt.
 375 Quatenus alicui religionis ingressum dissuadere liceat.
 376 Potest quis ingredi religionem non habens impedimentum, siue personale siue reale: ac quando illud contingat.
 377 De impedimento matrimonij & Clericali status Episcoporum, non aliorum Clericorum.
 378 Varia debentur realia impedimenta ne quis religionem ingrediatur.
 379 Ad quid teneatur is, qui certum monasterium se ingressurum vult, si in eo non admittatur.
 380 Ad quid item qui vult absolute aliquod religionis genus, aut inueterse religionem, aut dissolutam.

381 De eo qui recusat admitti, nisi literas aut artem discat: & eo qui vult absolute religionem, & in particulari aliquam, eo cui superuenit impedimentum.

382 Qui fecit votum religionis non satisfacit suscipiendo Episcopatum, sicut ingrediendo religionem perfectionem. Quatenus vero ingrediendo aque perfectam aut minus perfectam.

383 De libertate quam habet religionem ingressus, egrediendi intra annum probationis.

QVINGVE quæstiones hoc loco tractandæ occurrunt. Prima, An sit opus magna deliberatione vti, ante ingressum religionis. Secunda, An liceat alium inducere ad talem ingressum. Tertia, An liceat eundem ingressum alicui dissuadere. Quarta, An quilibet possit ingredi religionem. Quinta, Ad quid teneatur qui vult religionem ingredi, nec admittitur.

QVÆSTIO I.

An opus sit magna deliberatione vti ante ingressum religionis.

Hanc tractat D. Thom. 2. 2. quæst. vlt. art. vltimo: optime respondens; quod ex parte religionis ac per se, non sit opus magna deliberatione: quia status est valde laudatus (quod aduersus impugnantes religionem, idem D. Thom. bene ostendit in opusculo 19. & aduersus sectarios nostri temporis late tractat Gregor. à Valent. 2. 2. disput. 10. quæst. 4. puncto 1.) & in quo sperantes in Domino mutantur fortitudinem, asilum pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient, Isaïæ 40.] Is ipse Dominus est, qui apud eundem in seq. cap. 49. ait: Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui: etsi illa obliuiscit; ego tamen non obliuiscar tui.] Qua promissione facta ab eo qui optimus, omnipotensque est, nec fallere potest: nihil maius & efficacius requirere potest quis, ad confirmandam spem, qua super illum curam suam, iuxta Plalm. 54. versum 23. omnemq; suam sollicitudinem in eum proiciat, iuxta D. Petri monitum in prima sua Epist. cap. 5. versu 7. Hinc in epistola ad Paulinum circa finem ait D. Ieronym. Festina quæso te, & herenti in salo nauiculæ funem magis præscinde, quam solue.] Vide Azorium in catato lib. 12. cap. 1. quæst. 1.

Ex parte ingressuri vero, & ex accidenti contingere potest vt magna sit opus deliberatione, maturaque consilio ad ingressum religionis: vt exempli gratia, quando multa adfuerint impedimenta, ex parte ipsius ingressuri: qualia sunt infirmitas corporis, onus quo grauius debitis, aut aliud eiusmodi. Item quando quis in particulari deliberat quam religionem ingredi debeat, hancne potius quam illam. In quo casu monet D. Thom. non esse capiendum consilium à quibusuis, sed à viris probis & doctis, qui prodesse possint nec obesse velit.

Omnino vero expedit volenti intrare religionem, vt à Deo consilium capiat per orationes, ac frequentationem Sacramentorum, & lectionem librorum piorum, auditionemque verbi Dei: atque vt seipsum probet diligenter an sit animo paratus, viresque habeat sufficientes ad præstanda omnia quæ religio requirit, ne humeros supponat oneri, cui non sit ferendus. Qua de re Dominus nos monitos esse voluit, proponens Lucae 14. duas parabolas: quarum vna est de volente edificare turrim, qui prius computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum; altera est de Rege qui iturus committere bellum aduersus alium regem, sedens prius cogitat si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad fe. Itaque vt post Caiet. ad cit. D. Thomæ locum habet Nauarrus in Enchir. cap. 12. num. 49. religionem ingressurus, sed bene dispositum inuenire sic debet, vt in Deo totam suam fiduciam colloquet, sperando quod eius auxilio valebit quodcumque religionis onus sustinere: neque eam prius ingredi, quam superet sibi (saltem post ingressum) presitutum iri tali fiduciam; vt pote necessarium ad subsistendum in statu in quo est colluctatio, assiduumque bellum aduersus mundum, carnem propriam, & Diabolum hostes potentissimos.

QVÆ.

QVÆSTIO II.

An liceat inducere alium ad ingressum Religionis.

373. AD hanc respondet D. Thom. in cit. quæst. ult. art. 9. id non solum illicitum non esse, sed etiam meritorium esse. Id enim est hominem ab errore viæ suæ reuocare, & ad perfectionem mouere. Vt autem habetur in fine Epist. D. Iacobi, secundum vnam lectionem; Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ seruabit animam suam à morte; & operiet multitudinem peccatorum. In tribus tamen casibus, vt D. Thomas addit, peccatur grauior tali inductione.

Primum est, cum quis per violentiam inducitur ad religionem: quod prohibetur in cap. Præfens, 20. q. 3. & in Concil. Trid. sess. 23. cap. 18. De regularibus, excommunicantur omnes illi, qui mulieres ad ingressum religionis cogunt, præterquam in casibus iure exceptis. Quos aduerte esse, primum quidem, cum quis sponte vult religionem, is enim compelli potest ad tale votum implendum; sicut is qui sponsalia contraxit compelli ad inuendum matrimonium. Secundum vero, quando coniux sciens iuris dispositionem eam, de qua dicitur in explicatione sequentis quæstionis, consenserit vt alter prosteretur: si enim de manente in fæculo habeatur suspicio, quod non seruabit votum continentie cui se adstrinxerit ad hoc, vt alteri pateret in religionem ingressum, compelli potest ad pariter intrandum, iuxta cap. Significante, De conuersione coniugatorum, per argumentum à contrario sensu: Cum enim illic statuitur, talem personam non esse compellendam intrare monasterium, si illius ætatis sit, de qua suspicio incontinentie haberi non possit: statuitur quoque tacite, si suspicio incontinentie haberi possit, compellendam esse intrare. Tertium demum casum (iure inquam exceptum) esse cum quis commisit crimen propter quod detrudendus est in monasterium. Verum tamen neque in hoc, neque in præcedenti casu quis potest ad professionem; quæ perinde ac matrimonium requirit liberam electionem; cum quisque in statu vitæ deligendo sit liber. Quod adeo verum est, vt nemo compelli possit ad amplectendam religionem Christianam, quantumcumque necessaria ad æternam salutem. Nec vero frustra erit talis inclusio: quia vni erit remedium aduersus incontinentiam, & alteri poena imposita in satisfactionem pro suis peccatis.

Excommunicantur quoque ibidem à Concil. Tridentin. omnes qui consilium, auxilium, vel fauorem dant prædictis compellentibus mulieres religionem ingredi; aut qui scientes eas non sponte ingredi, eidem compulsioni præsentiam vel consensum interposuerint. Aduerte vero, quod etsi profectio (prout habetur ex cap. 7. De iis quæ vi metusue causa fiunt) non animo, sed tantum verbis facta, ob metum mortis ab alio incussum, inualida sit, neque impediatur matrimonium: nihilominus iam ex Concil. Trid. in seq. cap. 19. ille qui intra quinque annos post professionem, non ostenderit se coactum vi vel metu (& quidem antequam abiciat habitum) causasque quas præterdidit deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario, compellitur in monasterio manere.

374. Secundus casus in quo peccatur proposita inductione, est, quando quis alium muneribus simoniace inducit. Ad quod prohibetur i. quæst. 2. cap. Quam pio; atque contingit quando intercedente pacto, vnus alium muneribus ad religionem trahit; non vero quando id facit sine pacto, sed ex charitate, intendendo proximi salutem; vt si quis scholasticum egenum aliat ad religionem, aut munusculis sibi alicuius amicitiam concillet ad eundem finem.

Tertius est, cum quis ad religionem inducitur mendaciis & blanditiis. Inde enim (quod malum est) creatur periculum, ne deceptum se esse detegens, retrocedat: sicque noxissima illius peiora fiant prioribus: præsertim cum ex cap. finali, 20. quæst. 3. si professionem fecerit, teneatur eam seruare; & bona sua hæredibus reddere, nec monasterio relinquere.

Quartus casus addi potest, cum quis inducit alium ad ingressum religionis dissolute, in qua male viuatur. Nam id esset peccatum, sicut & in talem religionem ingredi, in eaque recipi, quantumcumque; ea toleretur ab Ecclesia. Quæ sententia

est communis, vt taltatur Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 45. Ratio vero peccati est, quod in eo præbeatur occasio peccandi aliorum imitatione & impulsu; atque peccandi grauius, cum talis dissolutus vix inueniatur sine violatione votorum.

QVÆSTIO III.

An liceat dissuadere alicui ingressum Religionis.

375. QVONIAM talis dissuasio impletatem quandam censetur continere (maxime quando ex hæretico spiritu fit, existimando statum secularem præstantiorem esse religioso) non videtur dubitandum quin sit illicita, & graue peccatum; nisi fiat iusta aliqua de causa, vt satis patet ex eo quod Concil. Trident. sess. 23. cap. 18. De regularibus, subiiciat anathemati illos qui sine iusta causa impediunt foeminas volentes ingredi religionem. Ea autem iusta causa non est temporalis aliqua, vt consanguinitas, aut alia huiusmodi; sed sola spiritalis: nimirum maior spiritalis vtilitas: siue ipsius dissuasio ingressum, siue ingressum: atque adeo maior Dei gloria. Exempla ponit Nauarr. in Enchirid. cap. 12. num. 45. Quod volens ingredi religionem sit coniugatus, & sine vxoris consensu velit id facere. Item quod per ingressum ipsius, religio detrimentum capiet, non vtilitatem. Præterea, quod ipsemet dissuadens multum commodi spiritualis ad honeste, pieque viuendum accipiat ex ingressu consiliis. Addi potest, quod habeat parentes in ea necessitate pressos, in qua debeat illis subuenire: aut quod idem ingressurus, valde mutabilis sit, nec videatur perseveraturus, aut quod idem ineptus sit ad religionem ad quam aspirat. Quæ de re iudicandum est consideratis ac bene ponderatis circumstantiis loci, temporis, conditionis & qualitatum persona.

Si quæras an is qui alicui sine iusta causa dissuasit religionis ingressum, teneatur ad aliquam restitutionem. Respondetur negatiue, quia etsi peccet contra charitatem, non tamen contra iustitiam: nec enim facit iniuriam dissuasio, cum ex reg. 27. iuris in 6. scienti & consentienti non fiat iniuria: nec lædit religionem in suis rebus; quia is qui nondum ingressus est religionem, nondum ad eam pertinet.

QVÆSTIO IV.

An quilibet possit ingredi religionem.

376. QVEMLIBET posse religionem ingredi, nõ dubitatur: cum Evangelica cõsilia, ad quorum obseruationem religio adstringit, sint omnibus data à Christo. At tamen excipiendi sunt casus ij, in quibus interuenerit impedimentum, vel propria infirmitas, siue corporis siue animi, per quod iudicio viri prudentis ac timentis Deum, aliquis est ad religionem ineptus; vel impedimentum iniuriæ proximi cui aliquid debeat, quo illum iniuste fraudaret ingrediendo religionem.

Quale debitum duplex esse potest; vnũ personale; quando persona non est sui iuris sed subest alteri, & ideo sine ipsius consensu nequit religionem intrare. Alterum vero reale, quando persona libera est quidem, sed debet alteri pecuniam vel suam operam, quæ fraudaret illum per ingressum suum in religionem. Hincque ratione prioris debiti: primo filius ante decimum quartum annum, sine patris consensu religionem intrare non potest; post decimum quartum vero, posse etiam inuito patre bene probat D. Thom. 2. 2. quæst. vltim. art. 6. & constitutum habetur, 20. quæst. 2. cap. 1. & 2. Veruntamen D. ipse Thom. in fine eiusdem articuli casum excipit in quo pater premeretur egestate necessariorum ad vitam, quæ de iure naturali filius tenetur illi suppeditare. Quam exceptionem communi consensu receptam esse annotans Azor in 1. part. Moral. Institut. lib. 12. cap. 1. quæst. 8. addit idem iuris esse in patre, si filium habeat graui egestate laborantem, item in fratre qui fororem haberet expositam periculo se proficiendi, si ab eo desideratur. Secundo, seruus perpetuus qui emi & vendi potest, religionem ingredi nequit domino suo non consentiente, ex cap. Generalis, distinct. 54. De qua re in præced. quæst. 3. plenius Azor: sed nos in ea immorari nihil est opus, cum non sit in his partibus vstita.

Tertio, nec maritus inuita vxore, nec vxor inuito marito

potest intrare religionem post matrimonium consummatum, ex cap. Quidam, & cap. Placet, De conuers. coniugatorum. Idem iuris est, si vir profiteatur religionem vxore consentiente per metum vel dolum, ex cap. Accedens, & ex cap. Veniens eod. tit. nisi ipsa post datum talem consensum adulterari; tunc enim ex eodem cap. Veniens, maritum repetere non potest, sicut potest in duobus præcedentibus casibus: in quibus vir tenetur quidem petenti reddere debitum coniugale; sed illud petere nequit, ob votum castitatis emissum. Cuius differentia ratio est, quod in reddendo, potestati vxoris subit, & in petendo sit futuri, quod a se abdicare potuit per votum castitatis.

Si quæras, quid iudicandum sit si vxor nec consentiat nec dissentiat, sed solum dissimulet, & ipsa moriatur interea. Respondetur cum eodem Azorio alios citante in eod. cap. 1. q. 6. ratam esse professionem sic factam, neque taliter professum, posse ad seculum redire. Pro quo facit cap. Consultuit, De conuers. coniug. addita ratione, quod hoc ipso, quod vxor non repetit virum cum posset iudicetur consensisse vt permaneret in religione. Reliqua eo spectantia Thomas Sanchez late persequitur lib. 7. De matrim. disput. 32. & aliquot seqq. apud quem videnda, cui liberet relinquemus breuitatis studio.

Postremo Episcopus religionem intrare non potest sine Papæ licentia, ex cap. Licet, §. Illa De regularib. inferior autem Episcopo potest sine huius facultate: imo & eo inuito, ex cap. final. 19. quest. 2. Et confirmatur per illud quod in præced. quest. 1. cap. vnico, Episcopi prohibentur impedire Clericorum suorum ingressum in Religionem. Beneficium autem ingressi, non ante vacare quam fecerit professionem expressam vel tacitam; habetur ex cap. Beneficium De regularibus in 6.

378. Iam ratione debiti realis qualiter impediatur quis religionem ingredi, explicatur aliquot propositionibus. Prima est: Quando quis obligatus est ad ratiocinia Reipub. impeditur religionem ingredi, nisi prius ab illis se expediuerit ex cap. 1. distinct. 53.

Secunda est, obligatus ad ratiocinia priuatorum hominū, non impeditur quidem absolute ingredi religionem, relinquendo suis hæredib. ea expedienda; satis est tamen ipsum illa prius expedire. Hæc est Sylu. in verbo Religio 2. quest. 6. & satis de se nota.

Tertia est, Obligatus ad actionem aliquam, vt ad legendum in schola, cōcionandum in templo, seruendum in Xenodochio, etiam si cum iuramento se ad eam adstrinxerit, potest religionem ingredi: nisi inde scandalum notabile immineat. Hæc etiam est Syluest. in præced. quest. 5. Et probatur, quia propositum aut promissum non infringit, qui illud mutat in melius, ex cap. Peruenit, De iurciurand.

Quarta propositio: Qui sponsalia contraxit, & iuramento confirmauit, se matrimonium contracturum, potest ingredi religionem, etiam si consultius sit, vt matrimonium prius contrahat, & ante illius consummationem ingrediatur. Hæc patet ex cap. Commissum De sponsalibus, vbi videnda est glossa verbo Tutius.

Quinta propositio est: Non impeditur simpliciter aliquem ab ingressu religionis ex eo, quod pecuniam creditoribus debeat. De hac non dubitatur quidem si debeat ex sola liberalitate, aut si debita sint incerta, id est, si debitor nesciat in particulari cui debeat: aut si debitor talis sit, vt non possit creditoribus satisfacere, quantumcunque maneret in seculo. Dubitatur tamen si habeat debita certa, seu quorum nouit creditores, ac quibus possit successu temporis satisfacere per suam artem, aut alio modo. Qua de re quid in praxi sequendum videatur iam tradidimus in præced. lib. 15. num. 255. De eadem etiam videri potest Azor in par. 1. Moral. Inst. lib. 12. cap. 1. quest. 5.

QVÆSTIO V.

Ad quid teneatur qui vult ingredi religionem, nec admittatur.

Sicut matrimonium sponsalia præcedunt, quibus vir futuræ nuptias pollicetur femina: ita votum ingrediendi religionem præcedere potest ipsum ingressum. Quod ex se bonum esse, docet ex instituto D. Tho. 2. 2. q. 91. ar. 2. etiam si

illud facere non expediat semper, præsertim sine spiritualis patris consensu; neque est quis facile ad illud faciendum inuitandus, vt Caiet. ibid. monet, & post ipsum Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 46. Quæstio autem proposita, quam Azor persequitur in 1. part. Moral. Inst. lib. 11. cap. 22. explicari potest sequentibus propositionibus.

379. Prima est. Si quis vult se ingressurum certum aliquod monasterium, neque ibi admittatur, eximitur omnino à voti obligatione. Hæc est expressa D. Thom. sentent. 2. 2. quest. 88. ar. 3. ad secundum, & 18. 9. ar. item 3. ad 2. quam Doctores communiter sequuntur. Probatur vero: ex eo, quod talis non tenetur ad aliud, quam ad id ad quod intendit se obligare: quâdoquidem causa limitata producit limitatum effectum, vt Nauar. loco citato bene argumentatur. Neque est quod cum Paludan. in 4. distinct. 38. quest. 4. ar. 1. conclus. 3. obicit quis, taliter vouentem seipsum obligasse ad relinquendum seculum, idcoq; recusam à religiosis talis domus, teneri aliam quærere, vt uiuat extra seculum. Respondetur enim: ex determinatione intentionis pendere in hac re determinationem obligationis: quia votum non extendit se extra vouentis intentionem, & ex hypothesi, intentio vouentis in hoc casu non fuit alia, quam adstringendi se ad talem religionem domum.

Procedit autem hæc doctrina, vt Nauar. notat in initio sequentis num. 47. quantumcunque vouens non seculum promiserit ingressum religionis, sed etiam persecerantiam, & se professionem in illa facturum. Et ratio est, quia tota hæc res dependet ex arbitrio eius cuius est promissionem factam admittente aut repudiante. Repudiando autem reddit impossibilem talis voti executionem, & consequenter tollit omnem illius obligationem.

Si quæras, an sufficiat semel esse repulsus. Respondetur negatiue: nisi repulsa facta sit simpliciter. Nam quando apparet factam esse tantum ad tempus, oportet adhuc expectare, rursum que vigere ex Caiet. 2. 2. quest. 88. ar. 3. col. 3. non tenetur tamen indicare votum quo se adstrinxit, vt docet Azor in cit. cap. 22. quest. 9. Cæterum is quidem qui tantummodo intendit adstringere se ad ingressum certi monasterij, si in eo repulsam patiatur, non tenetur aliud eiusdem ordinis monasterium exquirere, prout Sotus ait in 7. de insti. & 14. quest. 2. artic. primo circa 3. argumentum, & iam ante attigimus.

Sed tamen is qui votum non restrinxerit ad tale monasterium præcise, sed vouendo præterderit principaliter se obligare ad aliquod religionis genus, solummodo ex consequenti eligens sibi cuiusmodi monasterium, tanquam sibi cōmodum, si non recipiatur in eo, tenetur quærere aliud eiusdem ordinis. Quæ est D. Thomæ doctrina 2. 2. quest. 16. ar. 3. ad 2. communiter recepta. Cuius fundamentum est, quod tunc primaria intentio vouentis non fuerit determinata ad talem particularem locum.

380. Secunda propositio est. Qui vouit absolute aliquod religionis genus, aut religionem vnuerse, non liberatur ex eo ab obligatione sua, quod ad vnum aliquod monasterium accedens, passus sit repulsam; sed accedere tenetur ad alia, qua voto suo pariter comprehenduntur. Hæc quoque est D. Thomæ ibid. & communiter recepta, & de se clara; quia latus patet intentio taliter vouentis, quam vouentis ingressum certi monasterij. Intelligenda est autem, locum tunc habere cum spes fuerit, quod alibi recipiendus sit, de quo poterit interrogare eos, à quibus repellitur. Monet vero Sotus loco cit. & Azor approbat in præcedenti quest. 1. quod etiam si quis suam intentionem non restrinxerit, sed absolute vouerit, non tenetur tamen omnes regiones peragere: quia votum obligat tantum secundum intentionem vouentis, nec in dubio credendum est vouentis intentionem fuisse, vt obligaret se ad quærendas religiones extra suum regnū & linguam: quâdoquidem, ait Sotus, ius naturæ, docet eiusmodi vota intra proprium regnū & linguam adimplenda esse; vt indicio est quod vix inueniretur qui religionem voueret, si ea de causa deberet viuere in externa natione, cuius linguam ignorat.

Id quod attingentes Angelus & Syluester, ille Vorum, 3. quest. 10. & hic Religio, 2. quest. 16. addunt pari ratione: quod si in sua patria reciperetur in vna vel pluribus religionibus, de

quibus

quibus probaliter credit, quod si cogitasset vouedo, non obligasset se ad eorum ingressum; non teneri illas ingredi, quoad quidem ad eas specialiter, neque actu neque virtute intentione ipsius se extendit. Si queras, an in tali casu omnes conuentus religionis illius quam vouit teneatur explorare, ac se offerre intra propriam prouinciam. Respondet Sotus satis esse explorasse quinque aut paulo plures: quia tunc morali modo, tota religio censetur explorata; cum ex paucis illis conuentibus ceterorum intra regnum, iudicium venari liceat. Verum tutius est dicere, quod si vouens nihil circa hoc apud se statuerit (alias enim suae intentioni stabit) teneatur percurrere ea monasteria in quibus spes sit receptionis. Et ideo repulsam pati in vno monasterio interdum sufficit ob defectum dictae spei: si nimirum ex illo vno possit sumi iudicium de alijs monasterijs. Interdum vero ob talem spem affulgentem, teneatur plura adire monasteria, quam dicat Sotus: ita vt magis in hac re spectanda sit spes probabilis receptionis, quam numerus monasteriorum.

Si rursus queras, An alicui satis sit passum esse repulsam a generali aut Prouinciali ordinis religiosi quem vouit, vt censetur omnino liber ab eo voto. Respondet Azor in 1. par. Moral. Instit. lib. 1. cap. 22. quæst. 2. satis esse, quando totum ius admittendi est penes tales: aut quando inferioribus: illi imperant ne eum recipiant; alias non esse satis.

Tertia propositio est. Qui vouit se ingressurum religionem in qua non seruatur regula, & cum dissolutione viuatur, nec probabile est quod breui reformabitur; nec illam nec vllam aliam ingredi teneatur. Ratio est, quia votum ipsius fuit de materia illicita, ideoque nullum. Quæ doctrina est Nauar. in cit. num. 46. Ex qua sequitur, ne quidem eum qui vouit religionem in genere, debere huiusmodi religionem ingredi, quando non esset alia quæ vellet ipsum recipere.

381. Quarta propositio. Qui vouit se ingressurum religionem, nec recipitur, quia indoctus est, aut quia nullam scit artem, non tenetur ex vi voti literas vel artem, quæ ab eo requiruntur, ediscere: si nihil de talibus meminerit vouens. Quod addo: quia si tunc cum vouit, sciuerit se non aliter admittendum ad religionem, aut sic affectus fuerit ad religionem, vt si id ipsum sciuerit, nihilominus eam vouisset, censendus est teneri: quia tunc virtutem habuisset intentionem ad id tacite consequenterque vouendum.

Hanc post Sotum Azor approbat in eodem cap. 22. quæst. 4. in fine: prius tractato dubio. An is qui religionem absolute vouit, teneatur eam ingredi, si in gradum tantum laicorum Superiores velint eum admittere, & ipse velit admitti in gradu & ordinem Clericorum. Cui satisficit eadem distinctio quæ proximo allata est.

Quinta propositio. Si quis ita vouit religionem vt voluerit se obligare & religioni in genere, & alicui certæ in particulari: prius ceteris debet hanc ingredi (nisi vellet ingredi perfectiorem iuxta post dicenda) & inde repulsam alias adire. Hæc est Soti lib. 7. de iust. & iure q. 2. art. 1. circa tertium argumentum, & ex precedentibus facile deducitur.

Sexta est. Qui vouit ingredi religionem aliquam, & ei superuenit impedimentum propter quod nequeat ingredi; verbi gratia, infirmitas perpetua incompatibilis cum tali religione aut probationem ingressus, eij citur sine sua culpa, vel propter culpam quam emendare non potest, vt propter homicidium alias commissum, liber omnino est a voto. Hæc quoque est Soti, & ex precedentibus deducitur. Patetque ex eo quod impossibile non sit obligatio, adeoque in eiusmodi votum censetur subintellecta conditio. Nisi obset aliquod impedimentum.

382. Septima est. Quamuis Religiosus professus possit fieri Episcopus, ille tamen, qui religionis ingressum vouit, non satisficit voto Episcopatum suscipiendo: sed prius debet religionem intrare, quam Episcopus fieri; alioquin peccabit mortaliter. Hæc habetur ex cap. Per tuas, De voto & voti redemptione. Nonnulla, quæ in contrarium facere videntur, refert & soluit Azor in cit. capit. 22. quæstio. vltima.

Octaua propositio est. Qui vouit aliquam determinatam religionem potest perfectiorem ingredi. Hanc habent D.

Anton. 3. part. tit. 16. cap. 2. §. 4. & Angelus. Votum 3. §. 16. Confirmantque tum cap. Licet, De regularibus, tum doctrina D. Thom. 2. 2. quæst. vlt. art. 8. tum etiam, quia votum alioqui esset maioris boni impedimentum, contra cõmuniter receptam de eo doctrinam: in eo fundatam, quod alioqui non esset gratum Deo, tanquam reuocæs ab eo quod perfectius est. Si queras, An æque perfectam ingredi quoque possit? Azor bene respondet in eod. cap. 22. quæst. 12. non posse priuata auctoritate: quia tunc cessat ratio illa, quod votum esset impedimentum maioris boni.

Nona est. Qui vouit se ingressurum strictiorem religionem quantumuis laxiorem ingrediens mortaliter peccet, faciendo professionem in illa: tamen facta professione potest in eadem laxiore manere; nec tenetur strictiorem ipsam ingredi. Hanc habent Angelus in sequen. §. 17. Syluest. Religio 2. q. 18. Nauar. in Enchir. cap. 12. numer. 48. ex cap. Qui post votum, De regularibus in 6. Et ratio est, quam Azor habet in cit. quæst. 12. quod professionem faciens, se religioni sic tradat, vt in ipsum ea acquiratur, per quod alteri se tradere impeditur. Ante factam vero professionem obligatio prædicti voti perseuerat, quoniam vouens adhuc est sui iuris: ita vt implere illud sit positum in ipsius potestate.

383. Vltima propositio est. Qui vouit se religionem ingressurum; si intra annum probationis videt religionem sibi non conuenire, libere exire potest; votoque satisfecisse censetur. Hæc est D. Thom. in cit. quæst. vlt. artic. 4. Palud. in 4. dist. 38. q. 4. art. 1. concl. 2. D. Anton. in memorato §. 4. Syluest. in sequenti qu. 19. atque aliorum quorundam meminerunt Couar. ad cap. Quamuis pactum de pactis parte 1. §. 3. sub finem, & Azor in prima parte moral. instit. lib. 1. c. 22. qu. 6. Procedit autem nõ modo cum vouerit ingressum experiendi tantum causa, & seruata libertate remanendi, vel non remanendi; sed etiam cum vouerit simpliciter ingressum, absque eo quod cogitarit de libertate egressus, vel de perpetuitate remanentis. Ratio est: quia tunc etiam ad ingressum religionis obligatur solummodo secundum formam iuris: quæ est, vt ingredientibus detur annus probationis ad experiendum nam religio sibi conueniat; vt possit eam deserere, si inuenierit nõ sibi conuenire. Imo ceteri quoque potest procedere, quantumcumque voto de ingrediendo adiunxerit propositum remanendi in ipsa religione: dummodo enim sincere ingrediat, animo scilicet probandi eam, & in ea permanendi, si inueniat sibi conuenire, potest libere egressi, si iudicet eam minime sibi conuenire: etiam si nulla alia de causa moueatur, quam quod ille viuendi modus ipsi displiceat, tanquam sibi incommodus, asper, & durus, ex Nauar. in fine præced. n. 47. Et ratio est quia ius ei relinquitur liberrimè egressum, vt patet ex cap. 1. & 2. de regularibus in 6. Quamquam, vt loco citato bene ait Azor, recedens absque legitima causa, censetur peccare in eo, quod animi quadam leuitate, à vitæ in stituto quod cepit, temere desistat.

Aduerte vero ex D. Thoma in citato art. 4. ad 3. illum non satisfacere voto, quod fecit ingrediendi religionem, si eam ingrediatur animo statim ab ea exeundi, nisi postea bona fide perseueret in experimento religionis. Ratio est: quia tale votum, etsi factum sub conditione egrediendi, nec permanendi (cum sit vana ac stulta promissio) non obligat tanquam inualidum: si tamen absolute fiat, nihil obstat quin absolute quoque obliget ad instar ceterorum votorum absolutorum. Ille enim peruersus animus, quem vouens habuerit non facienti quod potuerit ad illius obseruationem, extraneus est voto, ideoque relinquit ipsum in suo vigore perinde ac peruersus animus, quo quis vouet intendens non implere votum.

Restat dubitatio, An ille etiam intra annum probationis possit exire a religione, qui non tantum vouit se ingressurum, sed etiam se perseueraturum in ea. Atque in vtramque partem authores Azor refert in eodem cap. 21. quæst. 8. Ceterum ante Concil. Trident. quidem, parti neganti locus esse potuit, si is qui vouit, intentionem habuerit renunciandi priuilegio, quo ingrediens religionem beneficio iuris, libertati suæ relinquitur in anno probationis. Nam cum quilibet renunciare valeat iuri quod pro se introducit, est, prout habetur in cap. Si quis iurum, De regularibus, non fuit ei

liberum egredi, si vouendo, intentionem habuerit renunciandi prædicto priuilegio, quia uouit quod erat in sua potestate. Sed post Concilium Trident. non potest talis opinio procedere, quia nullus est locus eiusmodi renunciationi. Ipsum enim in sess. 25. de regularib. cap. 16. inualidat omnem renunciationem & obligationem, etiam cum iuramento vel in fauorem cuiuscunq; causæ piæ factam, ante annum probationis. Vnde non potest quis, etiam si velit, prædicto priuilegio se priuare. Quare nec potest ante eundem annum, facere votum validum perseverantiæ, quo se eodem priuilegio priuet, siq; intra illum ipsum annum permanet in sua libertate.

CAP. XXVI.

De ingredientibus religionem.

SUMMARIUM.

- 384 Ingressus in religionem fit cum per susceptionem habitus, tum per professionem.
 385 Requisita ad professionem expressam.
 386 Tres modi quibus fit professio tacita.
 387 Quod non sit quis censendus professionem tacitam fecisse, per susceptionem habitus noui: iorum: quantumcunque suam uoluntatem perseverandi ac profitendi sufficientissime ostenderit.
 388 Quo modo accipienda sint iura, que in contrarium citantur.
 389 Quatenus aliquam religionem tacite professus possit aliam intrare.

384. Ingressus in religionem dicitur dupliciter vno modo, cum quis religionis habitum suscipit, & ad probationem recipitur; siq; per ingredientes religionem intelliguntur Nouitij, seu iuvenes: de quibus multa Summularij habent in verbo Nouitius, & post eos Azor in lib. 12. primæ partis Moral. Inl. cap. 2. & 3. quæ relinquimus ei qui uolet apud ipsum uidentia: contenti eo, quod maxime facit ad iudiciū nobis propositum, & in illo cap. 1. qu. 10. ipse Azor docet, post Angelum num. 18. Tabien. num. 13. Armillam num. 18. in eodem verbo Nouitius, & Syluestrum Religio 5. quæst. 6. nimirum quod nouitius non teneatur quidem simpliciter & absolute alligatus statuti religionis: cum libere possit ab ea recedere, nec admittas sit in Religiosorum sodalitiū; sicut nec catechumenus adstringitur Ecclesiæ legibus nōdum baptizatus; nihilominus dato quod uelit persistere in probatione, teneatur Superioris imperio parere: cui si non subiciat se, nequit commode gubernari & probari. Debet item religionis statuta seruare, ut vires suas probet, & assuecat illorū obseruationi, alioqui probatio ipsius non erit idonea, offendunturq; veterani. Aduerte autem quod Azor ibidē addit, Nouitium non incurere in penam quam religionis statuta delinquentibus imponunt: ut nec catechumenus ante receptionem baptismi, incurrit in penas legibus Ecclesiasticis statutas; quia ut hic nondum est admissus in Ecclesiam, ita nec ille in religionem; sed uterq; adhuc foris est.

Altero modo ingressus in religionem dicitur, cum quis per professionem in sodalitiū Religiosorum ita admittitur, ut absq; mortali peccato & apostasia, tanquam effectus veræ & simpliciter Religiosus, recedere nequeat. Sic accipitur in cap. Quia ingredientibus, 19. quæst. 3. & in Authentica Ingressi, Cod. De Sacrosanctis Ecclesijs. Fit autem istiusmodi ingressus tribus adhuc modis. Inter quos discrimen est, quod is qui ingreditur primo vel secundo modo, matrimonium amplius contrahere non possit; siq; id attentet, matrimonium sit nullum, ex cap. Vnico De Voto & voti redemptione in sexto. Is vero qui ingreditur tertio modo, si postea uxorem ducere attentet, quamuis mortaliter peccet, contrahit tamen valide.

385. Ingressus igitur in religionem primo modo, fit per professionem expressam, quæ præter uisitam formam profitendi (cuius Azor lib. 12. cap. 4. quæst. 2. varios modos refert) requirit necessario tres condiciones. Prima habetur ex cap. Porrectū De regularibus, ut professio ipsa fiat in manibus eius, qui illam recipiendi plenam habet potestatem. De quo idem Azor in seq. cap. 5. quæst. 3. 4. & 7. ubi versu 3. post alios (quos

ipse citat) ait in manu alterius, loco eius factam, valere, si id prius ipse mandauerit, aut postea probarit: factam uero non eius loco, non valere, quantumcunq; postea id sciens, ipse approbet.

Duz autem reliquæ condiciones habentur ex Concilio Trident. sess. 25. cap. 15. de regul. Vna est, ut is qui professionem facit, expleuerit ætatis suæ annum 16. siue uir siue mulier fuerit. Altera est, ut post susceptum habitum, abfoluerit annum integrum probationis. De qua conditione Azor in prius citato cap. 4. quæst. 9. agens, bene monet cum Nauarr. in libr. 3. consil. consilio 30. De regularib. num. 1. annum probationis posse impleri ab eo qui nōdum expleuerit annum decimum sextum; uique talis probationis, posse probatum admitti ad professionem expleto 16. anno, quia Concilium non facit illam anni determinationem quoad probationem, sicut quoad professionem. Inter quas tres condiciones cernitur hæc differentia, quod quantumcunq; prima desit, professio nihilominus rationem voti simpliciter habere possit, ob intentionem quam profertens habuit tali promissione Deo facta, adstringere se ad perpetuam paupertatem, castitatem & obedientiam. Sin autem secunda vel tertia conditio desit, professio nulla sit, nec ullam inducat obligationem, ut Concil. Trid. ibid. expressit.

Ingressus in religionem fit secundo modo per professionem tacitam: & hoc tribus diuersis rursus modis, quorū primus habetur ex cap. Vidua De regularibus: cum quis habitu proprio professorum suscepto legitime, id est, auctoritate illius, cuius est admittere seu incorporare religioni; eiusdemq; autoritate sciens & uolens facit aliquod opus de iure vel consuetudine cōueniens solis professis (quod nec ignorat) quale esse potest suffragium ferre in conuentu, aut in comitijs, vel iussu Abbatis iniciari sacris ordinibus.

Secundus uero habetur ex cap. Ad nostram De regularibus, cum quis sciens ac uolens defert habitum professorum manifeste in colore, scilicet, vel aliā forma distinctum ab habitu nouitiorum, siq; perseuerat per triduum. Quæ etiam in re iuxta ea quæ alijs citatis habet Azor in eod. cap. 4. qu. 3. exigitur, ut quis gestet huiusmodi habitum, susceptum natu & auctoritate Superioris, cuius est ad professionem admittere; & (ut consentaneum est) gestet in monasterio: aut si extra, id faciat tantum cum facultate eiusdem Superioris. Adde legitimam etiam ætatem debere habere, ex ca. 1. & cap. Constitutionem, De regularib. in 6.

Textus demum habetur ex cap. Ex parte De Regul. & ex Clem. 2. eod. tit. & est, cum quis per annum integrum defert habitum nouitiorum & professorum communem id est, nō distinctum manifeste in colore, scilicet, vel figurā, quantumuis distinguatur occulte: ut uerbis gratia, per solam benedictionem, quæ professorum, non autem nouitiorum habitus benedicti solet, prout tangitur in fine cap. 1. De regular. in 6. Ad quem etiam tacitæ professionis modum, opus est ut quis habitum gestet sciens & uolens, cumq; acceperit auctoritate eius, qui ad professionem potest recipere. Quod uero ex citata Clem. 2. deducitur quoad ætatem, sufficere ad hanc eundem modum, ut quis ad annos discretionis peruenerit, nunc per Conc. Trid. sessione 25. de regular. cap. 15. sublatum est, cum decernit professionem religionis, factam ante expletum decimum sextum ætatis annū, nullam vim habere. Inno & in totum sublatos pariter esse duos præcedentes modos tacitæ professionis, patet ex eo quod ibidem quoq; idem Conc. decernit, nullam esse professionem eius qui minori temporis spatio, quā vnus anni post susceptū habitū, steterit in probatione. Cum enim ad primum modū sufficiat tempus vnus operationis (quod aliquot tantum horarum, aut dierum ad summum paucorum esse solet) & ad secundum sufficiat triduum, non potest illud de spatio vnus anni in illis seruari.

Potest uero seruari tertio hoc tacitæ professionis modo, ideoq; nunc perinde ac ante Concil. Trid. censendus est tacite professus, qui post expletū ætatis annum decimum sextum religionis habitum Nouitij & professis communē, nec colore aut forma distinctum gestauerit per annum, auctoritate eius qui potest ad professionem admittere. Vnde nunc perinde ac pridem taliter professus, potest per censuram compelli manere in religione, iuxta citatum cap. Ex parte: eumq; religio, quam sic professus est, retinere tenetur, prout probat

Angelus in verbo Nouitius §. 14. quia talis vere est Religiosus, iuxta illud, quod ex capit. vnico De voto in 6. nequeat valide matrimonium contrahere, vt nec expresse professus. At religiosus non est nisi alicuius religionis, in qua professus est. Quare debet in ea retineri.

387. Tercio modo ingressus religionis fit, quando quis Nouitiorum habitum suscipit animo mutandi vitam absolute & simpliciter; hoc est, voluntate religionem profitendi, & in ea perpetuo manendi, quem animum demonstrat aperto aliquo signo externo; quale esse potest beneficium suum alteri resignasse, aut se bonis suis abdicasse. De hoc mentio est in cap. Super eo, in cap. Consulti, in cap. Statuimus, De regularibus, & in cap. Beneficium, & in cap. Non solum, eod. tit. in 6. In illis enim decernitur, eum qui susceperit habitum Nouitiorum, posse intra annum probationis libere recedere; nisi illum susceperit animo vitæ ratione simpliciter mutandi. Vnde aliqui Canonistæ (quorum meminit Azor in prima parte Moral. Inst. lib. 12. cap. 4. qu. 4.) voluerunt deducere, quod hic modus constituat diuersum à præcedentibus professionis genus. Sed contrarium tenendum est cum Sylu. in verbo Religio 3. q. 19. versu. Quarto inducitur, Rosella verbo Nouitius §. 13. & Angelo eod. verb. §. 12. quia professio religionis (vt citatis aliquot Canonistis idem Angelus habet in seq. §. 13. Etiam ante attingimus) nunquam inducitur, etiam si quis expresse voueat, nisi ea fiat in manibus illius qui potestatem habet ordinariam vel delegatam recipiendi, & incorporandi religioni in qua fit professio. Cum autem quis tertio isto modo ingreditur religionem Superiorem tradens ei habitum Nouitiorum non tradit animo admittendi ad professionem, sed solum ad probationem, vt vitam & mores ipsius exploret. Accedit quod in cap. Non solum De regularib. in 6. religionem isto modo ingrediens, aperte distinguitur ab eo qui proficetur expresse vel tacite; cum scilicet ad illa verba, Nisi professus sit expresse vel tacite, adduntur ista: aut euidenter conficit illam vitam mutare voluisse.

388. Iura autem prius citata, quibus sententia contraria nititur, non sufficere ad illius probationem; Azor loco citato ex eo docet, quod ex illis nihil amplius deduci possit, quam eum qui Nouitiorum habitum suscipit simpliciter, animo & voluntate profitendi, atq; perseverandi in vita religiosa, adstringitur voto simplici religionis; neq; iure possit ad secularem vitam statutum redire; cum religionem ingressus sit non modo vt experiretur, an vita religiosa sibi expediret, prout loquitur cæteri Nouitij; sed etiam voluerit adstringere se ad emittendam professionem, & perseverandum in ea religione. Vnde tantum sequitur, quod peccaturus sit quidē, rediens ad secularem vitam; non tamen quod possit, in foro externo tanquam professus cogi redire ad religionem; neq; si ipse matrimonium contrahat (etiam si in eo peccet mortaliter contra id ipsum votum, quo obligatur coram Deo) illud erit nullum, prout constat ex cap. vnico De voto in 6. Neq; etiam tenetur manere in religione, cuius habitum susceperit, sed est ipsi liberum aliam, etiam laxiorem eligere, ex cap. Consulti. De regularibus.

389. Porro quod eandem libertatem eligendi aliam religionem, Angelus in verbo Nouitius §. 14. concedit ingredienti per professionem tacitam (argumento capit. Constitutio- nem; De regul. in 6.) admiserim procedere in casu quo sic ingrediens, nullam præcise habuit intentionem se adstringendi ei religioni; sed tantummodo relinquendi seculum. De voto enim iudicandum est ex intentione vouentis. Quod si talem se adstringendi intentionem habuerit, negari non habere prædictam libertatem: quia in cap. Ex parte, De regularibus, taliter professi præcipiuntur per Ecclesiasticam censuram compelli, determinatè monachalem regulam secundum formam ordinis, profiteri & seruare. Nonnulla alia de ingrediensibus religionem proponunt & satis familiariter explicat Syluest. verbo Religio 2. & 3. & Azor in cit. lib. 12. cap. 4. & 5. apud quos ea videnda relinquimus; cum hæc videantur sufficere Parochis, quorum instructione maxime spectamus.

CAP. XXVII.

De ingressu religionem.

SVMMARIVM.

- 390 Varietas eorum, quæ Religio incumbunt ex officio.
- 391 Quatuor casus in quibus Religiosus mortaliter peccat contra obedientiam.
- 392 De peccato eius qui in religione votatantum, non autem regulas seruare vult.
- 393 Quatenus peccet Religiosus agendo contra regulas que non obligant ad culpam.
- 394 Obedire sine præcepto, quæ in eo expectatio melius est: Et quid agendum, cum diuersi Superiores contraria mandant: item quid in dubio.
- 395 Quando sit, aut non sit necessarium, quod Religiosus Prebato suo obediat.
- 396 Quatenus consueudo possit, aut non possit excusare ab obseruatione regale.
- 397 Religiosus post factam professionem, de suis bonis disponere non potest: nec testamentum ante illam factum mutare.
- 398 Peccatum suo genere mortale Religiosus committit contra paupertatem, habendo proprium.
- 399 Tres casus in quibus Religiosus mortaliter peccat retinens aliquod in vsum proprium.
- 400 Peccat Religiosus volens de aliquo libere disponere, ac si dominum illum haberet.
- 401 Religiosus de eo quod domino accepit non potest disponere.
- 402 Ad quæ tenetur Religiosus ordinis, in quo assignatur cuique suum proprium.

390. EX ijs quæ religionem ingressis incumbunt ex officio, quædam sunt propria illius ordinis quem susceperit, ad quæ notitiam habendam consulendæ sunt propriæ constitutiones eiusdem ordinis: nec enim omnium eadem sunt, sed variorum variæ. Quædam vero sunt communia, atque adeo ab omnibus cuiusvis ordinis Religiosis seruanda; vt quæ ius commune illis vniuersè sub præcepto imponit. De quibus quoad ius nouum, Concilium Trident. legi debet in sess. 25. De regularibus (eius generis ex eodem Concilio multa refert Azor in prima parte Moral. Institut. lib. 12. cap. 18.) & quoad ius antiquum, legi debent cause & tituli iuris canonici quos initio huius tractatus commemorauimus. Nonnulla istius generis, tanquam posita in vsu frequenti, referemus in sequenti capite ac quantum ad nostrum institutum videtur sufficere, tractabimus. Alia deniq; religio ipsa de se exigit ab omnibus Religiosis; nempe ea quæ spectant ad tria illius essentialia vota perpetuæ castitatis, paupertatis, & obedientiæ. In quibus nullum Superiorem dispensare posse habetur ex Concil. Trident. loco citato cap. 1. De Summo Pontific. quid tenendum sit, explicatum videri potest apud eundem Azorium in præced. cap. 7. De ijs autem quæ huius tertij generis sunt, dicere oportet in hoc cap. Et quidem de spectantibus ad castitatem nihil aliud occurrit dicendum, quam commendatissimam esse debere omnibus Religiosis: vt pote, qui hæc ex parte tenentur vitam celestem ducere, puritatem imitando Angelorum, quibus per votum ipsum castitatis (se nuptiarum omnino expertes reddendo) similes fiunt, iuxta illud Matth. 22. In resurrectione neq; nubent neq; nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in celo. Quod caue ne accipere vt existimes sub votum castitatis cadere solummodo abinentiam ab vsu matrimonij. Nam simul etiam cadit, quæ cumq; alia, ab omni eo quod castitati repugnat: siue sit verbum, siue cogitatio: ita vt peccatum grauius sit in Religioso, quam in seculari non habente votum castitatis; cum in hoc, luxuria tantum; & in illo adhuc sacrilegij rationem habeat; vt bene notat Sylu. in verbo Religio 6. quæst. 8. sicq; duplicis malitiæ reus sit, vbi alter tantum est vnus; vnde non sufficitei, vt in confessione dicat fornicatus sum, nisi aperiat se reum esse violati voti. De ijs autem quæ ad obedientiam & paupertatem religiosam spectant aliquot documenta occurrunt proponenda pro ratione iudicandi de peccatis quæ contra votum de illis Deo factum, contingit committi.

Documenta pro ratione iudicandi quando contingat Religiosum peccare contra votum obedientiae.

391.

Primum est. In quatuor casibus (qui tanguntur à Diuo Thoma 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 2. & 9.) Religiosum peccare mortaliter contra obedientiam. Primus est, quando aliquid facit contra id, quod Superior præcipit contentantem regulam cui generaliter ille se adstrinxit, estque; requisitum non modice ad votorum castitatis, paupertatis vel obedientiæ observantiam: aut eidem non parum necessarium ad æternam salutem. Cum enim tale præceptum detur in materia graui, obligationem de se inducit sub mortali. Vnde si tale factum iam alias mortale sit genere suo; ipsum aggrauatur mortaliter tali malitiâ inobedientiæ. Secus autem accidit in materia leui, aut quando à Superiore quid eiusmodi non præcipitur, sed solummodo proponitur: neque enim inobedientia est, ubi non datur iussio. Videri potest Gregor. à Valent. 2. 2. *disp.* 10. q. 4. puncto 5.

Secundus casus est. Quando Religiosus non facit id quod Superior iniungit ei in virtute sanctæ obedientiæ, aut alijs verbis æquivalentibus; aut sub pœna quæ incurritur tantum ob peccatum mortale; vt excommunicatio, aut alia aliqua ratione, qua significetur præceptum ei dari exequendum sub pœna peccati mortalis.

Tertius est. Quando contra Superioris vel Regulæ præscriptum Religiosus agit ex contemptu, id est, interprete D. Thom. in eod. *art.* 9. ad 3. quando ex peruersa voluntate, qua superbe nolens præcipienti subijci, inde procedit ad contra agendum. In quo mortale peccatum committere patet: cum & per votum obedientiæ adstringatur ad talem subiectionem; & Superiori locum Dei tenenti, notabilem faciat iniuriam.

Quartus casus est. Quando nullam omnino habet (salutis immemor) intentionem tendendi ad perfectionem; id enim quædam apostasia est à professione: quæ hoc ipso quod religiosa est, versatur in tendentia ad perfectionem, seu profectum in vera charitate: adeo vt in tali Religioso idem contingat ac in scholastico nullam intentionem habente tendendi ad literarum scientiam: præsertim cum religio schola quædam sit, in qua perfectio difcitur. Vnde Religiosus non quidem perfectus esse, sicut Episcopus, sed ad perfectionem tendere tenetur: sicut discipulus non tenetur quidem sciens esse sicut magister, tenetur tamen studium adhibere vt talis euadat: quæ doctrina est D. Thomæ in præcedenti *art.* 2. ad 1. Iuuerit autem videre P. Iacobum Aluarez de Paz, tom. 1. De vita spiritali. lib. 5. cap. 11.

Notat, autem cum Caiet. Gregorius à Valent. loco citato circa quartam circumstantiam: Religiosum non aliter teneri contendere ad perfectionem, quam agendo vitam regularem eo modo quo illam promissit. Adde quod idem habet circa secundam circumstantiam; quod per votum obedientiæ Religiosus non solum promittat se adimpleturum præcepta Superioris: sed etiam adimpleturum secundum vitam regularem sui ordinis, id est, cum subiectione erga regulas legitima autoritate à Prelatis præscriptas alumnis suis. Talem vero subiectionem in hoc consistere: quod siue huiusmodi regulæ secundum se obligent ad peccatum mortale vel veniale, siue ad nullum peccatum per se obligent, sicut illa Dominicanorum, teste D. Thom. in *cit. art.* 9. ad 1. carum observatio ad eundem Religiosum sic attineat, vt merito Superiores possint à transgrediente pœnas exigere, quas ille sustinere teneatur, etiam quando nulla fuerit obligatio earum ad peccatum, prout D. ipse Thomas ibidem expressit. Quæ cum ita sint, relinquatur quod sicut Religiosus obligationi quam habet tendendi ad perfectionem: satisfacit eo ipso, quod vult subiectus esse regulis sui ordinis: sic transgredi eandem obligationem eo ipso, quod non vult eidem regulæ subiectus esse: quod peccatum est mortale, tanquam notabilis violatio voti obedientiæ.

392.

Secundum documentum, quod in eodem puncto 5. circa 4. circumstantiam Gregor. à Valent. tangit, est. Eum non peccare mortaliter violatione voti obedientiæ, qui sic est animo comparatus in religione, quod nollet quidem regulas ultra vota

sua seruare, vellet tamen ipsam regulam subiectus esse, ea subiectione de qua paulo ante dictum est. Id quod habetur ex D. Thoma in *citato art.* 9. cum temperatione notanda, quod talis possit aliunde esse in peccato mortali: nempe ex præcepto quod cum intentione obligandi ad mortale Prælatum obtinuit dederit, aut in regula expresserit: itemque ex periculo, cui talis se exponit, contemnendi regulas, atque adeo vitam regularem, ad quam adstrictus est voto. Namque, vt ibidem ad tertium Diuus Thomas bene notat; consuetudo transgrediendi, solet contemptum inducere; iuxta illud Prouerb. 18. Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Qui contemptus ex præcedenti numero, casu tertio, peccatum est mortale: & per consequens, periculum quoque incurritur in illud. Qui enim amat periculum, in illo peribit. Ecclesiastici 3. Idem dic de eo qui propositum habet transgrediendi omnes regulas præcipuis ordinis, quibus venit ad perfectionem (cuiusmodi censetur esse pertinetes ad sui abnegationem, aut ad carnis edomationem, aut ad mundi contemptum) quia tunc interueniret contemptus interpretatiuus vitæ regularis quam vult; non item si vellet aliquas ex ipsdem regulis præcipuis seruare, quantumcumque nollet omnes: quoniam volens cum suis votis seruare aliquas de præcipuis censerit, posset ad perfectionem tendere, etiam si ad eam non curreret. Hoc indicatum à Syluestro in verbo Religio 1. qu. 12. dicto 4. expressis verbis habet Gregor. à Valent. in eodem puncto 5. versus finem.

Tertium documentum est. Quamuis transgressio regulæ in ordine eo, in quo illa per se non obligat ad culpam, non sit peccatum ex suo genere, potest tamen mortale peccatum esse: tum ex contemptu, iuxta tertium casum memoratum: potest item ex libidine, id est, ex nimia cupiditate ad aliquid: aut ex negligentia, id est, ex torpore quodam animi, esse peccatum saltem veniale, ex D. Thom. in eodem *art.* 9. ad 1. Quod & probatur; quia ille excessus affectionis, & iste defectus finis rationalis, aduersatur rectæ rationi, ideoque vitiant actionem. Atque hinc sequitur, quod Gregor. à Valent. notat in *fine cit. puncti* 5. non peccare quidem eum qui regulam non obligantem sub peccato, transgreditur ob aliquam causam quæ rationalis sibi videtur, quantumcumque melius esset ipsam regulam seruare, cum non teneatur semper id facere quod melius est: nihilominus tamen in tali transgressione, communitur admiseri aliquid culpæ, cum in eam facillime irreat torpor aut libido: præterquam quod perdat meritum obedientiæ, quod coniunctum est cum executione regulæ.

Quartum documentum est. Perfectius esse, atque obedientiæ voto conformius, prompte exequi, quod Superiore velle intelligimus, quam illius iussionem expectare; nisi forte in rebus arduis, quæ præstent virtutem, aut eruditionem requirunt; vt profectio ad Indos pro infidelium conversione, aut susceptio alterius grauis oneris & prouinciæ. Hoc Sotus habet De iust. & iure lib. 7. qu. 2. *art.* 4. ante solutionem argumentorum. Probatur vero, quia in obedientia promptitudo maxime commendatur: neque paratus obedire exigit præceptum compulsorium, quando res est clara & aperta. Vnde Superiores non nisi rebelles, aut in dubio hærentes, præcepto cogere & vigere solent.

Quintum est. Quando plures sunt, quibus in religione obedientia debetur: illis contraria præcipientibus, Religiosum teneri obedire Superiori potius, quam inferiori. Hoc de se manifestum est: quando quidem hic quoque illi subest, teneturque se conformare iustæ voluntati ipsius. Vnde sequitur Prælato aliquid illicitum præcipienti, nõ esse obtemperandum, quia Deus illud fieri prohibet: nec item præcipienti aliquid contra regulam, nisi in ea dispensare possit. Si autem dubiteur an aliquid sit illicitum, vel contra regulam, vel an circa illud Prælatum debite dispense, Religiosus iudicium ipsius debet perferre suo, & obedire: vt bene monet Sylu. in verbo Religio 6. *quæst.* 6.

Sextum documentum, tractatum à Sylu. Religio 6. *quæst.* 6. Cum Prælatum aliquid præcipere possit, vel secundum, vel contra, vel præter, vel infra, vel supra regulam: præcipienti secundum regulam, id est, secundum contenta in regula explicitè, vel etiam implicitè (vt ea sine quibus regulæ bene seruari

393.

394.

395.

seruari non possunt, velut poenitentia: quæ pro illarum transgressione iniunguntur) obediendum esse, prout satis de se patet; non autem præcipienti contra regulam, ex præced. documento.

Præter regulam vero præcipienti, Religiosum non teneri obedire: quia vouens obedientiam in aliqua religione, intendit id facere secundum regulam eius. Atque, vt ex Diuo Bernardo Syluester adfert, obedientia non extendit se ultra ius prælationis. Quod secundum regulam limitari patet ex forma voti; quæ Religiosus vouet obedientiam in tali vel tali genere vitæ. Porro tunc præter regulam aliquid præcipi censetur, cum id ipsum, nec in ea continetur, nec ad eam expedit, inuatur eius executionem: vt leuare de terra festucam, aspicere aues volantes, aut numerare stellas.

Infra regulam autem præcipienti aliquid, quale est reficere corpus certa hora, aut aliud quod regula perimit, simpliciter obediendum esse Angelus existimat. Sed Sylu. vult id non procedere, cum Religiosus certus fuerit, tale quid sibi nociturum in corpore vel in anima.

Supra regulam deniq; præcipiendi aliquid, vt ieiunium aut aliam austeritatem ad quam regula non arctat, esse obediendum si iniungatur in poenam culpæ ante admittæ; nõ autem si in cautelam culpæ deinceps vitandæ, quando Religiosus videret se nullatenus ad talem culpam sollicitari. Ratio est, quia Religiosus tenetur quidem ex cõditione vite regularis, in primo documento expositæ, correctioni Superioris se subijcere, non tamen pro voluntate eiusdem Superioris amplecti, quod ad regulam nihil atinet, sed limites ipsius excedit. In talibus tamen obedire perfectionis est, quando non sunt contra Deum, aut contra professionem regulæ: quo casu, obedientia esset illicita. Sicq; triplex est obedientia: vna necessaria, quæ Religiosus obedit in ijs, ad quæ obligatur: altera perfecta, quæ obedit in omnibus licitis: & tertia indifcreta, quæ obedit etiam in illicitis.

Septimum documentum est Religiosum non teneri suo Superiori obedire (*non obstantem iure, quod hic in illum acquisiuit per ipsius professionem*) quando ei præscribit aliquid quod est contra maiorem perfectionem; vt si prohibeat ne ad aliam perfectionem religionem transeat, ex cap. Licet, De regul. Ratio vero est, quod vt iuramentum, sic & votum: nec vinculum iniquitatis fit, nec boni maioris impeditiuum.

396. Octauum documentum est. Eum qui religionem ingressus est, nulla consuetudine excusari posse quin teneatur implere essentialia regulæ, qualia censentur, quæ ad tria vota religionis spectant, aut quæ ad eorundem obseruationem valde conducunt moraliter; necessaria esse iudicantur. Nam sine talibus, regularis vita quam professus est, nec vigere potest, nec consistere. In accidentalibus autem obseruationibus, excusari posse consuetudine rationabili, quæ licet forte non sit immemoralis est, tamē (vt vtar verbis Nauarri in Enchir. cap. 12. n. 50.) tot annorum, ad eoque; vetus & antiqua, vt ad emolliendas in religione, aut etiam tollendas prædictas obseruationes sufficiat: sicut potest sufficere Apostolicum priuilegium, aut licentia, siue expressa siue tacita alterius Superioris auctoritatem ad id habentis.

Atq; ex hoc documento consequens est, qd in initio eiusdem numeri quinagesimi tãgit ipse Nauarrus: eum qui ingressus est & professus religionem in qua regularis obseruantia nequaquam viget, non excusari à mortali, si nõ obseruet illa quæ sunt essentialia regulæ, neq; valere excusationem dicentis qd non intenderit se obligare ad vouendum arctius, quam viueretur in monasterio in quo professus est. Nam eadem ratione, *inquiri idem*, quæ non excusatur is à continentia seruanda, qui sacros ordines suscepit, absq; intentione expressa obligandi se ad talem obseruationem: ita nec excusatur à seruandis essentialibus religionis, qui illam professus est.

Consequens est secundo, quod ex Caiet. idem adhuc habet in seq. n. 51. quod ubi religio deficit in essentialibus, grauissime peccent, qui filios suos aut filias suas illi offerunt.

Consequens est tertio, quando reformatur religio, Religiosos illam ingressos teneri ad recipiendam reformationem in essentialibus, & in ijs quæ conducunt ad essentialia, vt censentur illa sine quibus vt plurimum ipsa vix custodiuntur, iuxta illud quod in Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. De Regular. cõmendatur Superioribus, vt omnem curam & diligen-

tiam adhibeant ne à talibus Religiosi sui recedant. Vnde patet in statu perditionis esse moniales, quæ clausulam admittere nolunt, quam experientia docet tanto pere illis necessariam esse ad custodiam castitatis. Ideoque ab Ecclesia feuerè eadem clausura iniungitur, prout constat ex capit. vnico De statu regularium in 6. & ex Concilio Trident. sess. 25. cap. 5. De regularibus, & ex Bullis Pij quinti & Gregor. decimiertij, propositis & explicatis à Nauarri. in commentario 4. De regularibus à numero 39. Aduerte autem obiter, ad talem clausuram pertinere non modo vt moniales extra septa monasterij non egrediantur; sed etiam vt nec cæteri seu viri, seu fœminæ illa ingrediantur. Quod vtumque sub excommunicatione prohiberi per memoratas Bullas, cum reuocatione omnium facultatum, si quæ obtendantur, videre est apud ipsum Nauarrum.

Alia documenta pro ratione iudicandi quando contingat Religiosum peccare contra paupertatem.

397. Primum est. Religiosum post factam professionem non posse de bonis suis pecuniarijs per testamentum, aut alio modo alienationis, disponere: sed eo ipso, quod factus est professus, omnia illa relicta esse monasterio (nisi forte sit ordinis non possidentis communiter annuos redditus, iuraque perpetua) iuxta capit. Quia ingredientibus 19. quæstione 3. & Authenticam Ingressi, Cod. De sacrosanctis Ecclesijs: cum sic dicitur: Ingressi monasteria, ipso ingressu se suæque dedicant Deo. Nec ergo de his testentur, vt pote nec Domini rerum. Quamquam in Gallia (quod notat Couar. De testamentis cap. 4. in fine) bona omnia profitentium, nisi ex præcedente pacto referuata sint monasterio, perueniunt ad cõsanguineos propinquiores. Aduerte autem obiter, quod cum Summus Pontifex concedit aliquibus Religiosis facultatem testandi: id non faciat concedendo eis dominium, sed tantum constituendo dispensatores rerum de quibus testantur: ex doctrina D. Thom. 2. 2. quæst. 185. in fine. Aduerte item, ex cap. Si qua mulier 19. quæst. 3. si professus reliquerit in seculo filios, quibus nondum legitimam portionem diuiserit, ne iniuria cuiquam eorum fiat, ipsum post professionem posse illis portionem eiusmodi dividere. De his plenius tractat Lud. Molina, De iust. & iure tom. 1. tract. 2. disp. 139. 140. & 141.

Secundum documentum est. Dispositionem à Religioso de suis bonis factam per testamentum ante professionem: post hanc mutari non posse nec reuocari. Hoc habetur ex cap. 2. De testamentis; pro eoq; multos auctores refert Couar. ad idem cap. Probatur vero: quia professus nequit condere testamentum ex præcedenti documento. Quare nec poterit prius cõditum mutare; quia id esset cõdere de nouo; quod vt validum sit, perinde ac prius conditum requirit in testatore dominium eorum de quibus testatur: quod negandum est in professo, cum id sit retinere adhuc dominium: qd repugnet paupertati, quam professus est. Veruntamen iusta mutandi causa interueniente, videtur posse quadam ratione id facere: nimirum tanquam optimus interpres voluntatis, quam testando habuit. Nam optime omnium potest de illa iudicare ac statuere, vtum si talem causam præciuisset tunc eum testabatur, voluisset id ipsum statuere quod nunc statuit interpretando.

398. Tertium documentum est. Religiosum peccare posse contra paupertatem, tum habendo proprietatem & dominium pecuniæ, aut rerum pecuniæ estimabilium, seu habendo ius de talibus plene disponendi pro arbitrio suo: tum habendo instar usufructuarij liberum earum, seu ius eis pro arbitrio vtendi; non tantum ad propriam necessitatem; sed etiam ad quidvis liberit. Quorum prius esse in Religioso peccatum suo genere mortale, patet tum ex alijs quæ habet Nauarri. in commentar. 2. de regularibus numero secundo, tum maxime ex eo, quod in capit. secundo & sexto, De statu Monachorum statuitur, vt Monachus qui pecuniam habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permisum, à communione remoueatur altaris; atque is qui in extremis cum peculo inuentus fuerit, nec digne poenituerit: nec fiat oblatio pro eo, nec inter

fratres accipiat sepulturam. Id quod circa Religiosos vniuersos obseruari, ibidem præcipitur.

Neque vero potest in hac re prætendi dispensatio Superioris: obstat enim textus expressus in cap. Cum ad monasterium eodem titulo: in cuius fine sic habetur. Nec existimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo annexa est regulæ Monachali, vt contra eam, nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. Quod intellige quâdiu quis manet Religiosus: cum propriū habere sit contra religionis essentiā, tanquam repugnās paupertati, de qua fit vnū ex votis religionis. Alioqui enim si Papa pro sua summa potestate, iusta grauique causa exigente faciat ex Religioso non Religiosum: consequenter licentiam dabit habendi proprium, sicut & ducendi uxorem. Pro cuius rei pleniore intelligentia legendus est Azor in prima parte Moral. Infitur. libro 12. capite 7. Pro praxi nobis propofita sufficere possunt dicta in præced. numero 329.

Aduerte autem ex Nauar. in cit. num. 2. bonorum tantum æstimabilium pecuniā, votum paupertatis reddere in capax, vt satis patet ex communi vsu: quo nemine improbante, religiosi professi sunt Episcopi, Sacerdotes, Doctores, &c. tanquam capaces iurium Ecclesiasticorum, ac bonorum virtuti & eruditioni debitorum.

399.

Posterior ex duobus ante propofitis hoc est, Religiosum rerum pecuniā æstimabilium, liberum vsum habere in suum commodum, peccatum mortale esse potest in tribus casibus, quos tangit Sylu. in verbo Religio 6. qu. 7. Primus est, quando Religiosus in vsum proprium retinet aliqua in magna copia Superiore in seculo, aut eo consentiente quidem, sed ita vt ille non sit paratus ad huius præceptum ea relinquere. Talis enim retentio rationem habet vsurpatis dominij, & per consequens peccati mortalis iuxta ante dicta.

Secundus est, quando Religiosus à Superiore accepit aliqua ad vsum, & ijs non solum ad propria necessitatem, sed etiam ad alia prout libuerit, vtitur. Nam & id quâdam rationem habet vsurpatis dominij; cum de re ad libitum disponere, sit actus habentis dominium, seu liberam de ea disponendi potestatem. Quapropter sicut Superior nequit Religioso facultatem dare habendi dominium proprietatemve aliquarum rerum pecuniā æstimabilium, ita nec dare potest vt utatur illis pro arbitrio, ad quoscunq; libuerit vsus; nimirum faciendam propria autoritate de illis, quidquid voluerit ad instar vsufructuarij, cui liberum est prout voluerit disponere de fructibus rerum quarum habet vsum fructum.

Tertius casus est, quando Religiosus ad vsum habet multa superflua sine facultate Superioris: aut cum illa quidem, sed non est paratus ea relinquere ad ipsius mandatum. Nam id esset animo habere proprium: non item si haberet ea ex facultate Superioris, & paratus esset eadem relinquere quotiescunq; Superior ipse vellet. Quod quamuis ita sit, peccat tamen Superior mortaliter, nulla necessitate vel utilitate communi excusante aliquid tale permittendo, vt patet ex eo, quod iuxta cap. 2. De statu monachorum §. Abbas: tanquam præuaricator ordinis, priuatione officij sui, & alio modo secundum regulam, sit puniendus.

Quartum documentum est. Quæcunq; Religiosus acquirit, siue per donationes, siue per laborem & industriā, siue alia aliqua iusta ratione, acquirere non sibi, sed religioni in qua professione fecit. Ratio est, quia nullius dominij seu proprietatis capax est, neq; suus est, sed suæ religionis: sicut seruus sui dominij, & filius sui patris. Quare sicut seruus, domino: & filius, patri, non sibi acquirit, ita nec Religiosus acquirit sibi, sed suæ religioni. Hoc colligitur ex cap. Abbates §. Monachi, 18. quæst. 2. & ex eo quod ante habitum est profitentem in aliquo ordine vt se, sic & sua eidem tradere.

400.

Quartum documentum est. Religiosum tanquam proprietarium ceteri contra paupertatem peccare mortaliter, non modo cum aliquid pecuniā æstimabile tenet contra Superioris voluntatem; sed etiam cum de eo disponit, vel est paratus disponere pro sua voluntate, perinde ac si haberet illius dominium: vt donando, vendendo, aut permutando; qui actus sunt habentis dominium: cum istud per illos alienetur; neq; alienatio qua dominium transfertur, fieri possit

ab eo qui dominium non habet. Adde pari ratione nec religiosum posse aliquid, etiam sponte sibi ab alio datum, accipere animo vtendi illo pro sua voluntate. Quod si acciperet cum intentione disponendi de illo, non pro sua voluntate, sed iuxta Superioris voluntatem, etiam si peccaret accipiendo sine Superioris licentia; non tamen contra paupertatem: vt pote qui non accipit animo faciendi sibi proprium, nec re ipsa faciat proprium; cum quidquid Religiosus acquirit non sibi sed religioni acquirit.

401.

Sextum documentum est. Religiosum postquam aliquid dono accepit siue absq; licentia, siue cum ea: ac etiam cum animo disponendi de eodem iuxta Superioris voluntatem, non posse acceptionem celare Superiori: quia si animum sincerum habeat, sic debet vti accepto, vt Superior possit de eo disponere: ad quod requiritur vt illud ei manifestetur. Nec item posse de eodem disponere, ne quidem illud reddendo ei quo accepit, aut expendendo in eius vtilitatem. Ratio est, quia id esset alienare, quod acquisitum fuit monasterio.

Dubia quæ circa religiosam paupertatem moueri possunt magno numero habet Azor in 1. parte Moral. Infit. lib. 12. cap. 8. & alioq; sequentibus, apud quem illorum explicatio videri poterit. Tantum addam de Religiosis illorum ordinum in quibus singuli habent suum proprium, difficultatem esse quæ Confessarijs vexare solet. An tutā conscientia possint manere in aliquo eiusmodi ordine, seruando quod sibi vstitatum est: & an quis tutā conscientia possit talem aliquem ordinem ingredi animo faciendi, vt faciunt reliqui.

402.

Cuius difficultatis solutionem, mallem quidem ab alio audire, quam dare: ne tamen omnino desim officio, saluo meliori iudicio dixerim primo; vix consulendum esse ingressum alicuius religionis, in qua passim aliquid de essentialibus, qualis est paupertas, violatur: quandoquidem in eo periculum est contaminandi se pari scelere, aliorum imitatione: iuxta illud Psalm. 17. Cum peruerso peruertaris. Vide antedicta num. 380. propositione tertia. Quia igitur in casu propofito difficultatis, dantur passim occasiones multa peccata committendi contra paupertatem, nemo negauerit oportere eas vitare. Dixerim secundo, dissuadendum esse ingressum illi qui sic animo comparatus est, vt si Superiores ab usum eiusmodi tollere velint (proprietatem nimirum singulorum, reducendo ad communiam) paratus non sit promptusque acquiescere, sed velit sua semper apud se retinere. Quia id esset velle paupertatem vouerit, quā nec re nec animi proposito velit seruare. Dixerim tertio, talem Religionem ingressum, quocumque animo ingressus sit, teneri paratum esse ad omnia quæ habet, resignanda in manibus Superioris, quoties ea ex parte voluerit religionem reformare. Interea autem dum nulla fit reformatio, posse retinere sibi eiusdem Superioris voluntate concessa: dummodo id non faciat animo proprietario; seu quo pecunijs, & alijs rebus cõcessis tanquam Dominus vtatur ad quoscunq; vsus libuerit: sed tanquam pauper ijs vtatur, ad subueniendum suis necessitatibus: in quem finem conceduntur, tanquam elemosynæ. Dixerim quarto, idque consequenter, ex ijsdem bonis Religiosum non posse comparare sibi stabilia bona, quæ relinquat suis hæreditibus: præsertim cum Religiosus acquirens aliquid, non sibi, qui incapax est dominij tanquam repugnantis religiose paupertati: sed suæ religioni. Dixerim postremo: non videri censendum tutum in conscientia Religiosum, qui experitur propter multitudinem pecuniarum quas possidet in sua religione, se vel omnino, vel difficulter posse in ea viuere sine multis peccatis mortalibus: ideoque ab illo in confessione exigendum esse, vel vt transeat ad arctiorem religionem, in qua non sit habiturus talem occasionem: vel vt cedat monasterio suas facultates, reseruando sibi solummodo quantum satis sit ei ad honestum victum & vestitum. Alioqui enim amans periculum perit in illo, constituiturq; in statu perditionis: in quo volens permanere non est capax absolutionis sacramentalis.

**

**

CAPVT XXVIII

De nonnullis quæ Religiosis omnibus, ultra essentialia vota, incumbunt obseruanda.

S V M M A R I V M.

- 403 Obligatio Religiosæ ad clausuram.
- 404 Prohibitio Religiosæ facta sub excommunicatione, temere dimittendi habitum sui ordinis, & pariter facta doctoribus, eos dimisso habitu retinentibus & docentibus leges aut medicinam.
- 405 Quomodo intelligenda sit illa dimissio habitus, & quatenus censeri debet temeraria.
- 406 Quomodo accipienda sit prohibitio facta Religiosis, eundi ad studia sine licentia Superioris, & consilio totius, aut maioris partis conuentus: & que concurrere debeant ad incurrendam excommunicationem, ipsos docentium leges, vel physicam non gestantes suum habitum.
- 407 Venatio antiquo iure communi prohibita Religiosis.
- 408 Excommunicatio lata in Religiosis vsurpantes sibi auctoritatem administrandi Eucharistiam, aliaque nonnulla agendi.
- 409 Ea ad omnes Religiosos extenditur.
- 410 Actiones ob quas eadem imponitur, cum declaratione ipsarum.
- 411 Modi varii quibus potest Religiosus à tali censura excusari.

PRÆTER ea, quæ ex Concilio Tridentino habentur, multa veteri iure canonico Religiosis omnibus incumbunt; siue vt imperata, siue vt prohibita: sed sufficere artigitur præcipua, quæ publice expositum confessionibus audiendis ignorare, minime conuenit.

Primum est, quemlibet Religiosum obligari ad clausuram per cap. Placuit, 16. q. 1. Constitit vero talis clausura in eo, vt nullus regularis cuiusvis ordinis, septa constituta, seu limites ad eam seruandam determinatos exeat sine Superioris sui licentia: imo neque cum ea, nisi iusta vtilitas aut necessitas eam dari suadeat. Quæ de re late Nauarr. in comment. 4. de regularibus num. 29. & aliquot sequentibus: vbi postquam docuit obligationem ipsam regularium ad clausuram tantum esse de iure humano, tangit duo documenta, quæ faciunt ad rationem specialem nobis propositam iudicandi de peccatis, & aliquot corollaria deducit apud ipsum videnda.

Prius autem documentum consistit in eo, quod ipse habet num. 34. iure communi omnem regularem quantumlibet simplicem, posse exire de licentia Superioris sui, non solum Generalis, aut Prouincialis, sed etiam inferioris immediati. De licentia, inquam, non tantum expressa, sed etiam tacita: & non tantum specialiter ac in individuo, sed etiam generaliter data: dummodo ea detur iusta necessitate vel vtilitate exigente. Posterius documentum consistit in eo quod subiungit in seq. num. 35. Peccatum quod violatione clausuræ contra ius commune committitur egrediendo sine licentia; aut cum ea quidem, sed data sine iusta causa, esse genere suo tantummodo veniale; fieri autem mortale scandalo interueniente, aut notabili detrimento monasterij, aut districta prohibitione Superioris, siue viua voce, siue per regulam. Item que fit ex contemptu Superioris in tali violatione procederetur. Ratio est: quia si hæc absint, abesse quoque censetur grauis iniuria, ex qua ratio peccati mortalis iudicatur.

Secundum eius generis quod quilibet Religiosus prohibeatur sub pena excommunicationis, habitum suæ religionis dimittere temere, simulque prohibeantur accedere ad quæuis studia literarum, nisi à suo Prælate cum consilio sui conuentus vel maioris partis eiusdem, sibi eundi ad studium licentia primitus sit concessa. Ita habetur ex cap. Vt periculosa, tit. Ne clerici vel monachi in sexto: vbi eadem quoque pena imponitur doctoribus seu magistris, qui Religiosos, habitu suo dimisso, leges vel physicam seu medicinam audientes, scienter docere, aut in scholis suis præsumpserint retinere. De hac agentes tum Theologos, tum Sümularios, tum alios refert Georgius Sayrus in thesauro casuum conscientiarum tomo 1. lib. 3. cap. 35. nu. 5. Inter cæteros late Sylu. in verbo Excommu-

nicatio nono, nu. 51. & tribus sequentibus. Nauarr. in Enchir. cap. 27. n. 131. & tribus sequentibus, ac Suarez eam plenius ceteris persequens, tomo 5. in 3. partem D. Thomæ, disput. 23. sect. 4. Excommunicatione 14.

Pro intelligentia autem notanda sunt sequentia. Primum est, dimissionem habitus hoc loco censeri, non quamcumque illius depositionem, sed quæ fiat cum illius mutatione in alium habitum ad se occultandum: aut quia lubet non in suo, sed in alieno habitu incedere. Ad quod facit ratio prohibitionis, quæ redditur in memorato cap. Ea enim est, ne Religiosi ipsi vagentur inuerecunde non agniti per habitum proprium. Facit etiam quod Suarez ibid. habet nu. 28. prohibitionem pœnalem in eod. cap. factam, non habere locum in Religioso, qui aliquam tantum partem habitus sui ordinis dimittit, si per eam quam retinet satis cognosci possit ab aliis, quod sit Religiosus talis ordinis. Ex tali enim dimissione, non habet occasionem euagandi. Facit item, quod idem in præced. num. 27. habet & cæteri communiter notant: nec locum habere in Religioso qui habitum exiit ad breue tempus: non quidem animo dimittendi, sed faciendi aliquid commodius, etiam si id sit peccatum, eo quod forte transgrediatur in eo aliquam specialem regulam suam, aut det scandalum, aut peruersum finem sibi præstituar, vt exempli gratia, voluptuosius fornicari: quod in exemplum adfert Nauarr. in cit. nu. 131. Addit vero idem Suarez in seq. nu. 30. prohibitionem propositam extendi ad eum etiam, qui habitum dimisit intentione vagandi breui tantum tempore; præsertim cum in tali re ius quoad tempus nihil distinguit: & dimissio non minus possit complete fieri breui tempore, quam longo.

Secundum notandum, est temerariam habitus dimissionem dici, quoties ipsa fit sine rationabili causa vera, vel apparente: ideoque propositam prohibitionem non extendi ad Religiosum, qui metu mortis aut alterius grauis mali, aut compellente alia, siue sua siue aliena, magna necessitate, habitum dimittit. Imo ne si quidem absit iusta causa dimittendi, illi tamen appareat adesse: vt accidere potest meticulofo, aut in rebus agendis parum versato, aut parum considerato. Ratio est: quia nec talis temere agit, sed tantum timide, vel imprudenter.

Tertium est, ex communi sententia teste Nauarro in fine citati numeri 131. non excusari in hac re, eum qui habitum sui ordinis dimittit, vt immediate induat alium alterius ordinis. Ratio est, quod in proposito cap. Vt periculosa, non dicatur absolute qui habitum religionis (vt censeri possit non contrauenire is, qui retento habitu religiosum mutat) sed determinate, qui habitum suæ religionis.

Quartum est, quod plenius Suarez num. 34. tractat, non extendi propositam constitutionem pœnalem ad Religiosum, gestantem quidem suum habitum, sed illum occultantem: quoniam reuera non dimittit. Peccat tamen id faciens absque iusta causa, vt patet ex Concilio Trid. sess. 25. De regularibus cap. 19. in fine.

De aliis spectantibus ad eamdem constitutionem consuli poterunt memorati auctores, præsertim Suarez à nu. 35. Contenti erimus duo attingere; quorum prius est illud, quod post Caiet. idem ibidem habet de prohibito accessu Religiosæ ad studia sine licentia Prælati, & consilio maioris partis conuentus; intelligendum esse de eo, qui abfuerit ad habitandum extra claustrum propter studium. Nam ad modum ordinarium eundi ad scholas habitando in proprio conuentu; vel in alio quidem, sed eiusdem ordinis, non est necessarium vt licentia Prælati detur cum consilio maioris partis Capituli. Et ratio esse potest, quod tunc cesset causa ob quam limitetur in his Prælati potestas: nimirum vt frenetur Religiosorum animus pronus ad habitandum extra sua claustra: præsertim iuniorum: quales ordinarie sunt qui ad studia mittuntur: maior enim difficultas obtinendi licentiam, quæ ex consilio nascitur, non parum obstitit tali propensione.

Posterius est, ad hoc vt magistri seu doctores legum vel medicinae, qui præsumunt in suis scholis retinere Religiosos qui habitu dimisso illis disciplinam vacant, incurrant in excommunicationem in ipsos per memoratum cap. latam, qua-

quatuor concurrere debere. Primum est, ut auditor ipso-
rum sit Religiosus. Secundum, ut audiat leges aut medici-
nam docentes. Tertium, ut id faciat sine habitu sui ordi-
nis. Quartum, ut doctores ipsi seu magistri tales eum do-
cere vel retinere præsumant: probe videlicet scientes, se
in eo iuxta prohibitioni Superioris contravenire. De qui-
bus vide in seq. lib. 20. num. 52.

407. Tertium, quod ex iure communi servari debet ab om-
nibus Religiosis, habetur in cap. 2. De clerico venatore,
his verbis. Omnibus feruis Dei, venationes & sylvaticas
fatigationes cum canibus & accipitre, aut falcone habere
interdicimus. Itemque illis in Clement. 1. De statu Mo-
nachorum §. Porro à venationibus & aucupationibus,
omnes semper abstineant: nec interesse eis, aut autem vel
canes venaticos per se vel alios tenere præsumant, nec à
familiaribus secum morantibus tenere permittant: nisi
falsus, viuaris, vel garenas proprias, vel ius venandi in aliis
haberent: in quibus cuniculi vel feræ aliæ forsan essent:
quo casu hoc eis permittitur: dum tamen intra monaste-
rium seu domos quas inhabitant, aut eorum clausuras,
venaticos canes non teneant, nec venationi præsentiam
exhibeant personalem.

408. Quartum eiusdem generis habetur ex Clement. 1. De
privilegiis: in qua Religiosis sub excommunicatione re-
servata Papæ prohibentur sex actiones, quarum tres ver-
santur circa tria sacramenta. Extremam vñtionem, Eu-
charistiam, & Matrimonium: quorum duo priora mini-
strare, & tertium solemnizare sine parochialis Presbyteri
licentia prohibentur. Tres vero alia versantur in absolu-
tione: una quidem, excommunicatorum à canone, altera
vero excommunicatorum à sententiis per statuta syno-
dalia aut provincialia promulgatis: & reliqua in absolu-
tione à poena, ut dicitur, & à culpa. Huius explicationem
post D. Antonium tertia part. tit. 24. cap. 54. habent in
verbo Excommunicatio Summularij, ut Angelus in 5. ca-
su 12. Sylvest. in 7. nu. 30. Tabiena in quinto, casu 11. Caiet.
in cap. 64. Nauar. in Enchir. cap. 27. nu. 101. & 102. & post
eos, aliquotque alios Suarez tomo 5. in tertiam partem D.
Thomæ disput. 22. sect. 4. Primo autem considerandæ sunt
personæ, in quas talis excommunicatio profertur: secun-
do, actiones propter quas incurritur; & tertio modi qui-
bus contingit ab ea excusari Religiosos.

409. Ac quoad personas, profertur generaliter in Religio-
sis: ideoque in omnes, etiam exemptos, qui vota castita-
tis, paupertatis & obedientiæ emiserunt in religione ap-
probata. Omnibus enim talibus Religiosi nomen conue-
nit proprie; imò & solis, quandoquidem approbatio est
de substantia religionis, iuxta cap. Vnicum, De voto in
sexto. Quod autem de novitiis religionis approbata du-
bitatur, an huic censuræ & ipsi subiciantur, relinquimus
videndum apud Suarezium loco citato, num. 3. Notan-
dum est tantum, quidquid sit in speculatione, idem in praxi
esse à novitio servandum is, quod ab aliis: cum respectu
eorum, perinde ac aliorum, nasci possit parochialium pres-
byterorum offensio, ad quam tollendam facta est propo-
sita constitutio.

410. Quoad actiones vero, notandum est de administratio-
ne Eucharistiæ & Extremæ vñtionis: cum prohibeatur
in ordine ad Clericos & laicos; nec in odiosis Religiosi
comprehendatur nomine Clericorum ex Panorm. ad rubricam
De vita & honest. cleric. ob administrata Religio-
so à Religiosis illa sacramenta, non incurri talem excom-
municationem, prout Caiet. & Nauar. locis citatis no-
tant. Et ratio est; quod nihil inde præiudicetur parochia-
libus presbyteris, in quorum favorem est facta Religiosis
prohibitio. De solemnizatione vero matrimonij notandum
est, eo nomine significari sacerdotalem benedictionem,
quæ sponsi post matrimonium rite contractum percipiunt.

De absolutione autem excommunicatorum à cano-
ne, notandum est eam esse restringendam ad excommu-
nicationem maiorem (quædoquidem nomen excommu-
nicationis, cum absolute dicitur, de maiori accipitur, iux-
ta cap. penult. De sentent. excomm.) quæ lata à Summo
Pontifice, vel ab vniuersali Concilio pro tota Ecclesia, sta-
tuto perpetuo, canon aut nona facte dicitur.

De absolutione porro excommunicatorum, à senten-
tiis per statuta synodalia aut provincialia, promulgatis:
notandum est difficultatem esse, an nomen sententiæ ac-
cipiendum sit in lata significatione, quæ cum excommu-
nicatione comprehendit suspensionem & interdictum:
an vero in stricta, quæ solam excommunicationem signi-
ficat. Ac in utramque partem auctores Sylvester refert in
verbo Excommun. 7. n. 38. & assentitur iis qui strictè acci-
piendum censent; & post eum Suarez in eadem sect. 4. n.
16. ac merito: quia particula, *vel à sententiis*, quatenus dis-
iunctive coniungitur cum præcedente, à canone, ostendit
ex utraque ea fieri vnam integram determinationem dis-
iunctivam circa absolutionem excommunicati, de quo
expresse est ibi sermo, cum dicitur, *aut quemquam excom-
municatum à canone: & nonnullis per parochialium interdic-
tis, additur; vel à sententiis, &c.* Accedit quod ea interpre-
tatio minor sit, ideoque tenenda in materia penali. Neq;
ratio datur cur istiusmodi prohibitio generalior sit in sta-
tutis particularibus, quam in generalibus.

De absolutione denique à poena, & à culpa notandum
est, quod in seq. num. 19. Suarez habet ex Sylv. per eam intelli-
gi concessionem plenariæ indulgentiæ; quam Religiosi,
aduersus quos excommunicatio propolita fertur, voca-
bant absolutionem à poena, & à culpa absolvere, prout fa-
ctis verba illa in eadem Clement. 1. ut verba eorum vramur,
à poena & à culpa: *absolvere quemquam præsumpsit.*

Quoad modos deum quibus Religiosus excusari po-
test à censura propolita; notandum est varios esse. Primus
est, bona fides, quæ quis crederet, se ex privilegio, aut ali-
de sufficientem auctoritatem habere: vel existimaret Pa-
rochum rari habiturum, neq; ageraturum, si aliquam
ex antedictis actionibus ad suum Parochiale officium spe-
ctantibus, exercuerit. Nam talis non censetur præsum-
plisse, prout exigitur ad incurrandam eandem censu-
ram.

Secundus est (in textu expressus) per licentiam Presby-
teri parochialis: quo nomine comprehenduntur præter
Parochum, tum eiusdem presbyteri Episcopus, qui iuris-
dictionem habet vniuersalem: tum Vicarius seu is cui
presbyter ipse parochialis, iurisdictionem suam delegaue-
rit. Nomen autem illud presbyteri non obstat quin Pa-
rochus nondum Sacerdos possit eam licentiam dare: quo-
niam eanon est actus ordinis sed iurisdictionis. Cur au-
tem Pontifex vsus sit illa paraphrasi, *presbyteri parochialis*,
ad significandum Parochum: ratio esse potuit, quod Pa-
rochus ordinarius sit & debeat esse Presbyter. Quomodo
autem accipiendum sit, quod ex textu constitutionis ha-
betur, licentiam hanc specialem esse debere, tractat Sua-
rez in eadem sect. 4. ac tandem tenet sic accipi posse, ut ad
id sufficiat exprimi sacramenti actum exequendum, et-
iam si ex parte personarum licentia sit generalis: ut si Pa-
rochus dicat parochialis, Concedo omnibus vobis Eu-
charistiam suscipere à Religiosis Cisterciensibus. Qualem
licentiam si quis se habere dixerit, potest Religiosus ei cre-
dere: cum ex cap. Sanctus, 1. questione 7. nemo præsumendus sit in memor suæ salutis.

Tertius modus, est beneficium iuris: Religiosi enim
potestatem habentes eadem cum Parochis absolventi à
mortalibus (ut habent Dominicani & Franciscani iuxta
textum in Clement. Dudum De sepulturis §. Per huius-
modi) possunt absolvere excommunicatum excommu-
nicatione à iure non reservata, ex cap. Nuper De senten-
tiam, excommunicationis, secundum veriore opinionem.
De qua videnda sunt dicta in præced. libro nono cap. 1.
sect. 5.

Quartus est, per privilegium Sedis Apostolicæ: quale
est quod refert Nauar. in Enchir. cap. 21. num. 52. à Leo-
ne 10. concessum cuilibet Sacerdoti ordinis Minorum:
ut quouis die, sacrosanctum Domini corpus possit secu-
laribus ministrare, excepto solo die Paschatis; & conse-
quenter Dominicantis, & reliquis omnibus qui illius ordi-
nis privilegio videntur: ubi etiam mentionem addit
de tali privilegio concessio Societatis nostræ Sacerdoti-
bus.

Quintus modus est, ex vi officij. Si enim Religiosus habeat beneficium curatum, non impeditur hac constitutione...

alicuius momenti viget, vel ad Romanum Pontificem difficilis est aditus, prout habet idem Azor. Qui adde ex Sylu. in verbo Religio 4. quaest. 2. debere interuenire...

Causa vero iusta, quae praeter auctoritatem Superioris requiritur ad eundem transitum licitum, est prima, si disciplina sit disciplina in religione strictiore...

414.

CAPITULUM XXIX.

De religionem egressis.

SUMMARIUM.

- 412. Transitus a religione laxiori ad arctiorem licitus.
413. Quatenus licitus sit transitus ad eque aut magis laxam.
414. Quae religio censenda arctior.
415. Documentum de iis qui a religione dimittuntur.
416. Distinctio inter electum, fugitiuum, & apostatam.
417. Electus ad religionem reuocatus tenetur redire, non tenetur autem transire ad alium ordinem.
418. Tenetur absolute ad observationem castitatis: ad observationem vero obedientiae religiose tantum tenetur animi proposito, si contingat ipsum reuocari.
419. Quo habitu viri habeat.
420. Quatenus tenetur ad observationem paupertatis, & cui acquiritur ea quae non fuerint sibi necessaria.

I sunt in quintuplici differentia. Quidam enim egressi sunt animo transiendi ad aliam religionem, quidam sunt dimissi, quidam eiectionis, quidam fugitiui, & quidam Apostatae...

Primum est, transitum a religione laxiori ad arctiorem licitum esse de iure communi. Pro quo est textus satis expressus in cap. Sane, De regularibus, & expressi limitus in cap. Licet, eodem titulo. Ex quo praeter approbationem talis transitus, duo habentur notati digna...

Secundum est, transitum ab vna religione ad aliam aequae laxam aut laxiorem, licitum esse posse interueniente Superioris dispensatione, & iusta causa. Hoc certi iuris esse, & ab omnibus concedi notat Azor canonistis pro eo citatis, in lib. 12. prima pars Moral. Instit. cap. 14. quaest. 8. Et confirmatur, quia ad talem transitum iustificandum...

Is autem Superior est Episcopus si monasterium transfertis sub eo sit: si sit exempta a iurisdictione Episcopi, est eiusdem Praelatus: qui habens auctoritatem quasi Episcopalem, potest eam facultatem dare, quando periculum...

Religionem arctiorem censeri, quae est arctior obseruantia, ita vt in ea possit quis tutius & melius salutem suam operari. Ad quod facit, quod possit ex memorato cap. Licet & Quia tamen, satis intelligi, transitum illum ad arctiorem, concessum esse ob tutiorem vitam agendam rationem...

Debet autem Confessarius talem transitum meditantem, si esse offerat, monere in eodem cap. Licet, & Quocirca, significari esse a temeritate & sinistra intentione cauedum: atque ad intentionem melioris vitae, addendam maturam deliberationem, & sapientum consilium. Talem transitum, nisi illum eohonestet necessitas aut vilitas notabilis, non esse laudabilem, iuxta D. Thomam 2. 2. q. 189. art. 8. tum quia ex eo plerumque scandalizantur qui relinquuntur...

Tertium documentum est: Ex iis qui a religione dimittuntur, quosdam non dum esse religioni adstrictos, vt Notarios, qui tempore probationis inuenti inepti dimittuntur: talesque manent liberi, praesertim cum egredi postum fuerit in ipsorum arbitrio prout habitum est in praeced. cap. 2. propositione vltima. Quosdam vero adstrictos quidem esse religioni in qua emittunt vota, sed religionem non esse ipsi adstrictam (etiamsi vere sint Religiosi) eo quod talia vota ipsorum simplicia sunt, non autem solemnia neque professio, per quam reciproce, & Religiosus obligatus sit religioni ad manendum, perseverandumque in ea; & vicissim religio sit obligata ad eum retinendum, ac tractandum tanquam filium, nisi se reddat ei noxium. Quae cum ita sint, possunt tales dimitti, quando ad fuerint iustae causa: quales censentur haec quod volunt corrigi, & emendari, aut quod etiam commiserint ratione cuius religioni timeant infamia, aut quod impedimentum habuerint, cum quo tanquam essentiali, valdeque graui in ea religione, non fuissent admitti, si illud detexissent. Quae de re plenius Leon. Lessius in seq. dubit. 14. quem videat qui volet. Contenti esse possumus addere quod ille in num. 107. tangit. Cum vota praedicta sic fiant vt eorum emissionem Religiosus obligetur ordini in quo fiunt, non autem ordo ipsi: ea tunc includere conditionem hanc: Si ordo me retinere voluerit. Unde potest deduci, quod per dimissionem quae idem ordo recusat omnino talem retinere, de eo in conscientia posse indiesse, vt de relicto in sua libertate: etiamsi non vacet crimine, si per se eidem dimissioni occasionem dederit.

Quartum documentum est: Electus a fugitiuo & apostata distingui, quod electus recedat compulsus a Superioribus, bonum commune procurantibus: mandando executioni illud quod in cap. Rescindenda 24. quaest. 3. habetur ex D. Hieronymo. Rescindenda sunt putridae carnes, & scabiosa ouis a caulis repellenda, ne tota domus, massa...

415.

416.



corpus, & pecora ardeant, contumpanur, putrescant, intereant. Fugitius vero & apostata recedant sua voluntate: ille quidem vt sit extra potestatem Superioris, & ad tempus libere vagetur, interea animum habens redeundi: hic vero, vt deferat suum statum.

Quintum documentum est. Haud dubium esse, quin & fugitius & apostata maneant obligati ad omnia quae religionis sunt, peccareque illorum transgressione, non minus quam si essent in suo monasterio; cum non debeant ex nequitia sua reportare commodum: & vt supponimus, ex sola ipsorum prava voluntate pendeat, quod non sint in monasterio, ita vt nequeant per impossibilitatem excusari. Quae si contingeret ex eo, quod religio nollet eos retinere: iudicandum esset de ipsis tanquam de eiectione eo modo quo paulo post dicitur.

Porro tales se ad confessionem offerentes, etsi ad hoc admitti possint vt salubribus monitis iuuentur, iuxta cap. Quod quidam, De Penit. & remiss. non tamen vt sacramentaliter absoluantur: quia pro vere penitentibus non sunt habendi, quamdiu non submitunt se correctioni suorum Superiorum: ad quos proinde oportet ipsos remittere. De eiectione vero, non potest eadem facilitate iudicari; nam multa sunt quae de eo vocantur in dubium, vt licet videre apud Azorium in citato lib. 12. cap. 16. & 17. de quibus ipse legendus est, quia possumus contenti esse aliquot documentis quae valent ad directionem Confessarii, talium sacramentalium confessionem excipientis.

417.

Sextum ergo documentum est. Eiectum teneri ad religionem reuerti, si a suis Superioribus reuocetur. Ad quod facit, quod reuerti nolens excommunicari praecipitur in cap. finali, De regularibus. Facit & ratio, quia ex vi votorum & professionis suae, tenetur vsque ad mortem manere in sua religione. Vnde cum sit ei potestas ad illam redeundi, tenetur redire, ad implendum quod Deo promissit. Etenim tota causa cur antea excusaretur fuit impossibilitas, hoc est, quod non esset in potestate ipsius in illa manere. Quando vero id postea est ipsi possibile, cessat excusatio, & obligationis vis recurrit: quae non fuit per eiectionem extincta, sed solummodo sopita seu suspensa. Eam enim obligationem Praelati non tollunt eiiciendo, vt nec de Religioso faciunt non Religiosum: quod non est in ipsorum potestate situm. Aduerte autem eiectionem tantummodo ad tempus, vt se emendet, teneri per emendationem se de nouo reddere habilem vt recipiatur: nec excusari, quin emendandus debeat se religioni offerre, quantumuis ab ea non reuocetur. Secus esse vero, si per publicam sententiam iudicium ad id destinatum, eiectionis esset in perpetuum, prout ex Nauarro habet Azor in citato cap. 16. quaest. 6. inquit inter caetera: talem tuta conscientia extra religionem ex qua eiectionis est, viuere, vt in eo iustam sententiam & penam sustineat ac luat.

Caeterum ad alium ordinem transire, a suo eiectionis non tenetur: quia profitendo in vna religione non habet intentionem adstringendi se ad aliam: cum determinet illam in qua seruaturus sit perpetuam paupertatem, castitatem & obedientiam. Neque obstat quod ante ingressum in illum ordinem, forte uenerit in uersu ingressum in religionem: quia tale votum sicut est simplex, ita etiam, perinde ac caetera simplicia quae emiseris, commutatur in professionem; indeque extinguitur, nec reuiuiscit per eiectionem a religione; praesertim cum ea non obstat, quin professio in sua vi obligandi perscueret: adeo vt eiectionis sciens se recipiendum, redire teneatur. Quam doctrinam Azor habet in eodem cap. 16. q. 5.

418.

Septimum documentum est. Eiectum teneri ad obseruationem castitatis religiosae, perinde ac ante eiectionem. Non tantum enim extra matrimonium eam violare prohibetur, per sextum Decalogi praecipuum commune omnibus; sed etiam violare in usu matrimonij, cuius inuendi est effectus incapax per professionem in religione approbata, iuxta textum expressum in cap. vnico, De voto in sexto.

Ab obseruatione autem obedientiae religiosae eundem excusari, consequens est ex eo, quod religio in qua professus est, ipsum eiiciendo, omnem de eo curam abiicit, habendo eum pro non suo: quo fit vt non intendat ei quid-

quam praecipere aut prohibere tanquam in suo. Obedientia autem obseruationi locus non datur, ubi deest illam imponens: quia tali actioni deficit materia per defectum Superioris, qui illam suppedit. Quod autem Nauar. in comment. 2. de regularibus nu. 35. ad eum defectum suppleendum (nisi aliam religionem capessat) debere ipsum Episcopo se offerre vt in eius sit cura & potestas: eiusque mandatis & iussis parere, ex vi voti cogatur: Azor in sequenti quaest. 11. bene reicit ex recepto more profitendi, quo obedientia perpetua promittitur tantum Superiori illius religionis & successoribus ipsis; siue immediatus sit, siue mediatarius. Vnde sequitur vt si per iustam sententiam a religione excludatur, non cogatur ex vi voti alteri obedire. Ea enim de causa Nauarrus ipse fatetur eiectionem non teneri ex vi voti, aliam religionem intrare. Ex qua causa pariter colligi potest, nec teneri vi voti se Episcopo offerre, vt in eius speciali potestate & cura sit tanquam religiosus, sed sufficit vt instar aliorum Clericorum obtemperet ei, in cuius diocesi habuerit habitationis domicilium. Verumtamen quia per eiectionem non definit esse vere & proprie Religiosus, etiam nullius religionis sit (perinde ac Episcopus ab Episcopatu suo eiectionis non desinit esse Episcopus, quantumuis sit absque Episcopatu) debet ex vi voti quo adstrictus manet, paratus esse ad obediendum si contigerit ipsum restitui ad pristinum statum, & in cura & potestate esse Superiorum, quibus obedientiam promissit.

Octauum documentum est. Eiectum vti debere habitu clericali. Hoc Nauar. habet in sequenti num. 36. & post eum Azor in seq. quaest. 13. & Leon. Lessius De iust. & iure lib. 2. cap. 41. num. 112. Ratio ipsorum est, quod per sententiam spoliatus habitu suae religionis, non teneatur, imo nec possit eo vt, vt nec habitu alterius religionis, nisi ad eam transierit: ad quod non adstringitur, vt ante habitum est. Vnde superest vt clericali habitu conditioni suae conuenienti, utatur. Addit Lessius in seq. num. 115. a reliquis monasticis obseruantis, vt a ieiuniis, vigiliis, delectu ciborum, silentio esse liberum. Pro quo facit quod obligatio ad eorum obseruationem, ex eo proueniat, quod praescribantur ex obedientia, per statutum declarata: atque iuxta antedicta, in eiectione a religione, obseruatio obedientiae suspendatur.

419.

Nonum documentum est. Eiectum ad paupertatis obseruationem ita teneri, vt non prohibeatur eorum quae acquisierit administrationem habere, tum ad vitae necessaria, tum ad aliquas pias causas. Hoc enim ipso quod eiicitur, sit ei potestas sibi quoad corpori necessaria & animae commoda prouidendi. Si quid autem amplius acquirat, an ad monasterium pertineat difficultas est: cuius partem negantem Nauar. sequitur in memorato comment. 2. nu. 34. quia talis non est amplius monasterij membrum, neque ei subiectus. In eademque sententiam propendit Azor in eodem cap. 16. quaest. 9. Leonardus vero Lessius in memorato num. 112. secutus Lud. Molinam, De iust. & iure tomo 1. tract. 2. quaest. 140. affirmantem tenet per hanc rationem; quod monasterium per monachi culpam & punitiorem, non debeat amittere ius quod habuit in bonis illius siue acquisitis siue acquirendis. Neque enim per eiectionem ita definit esse membrum religionis, vt hanc omne suum ius in illum perdat: vt argumento est, quod si ab eo reperatur, reuerti teneatur, tanquam ablato impedimento implendi perpetuam obedientiam qua in eadem religione Deo promissit. Eam sententiam tanquam tutiorem, iudicari in sequenti in praxi.

420.

Superest obiter monendum in Concilio Trident. sess. 25. De regularibus cap. 19. editum esse decretum de reclamatione Religiosorum contra professionem ab ipsis factam: atque eiusdem praeclearam lectuque dignissimam declarationem tradi a Thoma Sanchez lib. 7. De matrimonio dispur. 37. Apud quem relinquimus, ei qui volet videndam tanquam spectantem ad fori externi usum.

L A V S D E O.

LIBER